LEGATORIA
PANISPERNA 222-A

COMMENTARIUM TEXTUS
CODICIS IURIS CANONICI

LIBER IV
DE PROCESSIBUS

CUM DECLARATIONIBUS AUTHENTICIS
USQUE AD DIEM 24 MAII 1927

AUCTORE

FR. ALBERTO BLAT O. P.

MAG. S. THEOL. AC IURIS CAN. DOCT.

ALMA COLLEGE
348.1
LIBRARY
B613
Alma, California

ROMAE

COLLEGIO «ANGELICO»
Via S. Vitale, 15

LIBRERIA F. FERRARI
Via dei Cestari, 2

1927

1436

Opus cui titulus « *Commentarium Textus Codicis Iuris Canonici, Liber IV, De Processibus* » ab adm. Rev. P. Mag. fr. Alberto Blat, O. P. I. C. D. compositum, ex mandato Rev. mi P. Fr. Serapii Tamayo, Vicarii Generalis Ord. Praed. attente perlegimus, et nihil obstare quominus typis mandetur et in lucem edatur, declaramus.

Romae, 19 Octobris 1926

P. Ioseph Gonzalez, *F. C. Doctor et Prof.*

P. Augustinus-Maria Darmanin O. P.
S. Th. Lect., Iuris Can. Doct. atque Professor.

IMPRIMATUR

Fr. Bonaventura G. Paredes *Mag. Gen.*

IMPRIMATUR

† Ioseph Palica, *arch. Philipp. Vicesg.*

ROMA - SCUOLA TIPOGRAFICA PIO X, VIA DEGLI ETRUSCHI, 36

IESU CHRISTO

VIVORUM AC MORTUORUM

IUDICI

HOC VOLUMEN

DEOQUE UNO AC TRINO

QUIDQUID EST

IN COMMENTARIO UTILE

LAUDET

CUM SANCTORUM COETU;

ATQUE GRATIAS REFERO

FR. A. BLAT, O. P.

LECTORI BENEVOLO

Valedicendo, dum volumen hoc exhibeo, pauca verba dicam.

De methodo sequuto nihil est notandum, sed respondeo quibusdam, me intendisse studiosis praebere quaecumque in iure novissimo esse certa, mihi visa fuerunt. Dubia non proposuisse solvenda, nisi quae in mentem venerunt cum fundata bene responsione.

Sic enim, dum ex una parte scimus, ea quae dubia sunt non urgere in praxi iuris canonici, hoc non putabitur, velut fit a non paucis, velut materia incertitudini subiecta ut plurimum.

De obiecto huius IV Libri, sunt speciali mentione digna post Codicis promulgationem, quae sequuntur opera.

Inprimis Praelectiones de iudiciis ad poenis optime digestae ab Emo Card. Lega, nunc Praefecto S. Congregationis de Sacramentis. Item: laudatum est opus clar. P. Iosephi Noval O. P., quondam Professoris mei, in quo tradidit Commentarium in Primam Partem huius Libri IV, ac demum opus

incoeptum a clar. Professore in facultate iuris canonici apud S. Appollinarem, D. Roberti.

Si operibus huiusmodi evolvendis insistas, benevole lector, non parvam processuum eruditionem tibi comparabis, quae iuvari poterit diversis opellis, quae Decretum « Maxima cura » S. Congr. Consistorialis, et alia Decreta circa suspensionem ex informata conscientia, et processum oeconomicum in causis clericorum, iamdiu prodierunt.

His dictis, tibi ominor ut valeas.

Romae, Collegio Angelico die 5 Aprilis 1927.

FR. ALBERTUS BLAT, O. P.

LIBER QUARTUS
DE PROCESSIBUS

PARS PRIMA
DE IUDICIIS

CAN. 1552. - § 1. Nomine iudicii ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio.

§ 2. Obiectum iudicii sunt:

1.° Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta iuridica declaranda; et tunc iudicium est *contentiosum;*

2.° Delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam; et tunc iudicium est *criminale.*

CAN. 1553. - § 1. Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit:

1.° De causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas;

2.° De violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem;

3.° De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes ad normam can. 120, 614, 680.

§ 2. In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni.

CAN. 1554. - Actor, qui causas mixti fori ad iudicem ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert, congruis poenis puniri potest ad normam can. 2222 et privatur iure contra eandem personam de eadem re et de connexis causam agendi in foro ecclesiastico.

CAN. 1555. - § 1. Tribunal Congregationis S. Officii suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet; et etiam inferiora tribunalia, in causis quae ad S. Officii tribunal spectant, normas ab eodem traditas sequantur oportet.

§ 2. Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur.

§ 3. In iudicio pro dimissione religiosorum serventur praescripta can. 654-668.

1. Inscriptio Libri. — Ex his quae diximus in Commentario Textus, quando Codicis divisio fuit exposita [1], patet connexio huius Libri quarti cum praecedentibus. Quia vero sub isto sunt

[1] Vol. Normae generales, n. 48.

positi canones servandi ad poenas iuste infligendas criminosis vel easdem tamquam incursas declarandas, suadetur prioritas materiae huius Libri attributa erga obiectum Libri quinti.

Processus idem sonat atque actus progrediendi in itinere vel mari usquequo in terminum quiescat. Hinc in rebus humanis recte intelligitur complexus actuum, qui successive ponuntur ad aliquem consequendum finem. In iure igitur canonico proprie sic appellaretur « series actuum qui secundum ss. canones peragendi sunt successive ad aliquem finem cum interventu auctoritatis ecclesiasticae ». Verba « series actuum qui peragendi sunt successive » in omni humano processu requiritur, sed quia de iuridico processu sermo est, ut sint illi actus concordes legibus oportet atque finis ad quem tendunt iuris complementum consequatur ex supradicto interventu.

Tales processus iuveniuntur in pluribus ss. canonibus etiam aliorum librorum praescripti, v. gr. ad provisionem paroeciarum per concursum, vel officiorum per electionem, vel ad ordinum collationem, etc. Praeter hos qui ex paucis legibus eruendi sunt, specialem considerationem atque extensam tractationem expostulant, illi quos significare intendit *Liber IV* inscriptus propter canonum obiectum *De processibus*. Continet ergo normas servandas quoad « seriem actuum qui ponendi sunt sub quodam ordine et a designatis personis ad certas controversias dirimendas vel quaedam negotia expedienda per auctoritatem legitimi Superioris ecclesiastici ». Inde sequitur canones huius Libri moderari hanc auctoritatem, designare illas personas, edicere limites controversiarum ac negotiorum, praescribere actus et eorum ordinem.

2. Libri divisio in partes. — Vi nominis controversia minus quam inter duos haberi non potest, qui mutuo adversentur, quod in negotiorum expeditione non est necesse. Illa contradictio potest in Ecclesia exoriri multiplici ex motivo, quod bonum privatorum vel diversarum personarum respiciat aut quod Ecclesiae ipsius bonum magis directe attingat. Ad haec omnia se extendit *Pars prima. De iudiciis*. Expeditio vero quorumdam negotiorum, nempe eorum quae ad maiorem iusti et aequi tutelam, requirunt legislatoris laborem praevium ad praecidenda efficaciter inconvenientia quae facile oriri possent, reservata est *Parti tertiae*, cuius inscriptio *De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis*, sic completur *vel sanctionibus poenalibus applicandis*, quatenus in huiusmodi processibus interesse privatarum personarum cum Ecclesiae ipsius bono multoties implicatur. Quia vero sunt quaedam expedienda negotia, quae publicum Ecclesiae bonum, nempe

fidem cultu publico manifestandam specialiter respiciunt, hinc Ecclesia voluit ut in contradictorio iudicio pertractarentur, atque sic accuratius examinatis vitis Servorum Dei, omnia adhiberentur media, quantum permittit humana fragilitas, ut vitentur quae de veneratione Sanctorum essent summe reprobanda. Propter quod interiecta fuit *Pars secunda* inscripta *De causis beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum.*

3. Partis primae inscriptio est *de iudiciis.* D. Th. [1] ait: « iudicium proprie nominat actum iudicis, inquantum iudex est; iudex autem dicitur, quasi ius dicens; ius autem est obiectum iustitiae, ut supra habitum est (qu. LVII, art. 1) [2]. Et ideo iudicium importat, secundum primam nominis impositionem, definitionem vel determinationem iusti, sive iuris ». Iustitia vero est « perpetua et constans voluntas ius suum cuique tribuendi », ac propterea non minus illo proprie debito iure quantumvis parvum, nec maius quidquam ex iustitia tribuendum. Hinc sequitur « iudicium » proprie duo secumferre, videlicet certitudinem, quae verbis « definitionem vel determinationem » designatur, et aequalitatem inter id quod tribuitur et illud quod iure subiectivo exigitur. Non ergo mirari debemus vocabulum « iudicium » accomodatum fuisse ad alias significationes, quandocumque ob analogiam illa duo inveniri aliqualiter possint elementa, vel saltem propter relationem ad propriam significationem [3].

Igitur inscriptio supra dicta ex subordinatione ad aliam de processibus latiorem propria significationem innuit, nempe: de processu iudiciali. Pluraliter autem exprimitur, eo quod plures iidem sint, tum diversi propter diversas normas eorum, tum etiam propter materiam eorum vel personas interessentes, illis et his exigentibus distinctorum praescriptorum applicationem.

4. **Canones praeliminares.** — Illam iuridicam significationem edicit can. 1552 notionem exhibens iudiciorum de quibus in hac Parte agitur. Can. 1553 circumscriptionem accuratam eorum patefacit secernens illa a civilis societatis iudiciis. Attamen cum ratio materiae communis quandoque utrique societati libertatem relinquat fidelibus unius alteriusve potestatem iudicialem invocandi, can. 1554 decori Ecclesiae uti societatis superioris prospicit, quin praedictae libertati obstet. Demum antequam de iudiciis canones proponat, pro quibus hi promulgentur perspicue demonstrat.

5. Iudiciorum significatio canonica. — Sic legimus in cap. 10 « de verborum significatione » (V. 40) in Decretalibus: « Forus

[1] II-II, quaest. LX, art. 1 corp. — [2] Vide in hoc Comment. Textus: Vol. I, num. 2, a). — [3] P. Noval O. P. De iudiciis, num. 10.

est exercendarum litium locus... Constat autem forus causa, lege et iudicio. Causa a casu quo venit dicitur. Est enim materia et origo negotii, necdum discussionis examine patefacta: quae dum proponitur causa est, dum discutitur iudicium, dum finitur, iustitia. Vocatur autem iudicium quasi iurisdictio, et iustitia quasi iuris status. Iudicium autem prius inquisitio vocabatur, unde et auctores iudiciorum praepositos, quaestores vel quaesitores vocamus ». Optime igitur ait *can. 1552, § 1. Nomine iudicii ecclesiastici*, quatenus distinguitur a iudicio saeculari seu civili, nempe in huiusmodi societate usitato, et « secundum propriam verborum significationem » (can. 18) *intelligitur* vulgo, apud Auctores et in iure tum antiquo tum Codicis praesertim a) *controversiae* ob contentionem saltem inter duas personas exortam b) *in re* practica, non doctrinali, nec sumenda stricto sensu sicut « de rebus in tertio libro (Codicis) agitur » (can. 726), sed lato sensu prouti comprehendit praeter illas iura, facta, delicta seu officiorum quorumdam transgressiones, uno verbo: materiam iudiciorum, sub hac vero limitatione: *de qua Ecclesia* qua societas hominum *ius habet cognoscendi* utpote de re suae iurisdictioni subiecta, proinde c) *coram tribunali ecclesiastico*, quod pro persona iudicandi publica Ecclesiae potestate ornata sumendum est, d) *legitima* idest: secundum ss. canones proindeque iusta quoad rem et formam *disceptatio* a sibi mutuo contradicentibus, sed inspiciente atque examinante iudice quia *et* ab eodem prodire debet obligatoria, utpote « iustitia » in casu seu illius « controversiae » *definitio*.

Controversia quam iudicium respicit potest versare tum circa personas, qua tales idest: in earum iuribus, officiis, et actibus secundum leges moderandis, seu circa subiectum Libri II Codicis, tum circa res de quibus est Liber III. Hinc expositurus codificator virtualitatem illius clausulae « in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi » seu amplitudinem potestatis iudiciariae Ecclesiae, incipit a personis § 2 aiens. *Obiectum iudicii* ex contextu « ecclesiastici », sed simplex assertio sequens sub duobus numeris valeret quoque de iudicio saeculari, utpote materia « controversiae » *sunt* disiunctive:

1° *Personarum physicarum* idest: tales « baptismate constitutae » (can. 87), *vel moralium* seu « publica (Ecclesiae) auctoritate constitutae, quae distinguuntur in personas morales collegiales et non collegiales » (can. 99), a) *iura* subiectiva (seu facultates morales) singula « christianorum » vel ob sacros canones superaddita, *persequenda* quoad eorum recognitionem utilem vel

efficax exercitium, *aut vindicanda*, si ab alio impugnentur iniusteque exerceri praesumantur etsi bona fide, b) *vel earumdem* (prout supra eae distinctae sunt) *personarum* singula *facta iuridica*, idest quod iuxta sacros canones sint, *declaranda*, ac unumquodque ex praedictis non iam doctrinaliter sed authentice; *et tunc iudicium est contentiosum*, quia sic appellatur ab omnibus equidem ob contentionem coram iudice partium quibus « iura aut facta » intersunt;

2° *Delicta*, sicut « iure ecclesiastico intelliguntur » ad normam can. 2195, § 1, tantummodo « publica » (can. 2197, 1°) propter canonem 1933 § 1, atque *in ordine ad poenam* medicinalem, vindicativam, sed accessorie, poenitentiam etiam et remedium poenale; a) *infligendam*, si « sanctio canonica » fuerit « ferendae sententiae », tum determinata, tum indeterminata, (can. 2217, § 1, 2° 1°), b) *vel declarandam*, quando iam incursa fuerit, quia « latae sententiae »; *et tunc iudicium est criminale*, quemadmodum in foro quoque saeculari vocatur.

Hoc obiectum fuit declaratum per Pont. Commissionem ad Cod. canones authentice interpretandos [1]. Nam ad dubia « 1° Utrum ad normam cann. 1552-1601 institui possit actio iudicialis contra Ordinariorum decreta, actus, dispositiones, quae ad regimem seu administrationem dioecesis spectent, ex. gr. provisionem beneficiorum, officiorum, etc., aut recusationem seu denegationem collationis beneficii, officii, etc.

Et quatenus negative,

2° utrum ob eiusmodi decreta, actus, dispositiones, actio iudicialis institui possit saltem ratione *refectionis damnorum;* et proinde Ordinarius conveniri possit, ad normam can. 1557, § 2 et 1559, § 2, penes Tribunal S. Romanae Rotae.

Resp. *Negative ad utrumque* et ad mentem. Mens est: exclusive competere Sacris Congregationibus cognitionem tum huiusmodi decretorum, actuum, dispositionum, tum damnorum, quae quis praetendat ex iis sibi illata esse. »

6. Limitatio ac distinctio potestatis iudicandi, quam habet Ecclesia, magis patefit et praesertim quoad res, dum additur *can. 1553, § 1, Ecclesia*, qua societas a Iesu Christo condita *iure* (nempe: cum potestate publica) *proprio*, quatenus hoc fuit ei collatum a suo Divino Fundatore, illiusque naturae congenitum, non a potestate civili, nec a fidelium multitudine derivatum, *et exclusivo*, quia de sequentibus nemo extra Ecclesiam iurisdictione,

[1] 22 Maii 1923, CO. XVI, 251.

qua illa *cognoscit* per legitimam « disceptationem » ac ut « definitio » subsequatur, pollet, vel saltem « ut legitimus Superior possit aliqua iusta poena punire » (can. 2222, § 1), nam utrumque ex contextu numerorum infra positorum eruitur:

1° *De causis*, nempe « controversiis, dum hae proponuntur examini discussionis » (textu cit. Decretalium), *quae respiciunt* seu habent pro obiecto a) *res spirituales* « intrinsece, ex. gr. Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias, etc. » (can 727, § 1), ac proinde, utpote ad supernaturalem vitae spiritualis utilitatem immediate ordinatae, ad societatem ecclesiasticam pertinentes, *et* b) *spiritualibus* adnexas, qua tales, tum « ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr. beneficium ecclesiasticum, etc. » (can. 727, § 1), quae adnexio distinguitur a Doctoribus consequenter et concomitanter, tum quia « res temporalis tanquam subiectum habeat adnexum aliquid spirituale, ex. gr. calix consecratus » (can. 730), quam adnexionem designant Canonistae per verbum antecedenter;

2° *De violatione* a) *legum*, quae per actionem omissionemve accidere potest; sed *ecclesiasticarum* quarumlibet, sive « quibus addita sit sanctio canonica saltem indeterminata » (can. 2195, § 1), proindeque violatio constituat delictum, sive non sint leges illae poenales, eo quod etiam subiungitur *deque omnibus* b) actibus vel omissionibus equidem externis, utpote cognoscendis, *in quibus inest ratio peccati* equidem ob transgressionem legis divinae qua ius gentium quoque et subordinationem potestatibus sublimioribus continens, quamvis per legem ecclesiasticam praevisa illa non fuerit expresse, sed de singulis sub hoc numero *quod attinet ad* a) *culpae* moralis *definitionem* seu peccati, non iam « culpae » quae causat imputabilitatem delicti (can. 2199), nam talis « culpa » abesse potest eis sub littera *b*) « in quibus inest (solum) ratio peccati » *et* b) *poenarum ecclesiasticarum* quarumlibet sub can. 2216 enunciatarum *irrogationem* a Superiore potestatem coactivam habente.

Idipsum expresse invenitur in cap. « Novit ille » 13 « de iudiciis » (II, 1) X: « Cum enim non humanae constitutioni sed divinae potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanae mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque peccato mortali, corripere quemlibet christianum; et si correctionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere ».

In praedictis subintelligitur agi de baptizatis, quos respiciunt canones, quia Ecclesia cum Apostolo profitetur: « Quid

mihi de his qui foris sunt iudicare? » sed « ex ipsa natura rei etiam Ecclesiam orientalem (praescriptum) afficit » (can. 1). Ex dictis in huius canonis duobus praec.[s] numeris patent termini ratione controversiae vel causae quos habet forum externum iudiciale Ecclesiae proprium, et quibus optime secernitur ab eodem foro saeculari. Huic ex consequenti propriae sunt causae quae respiciunt res temporales, nec spiritualibus adnexas modo declarato, atque violationes legum civilium etiam quoad poenarum per eas statutarum irrogationem. Quae competentia intelligatur in respectu ad subditos Ecclesiae.

Attamen dicti limites causa personarum mutationem sustinent sub n. 3°. *De omnibus causis*, ergo in foro iudiciali, atque subaudiendum de illis etiam, quas foro saeculari adiudicavimus, a) *sive contentiosis*, seu quarum « obiectum » est in canone praec. expressum sub n. 1° §[i] 2[i], b) *sive criminalibus* cognoscendis ex verborum cit[i] can[is] tenore sub n. 2°, *quae respiciunt* uti partes in iudicio *personas* in Ecclesia *privilegio fori*, scilicet: eo quod praeter communem fidelium sortiuntur in hac re favorem, seu ecclesiastico foro *gaudentes*, quia illo non sunt canonice orbatae, sed *ad normam* idest: prout explicata sunt ibidem quoad fundamentum privilegii, quoad illas personas, conditiones atque privilegii exceptionem ac limitationem praescripta *can. 120* de clericis, *614* de religiosis, etiam laicis ae novitiis, *680* de sodalibus societatis sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.

Leo XIII in ep. encycl. « Immortale Dei » [1] sic docet: « Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima; habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura caussaque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse [2]. Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt ». Harum rerum controversiae singulares ac sequutura iudicia vocantur mixti fori, nempe tum fori ecclesiastici tum fori civilis.

[1] 1 Nov. 1885. Acta Leonis XIII, vol. V, pag. 127, 128. — [2] Ad Rom. XIII, 1.

Prosequitur infra idem Pontifex Summus: « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Jesus Christus iusserit, quae Caesaris sunt, reddi Caesari, quae Dei, Deo ». In foro externo iudiciali, quo modo causae fori ecclesiastici ab aliis fori civilis secernantur iam declaratum est supra in § 1°.

Quaenam in particulari causae sint mixti fori pertinet ad disciplinam iuris publici ecclesiastici edocere, atque nonnulli canones edicunt vel occasionem offerent quidquam ex illa delibandi opportune. Interim vero, sic exponatur § 2. *In causis* declaratis sub initio n^{i} 1^{i} in § 1, *in quibus tum Ecclesia* velut subiectum iurisdictionis in foro externo *tum civilis potestas* qua iudicialis *aeque competentes sunt* iure, videlicet: « in causis sive contentiosis sive criminalibus clericorum aliorumve privilegio fori gaudentium » (§ 1, n. 3°), quas sive « ob initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones » (can. 3) cessit Ecclesia iudicandas foro saeculari, sive « pro locis particularibus legitime provisum fuerit » aliter ac in can. 120 § 1, itemque « in causis » aliorum fidelium vel criminalibus cum transgressione iuris naturalis, vel contentiosis inter fideles quas Ecclesia diiudicare potest iuxta quod legimus apud S. Matthaeum (c. XVIII, v. 15-17) propter Apostoli sententiam: « Nescitis quoniam angelos iudicabimus, quanto magis saecularia? » [1]; aliasve, si quae sint ac in specie cognoscendae iuxta sequentem clausulam: *quaeque dicuntur* equidem a canonistis *mixti fori* sensu antea declarato. Igitur in praedictis *est locus praeventioni* iuxta reg. 54 juris in 6°: « Qui prior est tempore, potior est iure » ad causam talem diiudicandam.

6bis. Defensio canonica iudicandi ob praeventionem in causis mixti fori. Martinus V in const. « Ad reprimendas » [2] ait: « Nos igitur adversus talia praesumentium temeritatem remedia apponere,... ac Conc. Milevitani ac fel. rec. Innoc. PP. III... constitutionibus super hoc editis, auctoritate aplca... tenore praesentium statuimus... quod omnes ac singulae personae ecclesiasticae saeculares et regulares... quacumque exceptione suffultae,... quavis praefulgeant dignitate, quae aliam personam ecclesiasticam, collegium vel conventum; in actione (qualibet)...

[1] I ad Corinth. VI, 1. — [2] 1 Febr. 1428, § 3.

ad forum sive iudicium laicale, directe vel indirecte (de qua in foro ecclesiastico ordinari consueverit, possit vel debeat, de iure vel de consuetudine, aut alias cognosci) trahere praesumpserit, causam ipsam et omne ius ei sive eis, in possessorio vel petitorio, in re vel ad rem, causa vel occasione huiusmodi quomodolibet competentes, eo ipso perdant penitus et amittant », atque censurae adduntur ipso facto incurrendae.

Ad huius const.s similitudinem statuit *can. 1554. Actor*, nempe: ille qui controversiam defert ad iudicem ut instauret iudicium, sive laicus, sive religiosus, *qui causas mixti fori* quaslibet *ad iudicem ecclesiasticum deductas* cum effectu quidem, ita ut hic qua talis manus in singulis apposuerit primo saltem actu citationis ad comparendum in iudicio, prout illarum natura permittit, *ad forum saeculâre* contra fori ecclesiastici praeventionem *iudicandas* seu ad tribunal civile *defert*, a) *congruis poenis* secundum circumstantias facti *puniri potest*, quin iubeatur, *ad normam can. 2222* tunc explicandum, b) *et privatur* per hunc canonem *iure* subiectivo, seu actione, quia dicitur *contra eandem personam* quam provocavit apud « iudicem ecclesiasticum » *de eadem re*, scilicet: iure, vel negotio controverso, ut in eo puniatur, in quo peccavit, *et*, ut sentiat poenam, *de connexis* cum « eadem » *causam agendi*, seu uti actor, quocumque ex praetextu *in foro ecclesiastico* apud aliud quoque tribunal a priore distinctum.

7. Quaenam personae publicae obligentur sequentibus normis decernit *can. 1555*. Ex normis peculiaribus de reordinatione Curiae Romanae [1] desumptus est ad verbum § 1 in prima sui parte. *Tribunal Congregationis S. Officii* de qua est can. 247 « in iudicio ferendo de criminibus haeresis aliisve suspensionem haeresis inducentibus » (loc. cit.), vel circa « ea quae,... circa privilegium, uti aiunt, Paulinum et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur », quandocumque « cognoscit ea iudicialiter », *suo more* iuxta antiquitatem illius competentiae *institutoque*, scilicet sub secreto ipsius Congregationis proprio ac servatis decretis Romanorum Pontificum, quae eamdem moderentur, *sibique propriam consuetudinem* in modo procedendi *retinet*, proindeque illud Tribunal in hac Codicis parte non comprehenditur; imo *et etiam inferiora* ipso *tribunalia*, nempe Ordinariorum, non iam « Tribunal Sacrae Romanae Rotae », quando « quaestionem Congregatio S. Officii remitteret » ad normam can. 247 § 3, *in omnibus* criminalibus causis tantum-

[1] Ordo servandus... 29 Sept. 1908. Pars. II, cap. VII, art. 1º, n. 6º.

modo *quae ad S. Officii tribunal spectant*, ut supra relatum est, *normas ab eodem*, sive ad sumendas informationes ac testimonia de crimine sollicitationis, sive ad poenas ob hoc imponendas, sive ad inquisitiones de haeresi huiusque suspicione peragendas, atque de his delictis iudicandis puniendisve, etc. *sequantur oportet* eis modo obligatorio vel directivo, prout eaedem latae fuerunt per diversas instructiones, epistolas vel decreta, quae apud Auctores inveniri queunt, nisi fuerint singulares aut secreto premendae.

§ 2. *Cetera tribunalia*, etsi Curiae Romanae sint, in causis sub § 1° non exceptis, ut patet, *servare debent* sub obligatione, quam prae se ferunt *praescripta canonum qui sequuntur* in partibus prima et secunda.

Admonet § 3 ad canonis perfectionem. *In iudicio* proprie tali *pro dimissione religiosorum*, « qui vota perpetua sive sollemnia sive simplicia nuncuparunt in religione clericali exempta » (Lib. II, tit. XVI. cap III) *serventur praescripta can. 654-668*, nempe integri citati capitis, atque notetur in can. 664 § 1 inveniri clausulam « instruatur processus (post accusationem propositam), servatis praescriptis canonum in Parte prima Libri Quarti, congrua congruis referendo ». Et hoc curavimus adnotare data singulorum canonum opportunitate.

SECTIO I.

De iudiciis in genere.

TITULUS I.

De foro competenti.

CAN. 1556. - Prima Sedes a nemine iudicatur.

CAN. 1557. - § 1. Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi:

1.° Eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum;

2.° Patres Cardinales;

3.° Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares.

§ 2. Tribunalibus vero Sedis Apostolicae reservatur iudicare:

1.° Episcopos residentiales in contentiosis, salvo praescripto canon. 1572, § 2;

2.° Dioeceses aliasve personas morales ecclesiasticas quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, uti religiones exemptas, Congregationes monasticas, etc.

§ 3. Alias causas quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium, videt iudex quem ipsemet Romanus Pontifex designaverit.

Can. 1558. - In causis de quibus in can. 1556, 1557, aliorum iudicum incompetentia est *absoluta*.

Can. 1559. - § 1. Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram iudice ecclesiastico qui competens sit ob unum ex titulis qui in can. 1560-1568 determinantur.

2.° Incompetentia iudicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur *relativa*.

§ 3. Actor sequitur forum rei; quod si reus multiplex forum habeat, optio fori actori conceditur.

Can. 1560. - Forum necessarium habent:

1.° Actiones de spolio, coram Ordinario loci rei sitae;

2.° Causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale, coram Ordinario loci beneficii;

3.° Causae quae versantur circa administrationem, coram Ordinario loci ubi administratio gesta est;

4.° Causae quae respiciunt hereditates aut legata pia, coram Ordinario loci domicilii testatoris, nisi agatur de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.

Can. 1561. - § 1. Ratione domicilii vel quasi-domicilii quilibet conveniri potest coram Ordinario loci.

§ 2. Ordinarius autem domicilii vel quasi-domicilii iurisdictionem in subditum, quamvis absentem, habet.

Can. 1562. - Qui peregrinus est in Urbe, licet per breve tempus, potest in ipsa tanquam in proprio domicilio citari; sed ius habet revocandi domum, idest petendi ut ad proprium Ordinarium remittatur.

§ 2. Qui in Urbe ab anno commoratur, ius habet declinandi forum Ordinarii et instandi ut coram Urbis tribunalibus citetur.

Can. 1563. - Vagus proprium forum habet in loco ubi actu commoratur; religiosus in loco domus suae.

- Titulus I. De foro competenti
  - quoad personas
    - supremam in Ecclesia — Can. 1556
    - in dignitate constitutas et morales — » 1557
    - ac competentiae huius natura — » 1558
    - ceteras — » 1559
  - circa causas quae forum necessarium habent — » 1560
  - ratione
    - loci
      - domicilii vel quasi domicilii — » 1561
      - quoad peregrinos — » 1562
      - commorationis vagorum — » 1563
    - rei sitae — » 1564
    - contractus — » 1565
    - delicti — » 1566
    - connexionis causarum — » 1567
    - praeventionis inter iudices — » 1568

CAN. 1564. - Ratione rei sitae pars conveniri potest coram Ordinario loci, ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa sit.

CAN. 1565. - § 1. Ratione contractus pars conveniri potest coram Ordinario loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet.

Sectio I. De iudiciis in genere
- apud quaenam tribunalia pertractandis: Tit. I. De foro competenti.
- quoad personas
  - tribunal constituentes
    - diversitas: Tit. II. De variis tribunalium gradibus et speciebus.
    - praecepta: Tit. III. De disciplina in tribunalibus servanda.
  - contendentes: Tit. IV. De partibus in causa.
- circa processus
  - initium
    - motivo diversorum iurium: Tit. V. De actionibus et exceptionibus.
    - ex parte
      - provocantis: Tit VI. De causae introductione.
      - provocati: Tit. VII. De litis contestatione.
    - cum effectu
      - in se: Tit. VIII. De litis instantia.
      - per iudicem: Tit. IX. De interrogationibus partibus in iudicio faciendis.
  - prosequutionem
    - per diversa media: Tit. X. De probationibus.
    - quoad emergentia: Tit. XI. De causis incidentibus.
    - ob disceptationem: Tit. XII. De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione.
  - terminum
    - ex parte iudicis: Tit. XIII. De sententia.
    - per definitionem
      - instabilem: Tit. XIV. De iuris remediis contra sententiam.
      - firmam: Tit. XV. De re iudicata et de restitutione in integrum.
  - impensas subeundas: Tit. XVI. De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio.
- quoad ius ibi dictum: Tit. XVII. De executione sententiae.

§ 2. In actu autem contractus permittitur contrahentibus, obligationis declarandae, urgendae vel implendae gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint.

Can. 1566. - § 1. Ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti.

§ 2. Licet post delictum reus e loco discesserit, iudex loci ius habet illum citandi ad comparendum, et sententiam in eum ferendi.

Can. 1567. - Ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae, nisi legis praescriptum obstet.

Can. 1568. - Ratione praeventionis, cum duo vel plures iudices aeque competentes sunt, ei ius est causam cognoscendi qui prius reum legitime convenit.

8. Divisio Partis in Sectiones et inscriptio primae. — Tractaturus Codex de iudiciis, cum maximam extensionem materia huiusmodi requirat, iuxta ordinem logicum divisionem facit in duas Sectiones. Etenim normae plurimae sunt quae in iudiciis quibuslibet servandae sunt, et has continet *Sectio prima*, cuius inscriptio *De iudiciis in genere* illam habet significationem. Videlicet canones sub ea positi utilitatem practicam habent et opportune servandi sunt in causis sive iudicia contentiosa sint sive criminalia, de iuribus sint controversiae vel de facti iuridici declaratione disceptetur, imo et de quibuscumque rebus quae sint materia causarum. Verumtamen accidere potest, ut pro quibusdam iudiciis necesse sit illorum modificationes, exceptiones, vel diversas normas esse legislatoris iudicio servandas, et propterea, quando hae vel istae nequiverunt in prima sectione facile adnotari, vel etiam si ordo canonum postulabat alio in loco fore inserendas, codificator easdem coadunavit sub *Sectione secunda*, sicuti exprimit ipsius sequens inscriptio. *De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis.*

9. Divisio Primae Sectionis in titulos. — Ex definitione processuum eruitur iudicia quoque sub his implicita constitui ordinata successione actuum positorum cum auctoritatis iudicialis interventu sed his omnibus ad ss. canonum normam exactis, Illa ergo diversa stadia iudiciorum codificator prae oculis habuit pro distributione canonum, et hoc a Titulo VI. Sed prius fuit opus eorum actuum subiecta considerare, qui cum in disceptationem saltem duorum ac definitionem iudicantis sint destinati vel contenti, de hoc et de illis duobus fuerunt canones praevie cognoscendi. Itaque ad iudicem respectum habent *Tit. I. De foro competenti*, *Tit. II. De variis tribunalium gradibus et speciebus*, *Tit. III. De disciplina in tribunalibus servanda*. His omnibus rite dispositis, facilis erit intelligentiae *Titulus IV. De partibus in causa*, quae in tribunali determinato pro huius diversitate se si-

stent ibidemque causam discutient equidem iure ad hoc eis per ss. canones tributo. Hinc optime praecedenti statim coniungitur *Titulus V. De actionibus et exceptionibus.* Porro in qualibet successione rerum vel actionum possumus facilem pro praxi distinctionem invenire per initium, medium et finem. Quia ergo de processu iudiciali ordinando Codex a sequenti titulo incipiet, praeponitur *Titulus VI. De causae introductione*, quae fuit ab una persona inter eas quae mutuam habent controversiam. Haec vero patefit auctoritati iudiciali per inscriptionem, quam fert *Titulus VII* nempe: *De litis contestatione.* Effectum immediatum similis contestationis *Titulus VIII* considerat inscriptus *De litis instantia.* Denique initium iudicii quandoque exposcit quod exprimit *Titulus IX. De interrogationibus partibus in iudicio faciendis*, quae omnes moderantur hoc in loco propter connexionem cum personis, quae peragunt dicta in titulis proxime praecedentibus.

Iudicio semel incepto, necessaria est causae disceptatio, cuius elementa diversa perpendit *Tit. X De probationibus.* Cum vero in decursu iudicii queant insurgere superanda obstacula, haec non praeterierunt codificatori ideoque adiunctus est *Tit. XI. De causis incidentibus.* Atque hoc modo planam viam invenit *Tit. XII*, qui formale continet stadium medium iudicii, dum inscriptus est *De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione.* Praecipua iudicii pars ac simul terminus consideratur formaliter quando inscribitur *Titulus XIII. De sententia*, quae cum ab homine detur qui decipi et deficere potest, iustitiae securitas poscit *Tit. XIV. De iuris remediis contra sententiam.* Hinc sequitur determinandam esse illius sententiae firmitatem, quod edocet *Tit. XV. De re iudicata et de restitutione in integrum.* Semel finito iudicio, Codex pro more suo providet quae ad huiusmodi canonum adimplementum ex rebus temporalibus erunt necessaria, proinde *Titulus XVI inscribitur. De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio*, eo quod reliquum est perficiendum ab Ordinario, etsi iudicio non intercesserit, nempe quod ait *Tit. XVII. De executione sententiae.*

10. Inscriptio Tituli I et ordo canonum. — Ut in principio vidimus ex Decretalibus [1] « Forus est excercendarum litium locus ». Cum haec loca debeant esse necessario quamplurima iuxta pluralitatem eorum qui gaudent iudiciaria potestate in Ecclesia, opus fuit per leges designare apud quosnam certos de-

[1] Cap. 10 « de verborum significatione » (V, 40).

beant singula iudicia evolvi. Hoc innuit inscriptio, quam habet *Titulus I. De foro competenti* idest de tribunali apud quod singuli iudiciales processus sint peragendi.

Supposita tribunalium distributione in Dei Ecclesia, pronum est competentiam fori diiudicandam esse pro singulis causis vel ratione personarum, quae in iudicio parent vel ratione obiectorum illarum. Ac revera circa illas competentia decernitur in can. 1556, 1557, addito can. 1558 de natura huius competentiae. Regula generalis competentiae fori statuitur in can. 1559, quem alii subsequuntur de his diversis praemittendo can. 1560, qui velut exceptio praecedentis considerari potest atque determinatas respicit causas, quae nempe « forum necessarium habent », ac est can. 1560. Ratione commorationis personae in iudicium vocandae, tres sunt conditi can. 1561-1563, quos sequuntur in eodem numero, « ratione rei sitae » (can. 1564-1566), « ratione contractus » et « ratione delicti ». Denique perpenduntur rationes seu tituli « connexionis » inter causas et « praeventionis » inter competentes eiusdem causae iudices in can. 1567, 1568.

11. Quoad Summum Pontificem est memoranda Extrav. communis « Unam sanctam » 1ª « de maioritate et obedientia » (I, 8) ubi dicitur: « de Ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Hieremiae: Ecce constitui te hodie super gentes et regna, etc. quae sequuntur. Ergo si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali, sed si deviat spiritualis, minor a suo superiori. Si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur. Est autem haec auctoritas (et si data sit homini, et exerceatur per hominem) non humana, sed potius divina ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso, quem confessus fuit petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: Quodcumque ligaveris, et cetera. Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit... »

Inde Conc. Vaticanum sic loquutum est: [1] « Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praecst, docemus etiam et definimus, eum esse iudicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri; Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio ».

[1] Sess. IV cap. III, de vi et ratione primatus Romani Pontificis.

In can. vero 21. Conc. Constantinopolitan. IV, actione X legitur: « Porro si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quaevis ambiguitas et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quaestione sciscitari et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romae Pontifices ».

His et aliis infra citandis textibus est intelligendus *can. 1556 Prima* velut « Apostolici Primatus iure » donata Romana *Sedes*, idest: unusquisque « Romanus Pontifex qui (eiusdem vi) universae Ecclesiae praest », et ipsa « sancta Romanorum Ecclesia » eo quod « prima » seu omnium Ecclesiarum mater et magistra, *a nemine* etiam qui praeditus inveniatur publica potestate civili (fortassis suprema omniumve nationum simul) vel ecclesiastica, et ipsius Concilii Oecumenici Patres omnes praeter Romanum Pontificem, idest: per nullam ab homine excercitam potestatem valide *iudicatur*, sic ut nec processus valeat, nec sententia Romanum urgeat Pontificem. Praescriptumque illustratur cap. 12 « de iudiciis » (II, 1) aiente Innoc. III: « Cum super privilegiis Sedis Apostolicae causa vertatur, nolumus de ipsis per alios iudicari ».

Adeoque large interpretamur illum canonem, ut sententiam servemus huiusmodi: Romanum Pontificem in omnibus causis contentiosis et criminalibus ratione suae supremae dignitatis esse immunem etiam in eiusdem privatis iuribus et obligationibus a qualibet potestate iudiciaria. Ratio est, quia solummodo iuri divino subiicitur, non legibus civilibus quae infra eumdem sunt, nec ecclesiasticis quatenus sententia iudicis hac urgeri queant. Unde remanet dicendum pertinere ad eiusdem arbitrium, ut aliis delegare possit propriam supremam iurisdictionem, ut authentice cognoscant de controversia, cuius ipse pars sit, ac dicant eidem quid debeatur in eadem uti iustum sequi.

12. Quoad personas in dignitate constitutas et morales quasdam determinat forum competens sumptum pro iudice seu tribunali *can. 1557*. § 1. *Ipsius* personae *Romani Pontificis dumtaxat*, exclusis quoque tribunalibus supremam exercentibus potestatem, *ius est iudicandi* proprie iuxta inscriptionem huius Partis, quod potest exercere per alium secundum regulam iuris 68 in 6°, tum sibi sententiam reservando, tum cum delegatione sententiam ferendi eamque exercendi; (imo si agitur de criminibus ad S. Officii Tribunal deferendis, ad processus efformationem saltem obtinuit habitualiter derivationem dicti iuris eadem S. Congregatio):

1° *Eos* viros aut mulieres, *qui supremum tenent actu populorum principatum*, qui supponit regimen monarchicum sub qualibet huius forma, *horumque filios ac filias*, quae omnia verba implicant coniugem principis et utriusque vel alterius tantum legitime genitos, qui ut tales dignitate principis participes sint, *eosve* etiam *quibus* supra non comprehensis, fortassis ob defectum filiorum *ius est* ob legem successionis *proxime succedendi* (nempe post actualem) *in principatum*. Cum hoc nequeat intelligi de forma regiminis in republica quacumque, non est sumendus principatus idem ac regimen supremum;

2° *Patres Cardinales* « a sua promotione in Consistorio (can. 239, § 1) quando creantur et publicantur a Romano Pontifice » (can. 233, § 1);

3° *Legatos Sedis Apostolicae*, tum illos « qui mittuntur cum titulo Nuntii aut Internuntii » (can. 267, § 1), tum eos « qui mittuntur cum titulo Delegati Apostolici » (can. cit. § 2), atque omnes sub tribus numeris hucusque comprehensos in causis tam contentiosis quam criminalibus, eo quod canon sic prosequitur: *et in criminalibus* (subintellige solis), tam quae sint « graviores... etiam haeresis, quod absit, quae depositione aut privatione dignae sunt », quam illae « minores criminales causae (de quibus ait Conc. Trid.) [1] in Concilio tantum provinciali cognoscantur et terminentur; vel a deputandis per Concilium provinciale »; « in criminalibus » igitur omnibus, nec solum « cum pro criminis obiecti qualitate comparere debeant » [2], reservantur iudicandae Romano Pontifici quoad *Episcopos* subaudiendo residentiales, quia dicitur: *etiam titulares*, atque hi omnes « ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis » (can. 349, § 1).

De S. R. E. Cardinalibus iam scripsit Eugenius IV in const. « Non mediocri » (an. 1439, § 18): « cum a nemine, nisi solo Papa iudicentur Cardinales, ipsi Patriarchas atque Archiepiscopos et reliquos Ecclesiae gradus, cum Summo Pontifice iudicant ». Hinc conveniens fuit ut eodem privilegio condecorarentur Legati Sedis Apostolicae, quorum multi sunt Episcopi titulares omnesque praeficiuntur ipsis Archiepiscopis territorii Legationis, quatenus personam Romani Pontificis repraesentant eiusdem particularem curam participantes. Demum dicente Apostolo, ut fideles honorem tribuant regi tanquam praecellenti, quod verum est coram civili societate in respectu quoque ad ipsos S. R. E. Cardinales suae ditionis, atque ob illius immunitatem a civili iu-

[1] Cap. 5, sess. XXIV de Ref. — [2] Conc. Trid. sess. XIII, cap. 8 de Ref.

dicio, decuit ipsum principem praefato iure perpetuo gaudentem aliosque ipsi intime coniunctos reservare iudicandos a Romano Pontifice, quandocumque casus contingat.

§ 2. *Tribunalibus vero Sedis Apostolicae*, idest: eius potestatem iudiciariam exercentes, quae sunt ordinarie « Sacra Romana Rota et Tribunal Signaturae Apostolicae » iuxta Art. 11, Lib II, quia hic agitur de iudiciaria potestate fori externi in contentiosis et criminalibus, atque extraordinarie seu pro Ecclesia orientali « Tribunal quod ipsa Congregatio designaverit » in Curia, *reservatur* prae omnibus aliis in Ecclesia *iudicare* proprie iuxta inscriptionem huius Partis:

1° *Episcopos* solum *residentiales in contentiosis* « iudiciis » (can. 1552, § 2, 1°), *salvo praescripto can. 1572* § 2; *nempe*: « si agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae »;

2° *Dioeceses*, eo quod « unius supremae ecclesiasticae potestatis est eas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere » (can. 215, § 1), *aliasve*, unde verba quae sequuntur « diocceses » quoque afficiunt, *personas morales* « collegiales (ut plurimum) et non collegiales » *ecclesiasticas*, utpote « publica Ecclesiae auctoritate constitutas » (can. 99), quae « aliae » solummodo « personae » *Superiorem* ecclesiasticum extra eas constitutum ac ordinarium earum *infra Romanum Pontificem non habent*, quae interpretatio confirmatur subsequentibus exemplis, *uti religiones* tum Ordines tum Congregationes clericales *exemptas* ad normam can. 615, 618, § 1, *Congregationes monasticas*, seu « plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctiones sub eodem Superiore » (can. 488, 2°), *etc.*

Bened. XIV in const. « Quamvis iusto » [1] de seipso testificatur: « Itaque quoties exorientium controversiarum natura Apostolicae auctoritatis iudicium requirere videtur, Nostramque operam, aliorum consilio adiutam, ad earum rectam decisionem haud inutilem fore iudicamus; eas ipsas ab inferioribus quibuscumque Iudicibus et Tribunalibus avocatas, cognitioni Nostrae reservare, ac iudiciali sententia probata, dirimere ac terminare consuevimus ».

Et hanc potestatem provenire ex « divino Apostolici primatus iure », sequitur, ex eo quod Patres Concilii Vaticani [2] « docent etiam et declarant Romanum Pontificem esse iudicem supremum fidelium, atque supremam eius protestatem iurisdictionis esse

[1] 30 Aprilis 1749. — [2] Const. « Pastor aeternus » De Ecclesia Christi Cap. III §§. « Et quoniam » atque « Si quis itaque dixerit ».

ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles ».

Atque Patres Conc. Trid. in cap. 20 sess. XXIV de Ref. postquam decreverunt normas ordinarie sequendas de competenti foro, prosequuntur his verbis: « Ab his excipiantur causae, quae iuxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandae, (videlicet: in §§ praecedentibus nunc insertae, praeter alias proprias S. Officii et Congr. pro Ecclesia orientali), vel quas ex urgenti rationabilique causa iudicaverit summus Pontifex per speciale rescriptum Signaturae Sanctitatis suae, manu propria subscribendum, committere aut avocare ».

De his ergo intelligendus est § 3. *Alias* praeter expressas generali lege *causas*, sive adhuc controversiae sint, sive introductae apud inferius tribunal, sive decurrente iudiciali processu, tum singulas *quas Romanus Pontifex* personaliter, sive utatur ministerio alterius personae, Tribunalis, Congregationis, Officiive Romanae Curiae, sive proprio authographo, *ad suum* propter iudiciariam potestatem ex Conc. Vaticano declaratam *advocaverit* fortassis per clausulam documenti, quo erigatur persona moralis, v. gr. Abbatia nullius, vel institutum ecclesiasticum singulare non collegiale, *iudicium* de illis peragendum ac sententia definiendum. Et hoc supponitur iure fieri; nam canonis praescriptum est: huiusmodi « causas » *videt iudex* unus vel collegialis, sive praevie sit talis, sive nunc fiat iurisdictionem recipiens necessariam, *quem ipsemet Romanus Pontifex* nunc pro illis causis, vel antehac in peculiari documento supra dicto *designaverit* ob singulare officium quo fungitur ille, vel per eius nomen, quando respicitur industria personae.

13. Inhabilitans lex habendus est *can. 1558. In causis* hucusque declaratis seu *de quibus* ratione personarum vel appositione manus Summi Pontificis agitur *in can. 1556, 1557, aliorum* ibi non designatorum per aliquam clausulam *iudicum* ob ecclesiasticam iurisdictionem vel civilem potestatem *incompetentia* ad illas cognoscendas et definiendas *est absoluta*, « ita ut ne obiter quidem de his (causis) cognoscere queant, et si tamen sententiam proferant, haec ipso iure sit nulla ». Sic enim explicit can. 17 Legis propriae [1] « de competentia Sacrae Romanae Rotae », praemissis verbis: « Defectus auctoritatis sacrae Rotae in videndis causis, de quibus in duobus canonibus praecedentibus est absolutus ». Canon vero 15 sic fuit redactus: « Causae maioros, sive

[1] De mandato speciali Pii X s. m. 29 Iunii 1908, CO. I, 24.

tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum, excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

14. Forum ordinarie competens per generalem normam designat *can. 1559* disciplinam referens praecedentem. Re vera Conc. Trid. postquam in praecedentibus sessionibus revocavit saltem partialiter per eius Decreta, potestatem sive iudicum conservatorum [1], sive ex privilegio [2] aut exemptione [3] in causis ecclesiasticis ad alios derivatam, sic statuit in cap. 20 sess. XXIV de Ref.: « Causae omnes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur ». Idem praescriptum invenimus a Leone X in Conc. Lateranen. V datum eius const. « Regimini universalis » [4] ubi affertur ratio, nempe: « cum ecclesiasticus ordo confundatur, si sua unicuique iurisdictio non servetur, ordinariorum iurisdictioni (quantum cum Deo possumus) favere, ac litibus finem celerius imponi, et litigantium immoderatis sumptibus et expensis parci satagentes, statuimus et ordinamus », sicut Conc. Tridentinum decrevit.

His congruens praescribit § *1. Nemo* inter subditos Ecclesiae praeter personas in can. 1557 exceptas, *in prima instantia* idest: quoad causam primo cognoscendam ac terminandam *conveniri potest* scilicet: obligari ad contendendum in ecclesiastico iudicio, *nisi coram* a) *iudice ecclesiastico* seu in Ecclesia praedito iudiciali potestate, sive ut singularis persona, sive ut collegium, b) *qui* ceteroquin *competens sit*, nempe: attentis causa iudicanda et personis contendentibus expeditum habeat praefatae iurisdictionis exercitium, utpote in causa singulari eidem subiecta *ob unum* saltem *ex* pluribus *titulis* seu motivis *qui in can. 1560-1568* sex *determinantur*, et qui a Doctoribus et a Codice appellantur: fori necessarii, domicilii vel quasi-domicilii, rei sitae, contractus, delicti, et connexionis seu continentiae causarum. Ultimo explicatur ratio praeventionis, qua inter plures iudices illa competentia per factum determinatur approbante iure.

Quoad singulas ergo causas in prima instantia pertractandas ceteri iudices, etsi gradus superioris erga competentem iudicem, sunt ex consequenti incompetentes. Propter quod subditur canoni 1558 correlativus § 2. *Incompetentia iudicis* uniuscuiusque erga singularem causam, *cui nullus ex his* sex *titulis suffragatur*, nempe: cuilibet horum inniti non potest, *dicitur relativa*, hoc est: quia, etsi tales causas vel tales personas habeat fortassis

[1] Cap. 5 sess. XIV, de Ref. — [2] Cap. 8 sess. XIV, de Ref. — [3] Cap. 14, sess. VII de Ref. — [4] 4 Maii 1515.

subiectas suae iudicandi potestati, coniuncta singularis causa cum determinatis personis effugit iure limites propriae iurisdictionis.

Lucius III [1] ait: « Cum sit generale ut actor forum rei sequatur », atque Alex. III applicat hoc principium in cap. 5 eiusdem tituli dicens: « Si clericus laicum de rebus suis vel ecclesiae impetierit, et laicus res ipsas non ecclesiae esse aut clerici, sed suas proprias asseverat, debet de rigore iuris ad forensem iudicem trahi: Cum actor forum rei sequi debeat: licet in plerisque partibus aliter de consuetudine habeatur ». Hanc totam disciplinam retinet Codex, dum § 3 sic exorditur: *Actor*, videlicet persona physica vel moralis, quae proprio iure agit ut a iudice initium detur iudicio ecclesiastico, *sequitur forum rei*, hoc est: tenetur adire tribunal competens in illam causam respectu habito ad contendentis personam; *quod si reus*, seu persona singularis tum physica tum moralis a qua vel contra quam petit « actor », *multiplex forum* competens iuxta seqq. canones *habeat*, *optio* ad unum horum adeundum prae altero *actori conceditur* ipsomet iure canonis huius.

15. Forum competens ratione causae designat *can. 1560.* — *Forum* seu tribunal *necessarium* idest: in canone expressum absque rei consideratione *habent*:

1° *Actiones* infra sub inscriptione tit. V. declarandae *de spolio* seu ad vindicandum possessionis ius laesum per deiectionem ab altero, videndae *coram Ordinario loci* (can. 198, § 2) *rei sitae* de cuius possessione fiat iudicium.

2° *Causae respicientes*, sive quoad ius, sive quoad possessionem, sive quoad iura et obligationes, *beneficium* quodlibet ad normam can. 1409, non consistoriale (can. 1411, 1°) et *quamvis non* sit *residentiale* (can. cit. 3°), propter quod beneficiarius alibi fortassis domicilium foveat, et ratio limitationis de beneficio positae desumitur ex sequentibus verbis: *coram Ordinario loci beneficii*, nempe « ubi beneficium illud erectum est » (can. 1418) iuxta legitimi instrumenti definitionem vel subsequentem huiusmodi translationem ad normam can. 1422, 1426;

3° *Causae quae versantur* uti earum obiectum *circa administrationem* rerum ecclesiasticarum ut plurimum temporalium, excepta bonorum beneficialium implicita sub n. 2°, *coram Ordinario loci ubi* talis *administratio gesta est*, nam ibi poterunt in promptu haberi probationes;

[1] Cap. 8 « de foro competenti » (II, 2).

4° *Causae* ad forum ecclesiasticum pertinentes *quae respiciunt hereditates*, v. gr. dum fori privilegio gaudens sit conveniendus in iudicio, *aut legata pia* etiam per laicos tribuenda, v. gr. an hereditatis acerbus ea queat sustinere onera tribuenda, illae enim videndae sunt *coram Ordinario loci domicilii testatoris*, hac ratione simul ac contractus, *nisi agatur de mera exequutione legati* « *pii* » ut supra, certo facienda, sed quae nimis procrastinetur vel denegetur, *quae* postrema causa *videnda est*, ad fori competentiam quod attinet, *secundum ordinarias*, seu in genere sequendas *competentiae normas*, quae per sequentes huius tituli canones erunt declarandae.

Notandum est hic fuisse relicta verba iuris praecedentis « coram Ordinario loci » ad innuendum absdubio congruere canones cum illo, sed ob « propriam verborum (can. 198, § 2) significationem in textu et contextu consideratam » (can. 18) intelligenda sunt cum restrictione pro illis, qui ultra « potestatem iurisdictionis voluntariam » habent quoque iudicialem potestatem, dummodo haec sit ordinaria. Igitur illius nomine venit Episcopus, Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius capitularis, non vero Vicarius generalis, quando « Episcopus officialem elegerit a Vicario generali distinctum » ad normam can.s 1573, § 1. Uno verbo: « coram Ordinario loci » in hoc Titulo et similibus huius Libri canonibus idem sonat ac « coram iudice ecclesiastico » propter citatos canones in § 1° can.s 1559.

16. Forum competens ratione domicilii. — A praesenti canone incipit moderatio titulorum ob quos diversa Ecclesiae tribunalia fiunt competentia in prima instantia iuxta generalem illorum enunciationem in Decretalibus Greg. IX. Sic enim legitur in cap. 20 « de foro competenti » (II, 2) X: « Licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, Episcopus vester apud Sedem Apostolicam conventus non fuerit ». Postrema verba satis innuunt rationes fori competentis ex parte rei, ut plurimum, accipi. Et primus est huiusmodi *can. 1561. Ratione domicilii* acquisiti ad normam can.s 92 § 1, *vel quasi domicilii* obtenti ad normam cit.i can.s § 2 *quilibet* baptizatus, quemadmodum « suum Ordinarium sortitur » (*can.* 94 § 1), ita *conveniri* seu in iudicium vocari *potest* ab actore per iudicem *coram Ordinario loci* « domicilii vel quasi domicilii » adhuc retenti, idest coram illius tribunali.

§ 2. *Ordinarius autem domicilii vel quasi domicilii*, supra declarati, atque subintelligendus qua iudex *iurisdictionem* stricte ob

contextum sumendam iuxta vocis etymologiam *in subditum* sibi ob alterutram rationem, *quamvis absentem, habet*, quia si adhuc est subditus, cum animo redeundi recessisse praesumitur. Sensus praescripti est hic quem exposuimus, atque ex eodem intelligitur quo modo accipienda sit clausula can^{s} 201, § 2: « iudicialis potestas... exerceri nequit (videlicet: ex parte exercentis eam) extra proprium territorium », quamvis sensus hic pateat quoque ex citatis ibidem praescriptis, quae salva dicuntur.

Ita pridem Alex. III constituerat in cap. 3 « de dolo et contumacia » (II, 14) scribens iudicibus ab eo datis: « Ceterum si adversarius suus legitime citatus, ad praesentiam vestram accedere, vel iudicio vestro parere contempserit, aut etiam se absentaverit (cum de Anglia recessisse dicatur) procuratorem eius, si quem reliquerit convocetis: qui sive venerit, sive non, aut si procuratorem non dimisit, denunciationibus ad domum eius missis, receptis testibus alterius partis, iuxta dictam formam, ad proferendam sententiam procedatis ».

17. De quibusdam peregrinis peculiare praescriptum dat *can. 1562* congruens iuri expresso in cap. 20 citato ex tit. « de foro competenti » in Decretalibus.

In eo enim scriptum est post citata prius verba: « Quia tamen omnium ecclesiarum mater est eadem (Sedes Aplca.) et magistra, rite compelli potuit, ut ibi suis adversariis responderet: nisi pro alia iusta et necessaria causa venisset, quam si tunc allegasset, ius revocandi domum salvum fuisset eidem ». Enucleatius idipsum continet § *1. Qui*, clericus, vel laicus, sed non religiosus de quo est can. 1563, *peregrinus est in Urbe*, et quamvis Paulus dicat: « Urbis appellatio muris, Romae autem continentibus aedificiis finitur quod latius patet », sic intelligimus clausulam « qui extra domicilium (solummodo) quod adhuc retinet (can. 91) intra fines versetur dioecesis Romanae », ut per ius Codicis « a iure veteri non sit recendendum » (can. 6, 4°), *licet per breve tempus*, v. gr. 45 dies, ita ut nec quasi domicilium ibidem acquirat ad normam can. 92, § 2, ac proinde non sit comprehensus can.^{s} 1561 praescripto, *potest in ipsa* « Urbe » per iudicem Ordinarium *tanquam in proprio* velut catholicorum omnium *domicilio*, id est: ob extensionem iuridicam tituli praescripti sub praec. canone, *citari* iure seu cum citationis canonicis effectibus. — Prosequitur canon ius Decretalium retinens: *sed ius habet* ad normam can^{s} praec. *revocandi domum*, initio allegando causam, v. gr. se venisse ob aliquod negotium breviore tempore perficiendum, clausulave illa iuris veteris explicatur, addente canone: *idest petendi*

coram iudice Urbis ecclesiastico verbis aut scripto *ut ad proprium*, qualem « per domicilium » (can. 94, § 2), vel per incardinationem, si sit clericus, sortitur, *Ordinarium* qua iudicem « causa » propter quam citatus fuit, *remittatur*, salvo igitur can. praec. praescripto in favorem conventi.

E contra exceptionem illius, sed in favorem quoque rei, edicit § 2. *Qui*, clericus, vel laicus tantummodo, *in Urbe* cum eadem significatione quam deprompsimus in § praec. *ab anno commoratur*, nempe « spatio 365 dierum » (can. 32, § 2) iam a pluribus mensibus, *ius habet* ob eamdem in Decretali adductam rationem et hoc canone concessum cum cans praec. limitatione, *declinandi forum* seu tribunal *Ordinarii* subintelligendo « proprii » ex sana interpretatione ob contextum, non extendendo praescriptum ad alios fori competentis titulos, *et instandi* occasione citationis proprii Ordinarii atque ab eodem *ut coram Urbis* ut supra *tribunalibus*, sed competentibus pro causae natura, *citetur*, videlicet: apud eadem causa pertractetur. Hoc enim est valde diversum ut patet, a iure, quod habet tribunal quodlibet in auxilium vocandi aliud tribunal » ad normam can. 1570, § 2; nam hoc tribunali, illud convento conceditur, hoc ad determinatos actus iudicii, per illud cum declinatione iudicii apud Ordinarium causa in Urbem transferri potest usque ad ipsammet illius definitionem.

18. De vagis et religiosis, qui sub can. 1561, 1562 proprie non comprehenduntur, dat normam *can. 1563. Vagus proprium* ob rationem praefatae similem *forum habet* competentem *in loco ubi actu commoratur*, nam illius « Ordinarius loci est proprius vagi » (can. 94 § 2). Sequitur in canone: *religiosus*, « qui nempe vota nuncupavit in aliqua religione » (can. 488, 7°), tum « exempta, idest: religione sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta » (can. 488, 2°), sed tunc pro « casibus a iure expressis » (can. 615), tum non exempta, atque huiusmodi religiosus veluti « ratione domicilii vel quasi domicilii » (can. 1561) « proprium forum habet » *in loco domus suae* videlicet: de cuius familia existit, seu « conveniri potest (can. 1559, § 1) coram iudice ecclesiastico » illius territorii intra cuius limites invenitur declarata domus.

Innoc. IV in Conc. Gen. Lugdunen. [1], constituit: « Volentes libertatem, quam nonnullis Apostolica Sedes privilegio exemptionis indulsit, sic integram observari, ut et illam alii non infringant, et ipsi eius limites non excedant: Declaratione irrefragabili

[1] Cap. 1 « de privilegiis » (V, 7) in 6°.

deffinimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur, rite poterunt coram locorum Ordinariis conveniri; et illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere. Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique: quia nec coram Ordinariis ipsis, dummodo sit in loco exempto commissum delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa; nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus super istis: nec domiciliorum praetextu locorum dioecesani (si ubi deliquerunt vel contraxerunt; aut res ipsa consistit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipsis ut illic respondeant, iniungendi habent aliquam potestatem: salvis nihilominus casibus aliis, in quibus eos episcoporum iurisdictioni subesse canonica praecipiunt instituta ».

Ex hoc igitur veteri iure atque ab eo non recedentes censemus verba canonis « proprium forum habet religiosus » intelligenda esse de foro competenti ob rationem sub can. 1562 consideratam, non autem exclusis aliis seqq, canonum rationibus, quantum hae cum exemptione religiosorum compatibiles sint, quando de religiosis exemptis agatur.

19. Forum competens ratione rei sitae in Decretalibus, non tantum recognitum fuit, sed applicatum quoque in cap. 3 « de foro competenti » (II, 2) ex Conc. Africano: « Sane si episcopi inter quos causa versatur, sint diversarum provinciarum, ille Primas det iudices, in cuius provincia est locus, de quo contenditur ». Huiusmodi titulum declarat *can. 1564*, dum praescribit: *Ratione rei sitae pars*, persona physica vel moralis cum altera contendens ab hac *conveniri* in iudicium tanquam reus *potest* vi huius canonis *coram Ordinario loci* ad normam can. 198, § 2, supra declarato, *ubi res litigiosa*, de qua est obiectum iudicii, *sita est*, sed limitatur causa obiecti titulus praesens, *quoties actio* non in personam ipsam, sed *in rem* persequendam, vel possidendam, vel a damnis protegendam *directa sit*, quamvis consequenter persona contendens in causam veniat quoad iura vel facta ipsius iuridica.

20. Forum competens ratione contractus, statuit concorditer iuri praecedenti *can. 1565*. Sic enim scriptum est in cap. 1 « de foro competenti » (II, 2) in 6°. « Contrahentes vero aliarum dioecesum super contractibus initis in Rhemensi dioecesi ab eisdem (nempe Archiepiscopo vel officiali talis dioecesis), nisi inveniantur ibidem, trahere coram se non debent invitos, (videlicet:

potestatem coercitivam in eosdem exercentes), licet in possessionem bonorum quae ibi habent, etiam cum alibi copiam sui faciunt, si eorum auctoritate citati comparere contemnant, possint missionem facere contra eos: vel (si forte malitiose seipsos occultent, ne citatio perveniat ad eosdem) decernere faciendam in possessionem bonorum, quae in alia etiam dioecesi obtinere noscuntur: sed tunc loci dioecesanus ad denunciationem ipsorum faciet huiusmodi missionem ».

§ *1. Ratione contractus*, quem « Labeo libro primo Praetoris urbani sic definit... contractum esse ultro citroque obligationem... veluti emptionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem » [1], innominati quoque, *pars* una ex contrahentibus *conveniri* iure *potest* vi huius canonis *coram Ordinario loci* ad can. 1560 declarato, *in quo*, seu intra cuius territoriales limites iurisdictionis *contractus* de quo sit controversia a) *initus est*, uti constituerat cit. caput. Decretalium, *vel* b) *adimpleri debet* quoad obligationes ex illo profluentes, sicut edixerat Greg. IX Episcopo Dulmensi [2].

Propter clausulam relati capitis Decretalium, « nisi inveniantur ibidem » ac praesertim ex contextu totius canonis prodiit huius paragraphi sequens authentica interpretatio: [3] « Utrum, ad normam canonis 1565, § 1, pars ratione contractus conveniri possit coram Ordinario loci, in quo contractus initus est, etiamsi e loco discesserit. Resp. Negative, salvo praescripto § 2 citati canonis », qui propterea incipit verbo « autem » adversativo.

Ita enim Papa respondit: « Verum quia et si fuisset privilegium tale concessum, (omnibus Anglicis a Sede Aplca, ut super causis pecuniariis, citra mare conveniri non possint), non tamen prodesset illis, qui se certo loco respondere (ut relatum invenielmus sub canonis praescripto sequenti) vel solvere (ut retulit § 1[us]) adversariis (de quorum causa agebatur) promiserunt: (ac notentur verba quae sequuntur) cum ibi et ubi domicilium habent, valeant conveniri ». Et idipsum vigere cavet § 2, recognoscens in contrahentibus libertatem sic expressam: *In actu autem contractus* perficiendi *permittitur* iuris recognitione et approbatione *contrahentibus*, proindeque uti clausula contractus ac libere secundum huius naturam, *obligationis* cuiuslibet ex eo enatae a) *declarandae*, quando dubium emerserit origo controversiae, b) *urgendae* quoad denegatam vel dilatam adimpletionem tempore expres-

[1] D. l. 19, tit. XVI, L. — [2] Cap. 17 « De foro competenti « (II, 2). [3] Commissio Pont. ad can. Codicis auth. interpretandos. 14 Iul. 1922. CO. XIV, pag. 529, XII.

so, *vel* c) *implendae* tempore opportuno, quando determinatum non fuerit, *gratia*, seu uno ex declaratis motivo, *locum*, etsi distinctum a loco domicilii vel initi contractus, *eligere* communi consensu, *in quo etiam absentes* qualibet ex causa, quando iuxta canones non essent obligati respondere coram talis loci iudice *citari* ab illo ad alterius contrahentis petitionem *et conveniri* ab hoc iure *possint*. Praescriptum hoc est iuxta reg. iuris 85 in 6°: « Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur ».

21. De foro competente ratione delicti, respondet Innoc. III Belvacen. episcopo [1], « quod ad te (utpote Ordinarium) de talibus debent conquerentes habere recursum: maxime si super his impetuntur, quae in tua noscuntur dioecesi commisisse. Nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia, vel consuetudine speciali, iurisdictionem huiusmodi valeant sibi vindicare ». Illud indultum esset examinandum ad normam can. 4, consuetudo vero specialis, si « centenaria sit et immemorabilis (initio Codicis) tolerari poterit » ad normam can^{s} 5, alia vero « suppressa habeatur ».

Normam insuper retinet *can. 1566*, § 1. *Ratione delicti*, prout definitur « iure ecclesiastico » (can. 2195, § 1) *reus* persequendus in iudicio *forum sortitur* seu tribunal competens fit quod iurisdictione potitur *in loco patrati delicti* singularis puniendi, seu quoad eius poenam declarandam.

Ex consequenti ne sit facile reo iustitiae vindictam evadere, cavet § 2. *Licet post delictum* patratum *reus e loco* « patrati delicti » *discesserit*, quia fortassis est « de illis, qui de loco ad locum iter faciunt, et ibi (delicta) peragunt », quoad hos enim Concilio Meldensi « placuit, ut ab illius loci praelato excommunicentur »; pariterque canon statuit: *iudex loci* praefati *ius habet* canone concessum *illum reum citandi ad comparendum*, quod innuit valere praescriptum etiamsi processus non fuerit incoeptus ante discessum, *et* additur *sententiam* definitivam *in eum* reum *ferendi*, velut limitem extremum concessae vi huius canonis iurisdictionis. Atque manet propterea vigens circa sententiae executionem caput 14 « de foro competenti » (II, 2) X: « Ad quod breviter respondemus (ait Innoc. III), quod per episcopum in cuius dioecesi deliquit sententia promulgari poterit in eundem. Sed ab eo in cuius dioecesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda ». Verum « de executione sententiae » redibit sermo in Tit. XVII.

[1] Cap. 13 « de foro competenti » (II, 2).

22. Accidentalis extensio competentiae fori, fuit expressa in Decretalium iure, quam sic praescribit *can 1567. Ratione connexione* accidentalis, propterea quod a) una causa incidit in alterius processu, v. gr. uti Greg. IX definivit: « causa restitutionis in integrum, coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis tractari poterit et finiri, sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso eis negotio contingat incidere huiusmodi quaestionem. Delegati vero ab ordinariis qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem iudicandi, seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter », b) vel quia est connexa ratione partium, v. gr. actio reconventionalis ut exprimit can. 1692, c) seu ratione participationis accidentalis in titulo seu facto unde oritur actio, v. gr. inter principalem debitorem eiusque fideiiussorem, *seu continentiae*, quatenus una ex causis pendet ab alia, v. gr. [1]: « Coelestinus Papa praedecessor noster (ut ait Innoc. III) sic suum interpretatus fuit rescriptum, quod tam causa possessionis quam proprietatis, fuerat iudici delegata: cum absolute et indistincte commissa fuerit, et eius continentia dirimi non deberet, praelibatam quoque possessionem pro suo arbitrio sequestrari praecepit, iniungens Reginen. et Mutinen. episcopis, ut de causa possessionis et proprietatis plenius cognoscentes, eam debito fine deciderent: et possessionem ei parti postmodum resignarent, quae obtineret de proprietate triumphum ». Atque legitur in cap 1 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X: « legali provisione decretum est, tam momenti quam proprietatis causam sub uno eodemque iudice debere cognosci ». Aliud exemplum sit, in quo ratio affertur, cap. 3 « de ordine cognitionum » (II, 10) X ubi Honorius III praemittens haec verba Ludovico regi francorum: « Tuam non credimus latere prudentiam, causam natalium reginae Cypri ad examen nostrum (utpote quae ad forum ecclesiasticum pertinet) esse delatam » subdit infra: « Quia vero antequam natalium causa terminata esset, dependentem ex illa successionis causam incipere, nihil aliud esset, quam diversis processibus intricare negotium, et confusione quadam iudicii ordinem perturbare: Mandamus quatenus si forte ab ipsa regina fueris super hoc requisitus, donec iam dicta causa natalium Apostolico iudicio finem acceperit, patienter expectes ».

Alius modus « continentiae » causarum habetur ratione personarum, quae unius eiusdemque delicti conrei sint, vel participes ea-

[1] Cap. 1 « de sequestratione possessionum et fructuum » (II, 17).

rundem numero obligationum, quae in iudicio urgentur. Attamen haec « continentia » non est proprie « causarum » ad invicem, sed personarum adunatio, ne causa eadem pluries tractetur.

Alterutra ergo « ratione » praedicta *ab uno* quoad tribunalium numerum excludendum *eodemque iudice*, idest: qua tali sive ordinario sive delegato per eundem processum *cognoscendae sunt causae* praefatae *inter se* alterutra « ratione » *connexae*, nam « explorati quidem iuris existit (ait Coelestinus III) [1], ut delegatis iudicibus quibus principale committitur, et accessorium committatur » atque regula iuris 42 in 6° clamat generaliter: « Accessorium naturam sequi congruit principalis ».

Exceptio tamen est posita valde notanda: *nisi legis*, quae scripto constare debet, *praescriptum*, sive in Codice, sive particulare quoad territorium sed a suprema Ecclesiae auctoritate latum, *obstet*. Huiusmodi praescriptum ex multiplici motivo in Codice invenimus. Vel quia in alterutra ex connexis causa « iudicis incompetentia est absoluta » (can. 1558), vel propter exemptionem partis in causarum alterutra, ut posset fortassis contingere applicando canonem 1563, vel propter « forum necessarium » quoad causam incidentem (can. 1560), vel demum si respectu causae connexae accidentalis prohibitio aliunde iudici indicetur, v. gr. ob can. 1613, § 1.

23. Ultima fori competentis designatio iure fuit statuenda, quandocumque ob canonum praescripta plures iudices competentes inveniantur. Tali eveniente casu scimus ex can. 1559, § 3 quod « optio fori actori conceditur. Huius vero optionis exercitium reddit efficax *can. 1568*, dicens. *Ratione praeventionis* iuridica circa fori competentiam, *cum duo*, v. gr. ratione domicilii conventi et ratione rei sitae, *vel plures iudices* ordinarii vel delegati, sicut ait [2] Bonif. VIII: « Cum plures sub illa forma, ut omnes, aut duo, vel unus eorum mandatum Apleum. exsequantur, aut alia consimili iudices vel exsequutores a Sede Apostolica deputari contingit: ipsorum quilibet iniunctum potest libere adimplere mandatum » seu ut prosequitur canon, *aeque* ob gradum, causa non habente forum necessarium, et delegationis tenore *competentes sunt* ad normas huius tituli, *ei* singulari iudici vel tribunali *ius est*, quo ceteros competentes excludat, *causam* singularem *cognoscendi* usque ad definitionem, « *qui prius* tempore potior est iure » (reg. iuris 54 in 6°), sed *citatione* post libelli oblationem ab actore *reum* seu aliam partem *legitime*, seu ad normas cano-

[1] Cap. 21 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X. — [2] Cap. 8 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 14) in 6°.

num de hac citatione, *convenit*, vocando nempe ipsum ad comparendum.

De hac disciplina duos habemus textus Decretalium. Nam cit. caput ex 6° est scriptum: « Porro uno eorum negotium inchoante commissum, alii nequibunt se ulterius intromittere de eodem, nisi vel infirmitate vel alia iusta causa contingeret impediri, vel malitiose in eo procedere recusaret ». — Atque Greg. IX sic respondit: [1] « Proposuisti nobis quod quidam subditus tuus, ad petitionem cuiusdam adversarii sui, a te legitime citatus ad causam, quia postmodum iurisdictionis alterius esse coepit, tuum intendit iudicium declinare. Porro tuae prudentiae dubium esse non credimus, quod is in praedicta causa ius revocandi forum non habet, quasi ab altero iam praeventus ».

TITULUS II.

De variis tribunalium gradibus et speciebus.

CAN. 1569. - § 1. Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere.

§ 2. Recursus tamen ad Sedem Apostolicam interpositus non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui causam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.

CAN. 1570. - § 1. Exceptis causis Sedi Apostolicae reservatis aut ad eandem advocatis, ceterae omnes cognoscuntur a diversis tribunalibus, de quibus in can. 1572 seqq.

§ 2. Quodlibet tamen tribunal, quod attinet ad partium et testium examen aut citationem, documentorum vel rei controversae inspectionem, decretorum intimationem aliaque huiusmodi, ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal, quod normas pro singulis actibus iure praescriptas servare debet.

CAN. 1571. - Qui causam vidit in uno iudicii gradu, nequit eandem causam in alio iudicare.

24. Inscriptio tituli et canones praeliminares. — Dispositis sub titulo praecedenti causis cognoscendis pro earumdem natura et contendentium praesertim rei distinctione, ad tribunalia inter se apprime discernenda, ordinanda et, quatenus adhuc opus sit, competentiam singulorum definiendam Codex progreditur. Porro *Titulus II* inscriptus fuit *De variis* idest multiplici ex motivo ortis *tribunalium*, quae, tum loca ubi Superior ecclesiasticus pro tribunali sedet, tum ipsos qua iudices Superiores ecclesiasticos, tum

[1] Cap. 19 « de foro competenti » (II, 2) X.

cum ipsis ceteras personas eos adiuvantes designare optime possunt, *gradibus* propter subordinationem respectu habito iudiciorum, et *speciebus*, quae ob diversitatem iudicum vel iurisdictionis enasci potest, v. gr. tribunal unipersonale vel collegiale, tribunal ordinarium vel delegatum, tribunal dioecesanum vel religiosum.

Canones praeliminares respiciunt relationes inter diversa tribunalia, ita ut can. 1569 illam ordinet inter quaecumque tribunalia et Sedem Apostolicam, can. 1570 agit de diversorum tribunalium potestate in genere, atque mutuo adiutorio praestando, et can. 1571 vetitum continet in iustitiae praesidium inter tribunalia diversi gradus.

25. Privilegium primatus quoad iudicia illiusque effectus. — Patres Concilii Vaticani docuerunt ac declararunt [1]: « quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest,... eum esse iudicem supremum fidelium », seu ut habetur in Prof. fidei Michaelis Palaeologi apud Conc. Lugdun. II; « Ad quam (Romanam Ecclesiam) potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare et (simul ac in Lugdun. Conc. Patres Vaticani conclamant) in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri » [2]. — Unde nil mirum si Leo XIII in Litteris Apleis. « Trans Oceanum » [3] asseruerit: « Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem etiam omisso medio, sive ante sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii (sub illo num. XIV litt. aplcum. concessi) omnino servandae erunt sequentes conditiones: (ex quibus ad rem nostram attinent) 1° Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi;... 3° Ut causae maiores sint eidem Apleae Sedi reservatae ad normam S. Conc. Tridentini;... ».

His omnibus concinit nunc declarandus *can. 1569*. Animadvertere lubet, quod illud ius Romani Pont.s primatui inhaerens in eadem prima Sede consideratum exprimitur in § 3 can.s 1557, prout vero in fidelibus, altero relationis termino respicitur, oriri facit ius quod edicit § *1*, sed unum alterumque dicitur ac est verum ius, cui ceteri Ecclesiae iudices contradicere vel quod praeterire factis nequeunt, nisi quantum eis per ss. canones conceditur. Igitur *ob primatum Romani Pontificis*, qui personae inhaeret incommunicabilis atque continet « plenam et supremam potestatem iurisdictionis... ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas

[1] Sess. IV « De Ecclesia Christi », cap. III. — [2] Denzinger, Enchiridion Symbolorum... n. 466. — [3] 18 Apr. 1897, XIV.

ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles »[1] *integrum est* ob ius divinitus ortum canone denunciatum *cuilibet fideli*, Pastori vel subdito, qua personae singulari, vel « cuilibet » personae morali ecclesiasticae per se aut per legitimum Superiorem aut per Syndicum, *in toto orbe catholico*, tum quoad loca, exclusis proinde consuetudinibus de facto ac praesumptis privilegiis iuribusque tum quoad « Latinam Ecclesiam atque Orientalem, ex ipsa rei natura » (can. 1), *causam suam* ex eo quod partem actoris aut rei habeat in ipsa, nempe controversia in iudicio agitanda, quia est additum in canone *sive contentiosam sive criminalem* sic vocatas, quemadmodum et iudicia sunt ad normam can.s 1552, § 2, a) *in quovis iudicii gradu* nempe primae instantiae vel appellationis etiam ulterioris alterutra causa inveniatur, *et* b) *in quovis litis* seu inchoati processus *statu*, sive ante citationem rei ac proinde litis imperfectae, sive post litis contestationem usque ad sententiam, sive post hanc prolatam, sive « in statu » rei iudicatae ac litis iure finitae, quia supra iuris ecclesiastici normas positum est, « causam suam » *cognoscendam* equidem iustitiae reddendae causa *ad Sanctam Sedem* idest: « ex sermonis contextu » (can. 7) ad Romanum Pontificem solummodo *deferre* per Auditorem Ss.mi, aut in audientia personae forsan in dignitate constitutae *vel apud eamdem* ut paulo ante declaratam *introducere* per libelli oblationem ac in prima siquidem instantia. — Ius hic asseritur, ipsius exercitium nisi ex gravissima causa non est consulendum.

Effectum iuridicum praefatae delationis vel introductionis causae nos edocet § 2. *Recursus tamen*, sive appellando post sententiam iudicis praetermisso gradu intermedio, sive per aliud remedium iure recognitum, sive extra iuris normas *interpositus*, dum inferior iudex suam exerit potestatem, *non suspendit*, *excluso* seu excepto ab hac norma *casu appellationis*, quamvis per saltum, quae suspensivum effectum habeat, alias « non suspendit » *exercitium* validum ac licitum *in iudice* etsi recursus conscio ac delegato, *qui causam* eandem in § 1° declaratam *iam cognoscere coepit;* nec inde necessario profluit causam delatam vel introductam ad Sanctam Sedem non posse a iudice inferiori recipi, seu argumentum ex canone a sensu contrario non urget. Imo putamus in casu, quo iudex causam nondum cognoscere coepit, a fortiori normam canonis valorem suum retinere, scilicet: *quique* iudex *idcirco poterit iudicium prosequi*, atque etiam incipere

[1] Const. « De Ecclesia Christi » in Conc. Vat. sess. IV, cap. III.

usque ad sententiam definitivam equidem cum executorio iudicis decreto, quod « in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur » (can. 1918), utpote quod est sententiae illius iuridice necessarium complementum.

Exceptio sequens est rite constituta iuxta Decretalem Innoc. III Mediolanen. Archiepiscopo: « Ut nostrum prodeat de vultu Dei iudicium. Iudicibus dedimus in mandatis, ut si post secundum mandatum per quod potius cognitionem negotii, ad nostrum iudicium revocavimus, traditionem sigilli dicto H. a te cognoscerent esse factam, eam decernerent irritam et inanem, inhibentes illi ne quomodolibet eo uti praesumeret: Cum plus sit Romanum Pontificem ad se aliquid revocare negotium, quam quemquam ad eum super aliquo negotio provocare ». Propterea sic explicit canon: *nisi constiterit* idest certus evaserit iudex qualitercumque *Sedem Apostolicam* seu « Romanum Pontificem » *causam* de qua in canone *ad se advocasse*, uti hoc factum in § 3° can.s 1557 fuit declaratum. Hac ergo exceptione eveniente « exercitium iurisdictionis in iudice » inferiore sic erga causam illam prosequendam vel incipiendam interdicitur, ut invalidi actus ab eodem fierent.

26. Principium coordinationis tribunalium exprimit consequenter *can. 1570*, dum statuit § *1. Exceptis causis* tum contentiosis tum criminalibus *Sedi Apostolicae* nempe « ex sermonis contextu » (can. 7) tum Romano Pontifici *reservatis* per can.s 1557 § 1m *aut ad eandem advocatis* ad normam §i 3i eiusdem canonis, tum « ad tribunal Congregationis S. Officii spectantibus », quae vi can.s 1551 § 2 excluduntur a praescriptis canonum huius Sectionis, *ceterae omnes cognoscuntur* sed singulae pro earum natura, et contendentibus et instantia, *a diversis tribunalibus* tantummodo, *de quibus* tractatur *in can. 1572 seqq.* videlicet: usque ad finem huius tituli. Itaque in aevum est firmatum quod Pius X s. m. const.[1] « Sapienti consilio » inseruit: [1] « ... iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum iubemus « per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes » [2]; sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, (sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum) [3], quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad sacrum Romanae Rotae tribunal, quod

[1] 29 Iun. 1908, § II, n. 2, CO. I, 15. — [2] Litt. Secretariae Status, 17 Apr. 1728. — [3] Lex propria S. R. R. et Signat. Aplcae, 29 Iun. 1908, can. 15. CO. I, 24.

hisce litteris rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam*, quum anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit ».

Ex limitibus iurisdictionis tribunalium quoad territorium ac personas oritur difficultas, quae non raro accidere possit, instruendo processui per sufficientes probationes, quas extare cognoscit iudex. Imo quandoque ipsius decreta ultra illos limites erunt adimplenda. Hinc necessitas cui efficaciter providet § 2 congruens omnino iuri Codicem praecedenti ac per varia sparso documenta. *Quodlibet tamen tribunal*, sive alteri coordinatum, quamvis unum ratione territorii alterum ratione personarum sit instructum iurisdictione v. gr. apud regulares, sive altero inferius superiusque, atque iurisdictione propria hinc non aucta, *quod attinet* solum a) *ad partium* in singulari causa *et testium* inductorum, his ergo absentibus e tribunalis territorio nec potentibus istud adire, *examen* iuxta instructionem dandam *aut citationem* ad comparendum apud causae tribunal per se vel, si partes sint, per procuratorem, b) *documentorum* ad probandum quidquam *vel rei controversae* in causa *inspectionem* alteriusutrius ad referendum tribunali, c) *decretorum* huius *intimationem* ad illorum effectum necessariam, *aliaque huiusmodi*, quorum opus sit tribunali, *ius habet* vi huius canonis, cui correlativa est obligatio ut expetita perficiantur, *in auxilium* pro iustitiae humanae indigentia *vocandi* per litteras « rogatorias seu remissorias » [1] pro tribunalis ad quod dignitatem, atque « iudex qui (personas) cogere debet ad tradenda requisita documenta delegatur per litteras compulsorias », et illae litterae poterunt in veritate dici « hortatoriae aut imperativae, si ad tribunal inferius » [2] dirigantur, quarum appellatio cum tenore ipsarum concordare oportet, *quod* « tribunal in auxilium vocatum » *normas pro singulis actibus* commissis *iure praescriptas* tribunali processum instruenti *servare* quoque *debet*, vi huius canonis ad illud extensas, attenta vero litterarum receptarum instructione.

26bis. In cap. 35 « de appellationibus, recusationibus et relationibus » (II, 28) X rescripsit Alex. III archiepiscopo Terraconen.: « Non debet ad eos causa remitti, nisi partes consenserint, a quibus noscitur appellatum ». Ob sequentis praescripti silentium « vim omnem amisisse dicenda est » (can. 6, 6°) exceptio illa, quam Codex, ubi eam salvam voluit, expressit. Imo verba, quae

[1] Regulae servandae in iudiciis apud S. R. Rotae Tribunal, 4 Aug. 1910 § 106, n. 3, 4. — [2] P. Noval, O. P. Commentarium Cod. I. C. « De iudiciis » n. 104.

adhibet *can. 1571*, illam etiam excludit. *Qui causam vidit* ut iudex unipersonalis vel uti membrum tribunalis collegialis, et a fortiori hoc ipsum tribunal *in uno iudicii* ad normam can. 1552, § 1 *gradu*, quem una instantia concludit, *nequit* ob defectum quidem superioris quoad illam causam iurisdictionis, proindeque nec valide *eandem causam in alio*, nempe: appellationis gradu *iudicare*, idest: uti iudex vel tribunalis membrum agere. Iustaque prohibitio utpote in tutelam instituti appellationis, quod ad ius publicum pertinet et improrogabilem iurisdictionem per se constituit [1].

27. Distributio tituli in capita sumitur ex inscriptione illius, idest: ex tribunalium gradibus et speciebus. Etenim praecipuum in tribunalibus est potestas iurisdictionis, ratione cuius subiectum vocatur iudex. Illa vero « ordinaria est aut delegata » (can. 197, § 1), et hinc tribunalia ordinaria aut delegata appellantur. Imo haec istis respondent iuxta praescriptum can. 190 § 1: « Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare... ».

Quia, ut dicitur in Ps. (CXV, 2) « Omnis homo mendax » et simul defectibilis quoad constantem iusti voluntatem, fuit apud omnes gentes excultas receptum, ut semel prolata per iudicem sententia, iterum examini subiici posset causa apud altiorem iurisdictione iudicem qui inde censetur potioribus qualitatibus in iudice requisitis praeditus. Hoc iuridicum institutum in natura fundatum non poterat in Ecclesia desiderari. Imo ex ipsius divina constitutione, prout eam ad can. 108 § 3 declaravimus, cum in Episcopis et Romano Pontefice utraque potestas legislativa et iudiciaria quinimo quaelibet alia publica Ecclesiae pro ipsorum gradu coadunetur in eis, consequuntur in ea statim duo gradus hierarchici tribunalium. Ut vero haec hierarchia humano modo perficeretur, tertius inter eos est additus gradus, sicut perfectus in humanis ternarius numerus rationabiliter putatur, eo quod in qualibet labenti re initium, medium et finis comprehendunt omnem de illa considerationem. — Praeter hoc memoranda est distinctio alia iurisdictionis ab Ecclesia inducta respectu Episcoporum, quia dum in eis est ordinaria et territorio limitatur, alia invenitur eodem plane modo qua gaudent Praelati inferiores, Vicarii et Praefecti Apostolici, ac tertia pariter ordinaria sed quae subditos nanciscitur aliter ac propter territorii fines.

[1] Vide Card. Lega. De Iudic. v. I, n. 318, 319, 325.

Praeviis ergo illis considerationibus, patet hos omnes Praelatos in Dei Ecclesia potiri iudiciali potestate ac intelligi posse sub inscriptione, quam praesefert *Caput I. De tribunali ordinario primae instantiae.* Cui logice subiunctum est *Caput II. De tribunali ordinario secundae instantiae.* Ac porro his subsequitur tractandum *Caput III. De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus.* Titulum autem complet *Caput IV. De tribunali delegato.*

CAPUT I.

De tribunali ordinario primae instantiae.

ART. I. — *De iudice.*

CAN. 1572. - § 1. In unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est loci Ordinarius, qui iudiciariam potestatem exercere potest ipse per se, vel per alios, secundum tamen canones qui sequuntur.

§ 2. Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae vel Curiae dioecesanae, controversia dirimenda deferatur vel, Episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem.

CAN. 1573. - § 1. Quilibet Episcopus tenetur officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi.

§ 2. Officialis unum constituit tribunal cum Episcopo loci: sed nequit iudicare causas quas Episcopus sibi reservat.

§ 3. Officiali dari possunt adiutores, quibus nomen est vice-officialium.

§ 4. Tum officialis tum vice-officiales esse debent sacerdotes, integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, annos nati non minus triginta.

§ 5. Sunt amovibiles ad nutum Episcopi; vacante sede a munere non cessant, nec a Vicario Capitulari amoveri possunt; adveniente autem novo Episcopo, indigent confirmatione.

§ 6. Qui Vicarius Generalis est idemque officialis, sede vacante, cessat quidem a Vicarii, non autem ab officialis munere.

§ 7. Si officialis eligatur in Vicarium Capitularem, ipse novum nominat officialem.

CAN. 1574. - § 1. In qualibet dioecesi presbyteri probatae vitae et in iure canonico periti, etsi extradioecesani, non plures quam duodecim eligantur ut potestate ab Episcopo delegata in litibus iudicandis partem habeant; quibus nomen esto *iudicum synodalium* aut *pro-synodalium,* si extra Synodum constituuntur.

§ 2. Quod ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere attinet, serventur praescripta can. 385-388.

§ 3. Nomen iudicum synodalium in iure veniunt quoque iudices pro-synodales.

CAN. 1575. - Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest; quos tamen ex iudicibus synodalibus eligere debet.

CAN. 1576. - § 1. Reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio:

1.° Causae contentiosae de vinculo sacrae ordinationis, et matri-

monii, vel de iuribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiae; itemque criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione, tribunal-collegiali trium iudicum reservantur;



2.° Causae vero quibus agitur de delictis quae depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel degradationis poenam important, reservantur tribunali quinque iudicum.

§ 2. Loci Ordinarius tribunali collegiali trium vel quinque iudicum cognitionem committere potest etiam aliarum causarum, idque praesertim faciat quando de causis agitur quae, attentis temporis, loci et personarum adiunctis et materia iudicii, difficiliores et maioris momenti videantur.

§ 3. Duo vel quatuor iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices synodales Ordinarius, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, eligat per turnum.

CAN. 1577. - § 1. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre.

§ 2. Eidem praeest officialis vel vice-officialis, cuius est processum dirigere et decernere quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt.

CAN. 1578. - Exceptis causis de quibus in can. 1572, § 2, Episcopus semper potest tribunali ipse per se praeesse; sed valde expedit ut causas, praesertim criminales et contentiosas gravis momenti, iudicandas relinquat tribunali ordinario, cui praesit officialis vel vice-officialis.

CAN. 1579. - § 1. Si controversia sit inter religiosos exemptos eiusdem religionis clericalis, iudex primae instantiae, nisi aliud in constitutionibus caveatur, est Superior provincialis, aut, si monasterium sit sui iuris, Abbas localis.

§ 2. Salvo diverso constitutionum praescripto, si res contentiosa agatur inter duas provincias, in prima instantia iudicabit ipse per se vel per delegatum supremus religionis Moderator; si inter duo monasteria, supremus Moderator Congregationis monasticae.

§ 3. Si demum controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut etiam inter religiosos eiusdem religionis non exemptae vel laicalis, aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum, iudex primae instantiae est Ordinarius loci.

28. Inscriptio Capitis I eiusque in articulos divisio. — Igitur *Caput I* inscribitur *De Tribunali*, non pro loci exercendarum litium significatione, nec tantum pro persona, quae iudiciariam potestatem habeat, sed pro personarum complexu quae huius potestatis exercendae partem vel subsidium ex officio habent, a publica constitutae ad hoc auctoritate; additur *ordinario*, quia in duplici sensu est huiusmodi, tum propter ordinariam eiusdem iurisdictionem, et hac de causa obtinuit caput hanc inscriptionem, tum propterea quod suum regulare munus est definire causas *primae instantiae*, quando nempe eae singulae primo agitantur.

Personae quibus tale tribunal coalescit, vel subiectum immediatum iurisdictionis sunt, ac eas considerat *Art. I. De iudice*, vel quidquam muneris illius loco ipsius explent, prout nobis edocet *Art. II. De Auditoribus et relatoribus*, vel ex tribunalis natura peculiari sunt saltem quoad aliquas causas necessariae, sicut eas dicit *Art. III. De Notario, Promotore iustitiae, vinculi Defensore*, vel denique in adimplementum inferiorum tribunalis actuum adhibentur sicut statuit *Art. IV. De Cursoribus et Apparitoribus*.

29. Inscriptio Articuli I. — *Art. I* agit *De iudice*, de quo in libro etymologiarum legimus [1]: « Judex dictus, quasi ius dicens populo, sive quod iure disceptet. Jure autem disceptare, est iuste iudicare. Non est ergo iudex, si non est in eo iustitia ». Quae liquido patent ex doctrina D. Thomae [2]: « Resp. dicendum, quod iudicium proprie nominat actum iudicis, inquantum iudex est; iudex autem dicitur, quasi ius dicens; ius autem est obiectum iustitiae, ut supra (ad lib. I in Commentario Textus) habitum est. Et ideo iudicium importat, secundum primam nominis impositionem, definitionem vel determinationem iusti, sive iuris. Quod autem aliquis bene definiat aliquid in operibus virtuosis, proprie procedit ex habitu virtutis, sicut castus recte determinat ea quae pertinent ad castitatem. Et ideo iudicium, quod importat rectam determinationem eius quod est iustum, proprie pertinet ad iustitiam. Propter quod Philosophus dicit [3] quod homines ad iudicem confugiunt, sicut ad quamdam iustitiam animatam ».

Inscriptio autem praesens « personam iuri authentice seu cum potestate dicendo deputatam publice » designat iuxta illud eiusdem Angelici [4]: « aliae virtutes ordinant hominem in seipso; sed iustitia ordinat hominem ad alium. Homo autem... non est dominus eorum quae ad alium pertinent (ita ut propria voluntate de illis queat efficaciter disponere). Et ideo... in his quae pertinent ad iustitiam, requiritur ulterius iudicium alicuius Superioris, qui utrumque (hominem) valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.. Et propter hoc iudicium specialius pertinet ad iustitiam quam ad aliquam aliam virtutem. — Et iudicium, quod importat definitionem iusti, pertinet ad iustitiam, secundum quod est principaliori modo in praesidente », seu ut paulo ante dixerat: « iustitia in principe quidem est (ac in iudicibus ob derivatam in eos potestatem) sicut virtus architectonica, quasi imperans et praecipiens quod iustum est ».

30. Ordo canonum facile patet. Nam prius agitur de hoc primae instantiae atque per territorium limitato quoad potestatem tribunali, sive hoc ab Ordinario loci sive ab altera persona regatur, quod pro quibusdam causis vel ex Ordinarii arbitrio vel ex iuris praescripto erit collegialiter constituendum, in quem scopum designantur praevie iudices ac modus eos legitime nominandi. De illo tribunali unipersonali sunt can. 1572, 1573, de iudicibus designandis agunt can. 1574, 1575, quibus adduntur can. 1576-1578, de tribunali eodem collegiali. Eiusdem instantiae tribunal

[1] Cap. 10 « de verborum significatione » (V. 11). — [1] 2ª 2ae q. LX a. 1 corp. — [2] Ethic. lib. V, cap. 4 ant. med. — [4] Loc. cit. ad 3m et 4m,

sed ratione personarum alteri supradicto coordinatum decernitur can. 1579.

31. Iudex primae instantiae pro singulis Ecclesiae territoriis edicitur, quando *can. 1572* sic enuntiat praescriptum. § 1. *In unaquaque dioecesi*, Romana quoque, vel « Metropolitae propria » (can. 273), et « cuius nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2), atque memorandum semel pro sequentibus, quod « Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt Episcopis residentialibus » (can. 294, § 1), quod praescriptum erronee invocaretur, quando sequentes canones de obligationibus loquantur. In unoquoque igitur territorio sic declarato *et pro omnibus causis*, de quibus « Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit » (can. 1553), vel « quae dicuntur mixti fori », *a iure* Codicis *expresse* saltem clausula generali vel implicite *non exceptis*, v. gr. in can. 1557 et 1579 §§ 1, 2, sive ratione personarum quae sint partes in iudicio, sive ratione causae ipsius, *iudex* singularis vel tribunalis praeses *est* iure *loci* supra declarati *Ordinarius* iuxta can. 198, § 2, sed verbum est cum restrictione de illo Ordinario interpretandum, qui principalis est in territorio, seu excludendi sunt Vicarii, praeter Capitularem, « nemo (enim) potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur » (reg. iuris 79 in 6°), nam « quae (iudiciariae sunt potestatis) ex iure requirunt (in eo) speciale Episcopi mandatum » (can. 368, § 1) ut constat ex can.s 1573, § 1°. Prosequitur canon: *qui* (Ordinarius ita declaratus) *iudiciariam potestatem*, admissa quoad hoc regula iuris 68 in 6°: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum », *exercere*, potestatem illam simul conservans *potest*, quod verbum facultatis est, non obligationis, *ipse per se* valide ac semper licite, ut patebit ex contextu, *vel per alios*, potestatem in hos derivando, tum constitutos in gradu inferiori « eamdem iurisdictionis potestatem alteri ex toto vel ex parte (in una quoque causa) delegando » (can. 199, § 1), tum illos substituendo sibi quoad videndas ac definiendas causas, ut patebit, eo quod additur *secundum tamen canones* idipsum statuentes *qui sequuntur* in hoc praecipue articulo. Verbum « tamen » est notandum, quia utpote adversativum innuit praefatam Ordinarii potestatem sub horum praescriptorum limitibus coarctari saltem quoad liceitatem.

De hac Episcopi potestate luculenter ac breviter ait Bonif. VIII [1]: Cum episcopus in tota sua diocesi iurisdictionem

[1] Cap. 7 « de officio Ordinarii » (I, 16) in 6°.

ordinariam noscatur habere: dubium non existit, quin in quolibet loco illius dioecesis non exempto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad ecclesiasticum forum spectantes audire, personas ecclesiasticas (cum earum excessus exegerint) capere, ac carceri deputare: nec non et cetera, quae ad ipsius spectant officium libere exercere ».

Quoad causas exceptionem affert § 2, sic propterea incipiens: *Si vero agatur*, ut materia iudicii, *de iuribus* « persequendis aut vindicandis » (can. 1552, § 2, 1°) *aut bonis temporalibus*, quae « respiciuntur in causis » (can. 1553, § 1, 3°) a) *Episcopi* patrimonialibus, « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), *aut* b) *mensae* alteriusutrius, idest: eis « bonis » beneficii, *vel* c) *Curiae dioecesanae* videlicet: huic ad sensum can. 363 addictis, *controversia* fortassis iudicialiter *dirimenda* « in prima quidem instatia » (§ praec.) *deferatur* ex canonis praescripto a) *vel*, *Episcopo*, « Praelatoque inferiore » (Lib. II, tit. VII, cap. X), *consentiente*, quia iuxta reg. iuris 70 in 6°: « In alternativis debitorum est electio, et sufficit alterum adimpleri », et quamvis ille uti conveniendus videatur, *ad dioecesanum tribunal* illius utens auctoritate, sed exclusa persona, nemo enim est bonus iudex in propria causa propter quod sic determinatur: *collegiale quod constat* ex iuris designatione prudenti uti praevia, constitutis iam *officiali*, de quo statim loquetur Codex, *et duobus* tantum *iudicibus synodalibus* in hoc capite cognoscendis *antiquioribus*, aut ratione officii habiti, quo appellantur, aut praecedentiae, si eodem actu fuerunt nominati, *vel ad iudicem immediate Superiorem* in iudiciali hyerarchia, quem noscemus in sequenti articulo.

32. De iudice ordinario praeter Episcopum agit cap 2 « de officio Vicarii » (I, 13) in 6°; eiusdem nomen exhibens his verbis: « Licet in officialem Episcopi per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur: potestatem tamen inquirendi, corrigendi aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis vel administrationibus amovendi, trasferri nolumus in eundem. Nisi sibi specialiter haec committantur ».

Hoc institutum canonicum confirmat sed obligatorie *can. 1573 § 1. Quilibet Episcopus*, Abbas vel Praelatus nullius, *tenetur officialem*, in quem « causarum cognitio transferatur », *eligere* sine alterius personae concursu, sed *cum potestate ordinaria iudicandi*, quia vi huius canonis « adnexa est officio » (can. 197, § 1), *a Vicario Generali* quoad officium et personam *distinctum*, ita ut tali « Vicario » potestas iurisdictionis voluntaria seu non iudicialis

solummodo attribuatur. Sequitur exceptio: *nisi* a) *parvitas dioecesis aut* b) *paucitas negotiorum* praesertim iudicialium, quamvis magna sit dioecesis, alterutrum motivum *suadeat* viro prudenti, v. gr. quia iuvari potest per delegatos ad iudicia, *hoc officium* « iudicandi cum potestate ordinaria » *ipsi Vicario generali* per speciale mandatum, *committi*, nam personae non fit talis commissio qua « potestas iurisdictionis est delegata » (can. 197, § 1). Hinc confirmatur interpretatio sub § 1° can.s 1572 data verbis « loci Ordinarius ».

Bonif. VIII in cap. 2 « de consuetudine » (I, 4) in 6° hanc dedit decisionem: « Non putamus illam consuetudinem quantocumque tempore de facto servatam consonam rationi, quod ab officiali episcopi ad eundem episcopum valeat appellari: ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur ». Parenthesim retinet § 2 dicens. *Officialis*, ut in § 1° electus vel ex commissione factus. *unum* ratione iurisdictionis, subditorum et causarum *constituit tribunal* etiam quoad huius personas *cum Episcopo loci*, Abbate vel Praelato nullius, imo cum succedente in eorum iurisdictionem. Ad similitudinem autem Vicarii generalis subditur limitatio in genere: *sed nequit iudicare causas*, *quas* singulas vel generali formula *Episcopus* ut paulo ante declaratus est *sibi reservat*, ac nequidem valide, si ita Episcopus voluerit. Et haec secunda pars ex prima profluit, adnotante Innoc. IV in cap. 3 « de appellationibus » (II, 15) in 6°: « Cum suffraganeorum Remensis ecclesiae, suorumque officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo cognoscunt) unum et idem consistorium sit censendum ».

Tum propter impedimenta, tum propter causarum multitudinem valde opportunus est § 3. *Officiali* unico *dari possunt* ex iuris concessione *adiutores* in eiusdem officio, *quibus* proinde *nomen* proprium *est vice-officialium*.

Alex. III Cassinen. Abbati scripsit [1]: « Caeterum tuam prudentiam volumus non latere, quod non sunt causae matrimonii tractandae per quoslibet, sed per iudices discretos, qui potestatem habeant iudicandi, et statuta canonum non ignorent ». His concordat § *1. Tum officialis* iuxta § 1 *tum vice-officiales* secundum § praec. constituendi *esse debent sacerdotes*, nam eorum officium ad haec accedit, « quae curam animarum in foro externo secumferunt » (can. 154), *integrae famae*, qua idonei ad tale redduntur officium,

[1] Cap. 1 « de consanguinitate et affinitate » (IV, 14).

in iure canonico doctores, quo titulo constat sequens *vel ceteroqui periti*, (quamvis sine gradu academico) iuxta cit. cap. Decretalium, aliunde tunc probandum, *annos nati non minus triginta*, seu completos, sicut pro Vicario generali praescriptum est canone 367, § 1.

Quia praefati omnes causas « Episcopi vices supplendo cognoseunt » [1], liberae illorum electioni consequens est applicatio reg. 1 iuris [2]: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », quod facit § 5 praescribens. *Sunt* « tum officialis tum vice-officiales » a) *amovibiles ad nutum Episcopi*, respective « Abbatis vel Praelati nullius » (can. 215, § 2), ita intelligendum quod ex rationabili causa sic procedat; et e contrario argumento: b) *vacante sede* alterutra I° *a munere non cessant*, II° *nec a Vicario Capitulari amoveri* « ad nutum » *possunt*, seu extraiudicialiter et citra delictum, iuxta can. 436: « Sede vacante nihil innovetur »; c) *adveniente autem novo Episcopo*, Abbate vel Praelato nullius, « cum (illi) sint amovibiles ad nutum », *indigent confirmatione* expressa vel tacita, ut qua officialis vel vice-officiales permaneant, munusque rite exerceant.

Complet §^{m} praecedentem pro casibus exceptionis sub § 1°, sequens § 6. *Qui Vicarius Generalis est idemque officialis* quolibet ex motivo, *sede vacante Episcopi*, Abbatis vel Praelati nullius, *cessat quidem* ad normam can. 371 *a Vicarii* supple officio, *non autem* illa de causa *ab officialis munere*, quia circa hoc regitur per § 5^{m}.

Respiciens Codex ad ea, quae frequenter evenire possunt, addit praescriptum quod continet § 7. *Si officialis eligatur* ad normam can. 433, 434 *in Vicarium Capitularem*, *ipse* « edita fidei professione » (can. 438) *novum* idest: alteram personam qualitatibus §^{i} 4^{i} ornatam atque in adimplementum §^{i} 1^{i} per praesentem implicite extensi *nominat officialem*. Supponit ergo duo haec officia esse incompatibilia, et implicite supponitur ad Vicarium Capitularem pertinere officialis nominationem ac « vice officialium » ex tenore impersonali §^{i} 3^{i}, quando ille vel hi necessarii deficiant, dum sedes vacat.

33. De iudicibus synodalibus et pro-synodalibus. — Hoc institutum repetit originem suam ex Decretali « Statutum » Bonif. VIII « de rescriptis » in 6°. « Quoniam (vero), ob malitiosam petentium suggestionem, et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur (auctoritate littera-

[1] Cap. 3 « de appellationibus » (II, 15). — [2] Lib. V, tit. 41 « de regulis iuris ».

rum Sedis Apostolicae vel legatorum eiusdem ex cit. Decreto), usque adeo haberi non potest; hincque interdum iudicibus, non undequaque idoneis, causae in partibus delegantur: statuit S. Synodus (Tridentina) [1], in singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, iuxta const. Bonifacii VIII, quae incipit *Statutum* (nempe: « dignitate praeditas, aut personatum obtinentes, seu ecclesiarum cathedralium obtinentes), et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causae ecclesiasticae, ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandae committantur ».

Bened. XIV in ep. encycl. « Quamvis paternae » [2], § 5, vult et mandat; quod... si forte unum, vel plures illorum mori contingat, antequam denuo ea Concilia cogantur, decedentibus subrogentur novi iudices, eligendi ab Episcopo cum consilio Capituli qui nomina subrogatorum in dicto munere, usque ad diem Synodi duraturo, (Ipsi Ben. XIV) significarent. Ubi vero Concilia... iamdiu coacta non sunt, nec ulla idcirco facta dignoscitur iudicum electio: .... interim... cum consensu suorum Capitulorum iudices eligant,... et si mori aliquem contingat, alios cum Capituli consilio sufficiant, suffectosque Nobis indilate denuncient. Quo autem ad numerum eligendorum, etsi Trid.° Dec.° cautum sit, quatuor saltem in unaquaque Dioecesi eligi debere, plures, nihilominus eligi volumus, si Dioecesis amplitudo, aliaeque peculiares circumstantiae id probe exposcere videantur ».

Praedictorum iudicum in illis iuris textibus expositum vel praesuppositum munus eis salvum manet. Sed adiudicatum qua principale aliud fuit « in dioecesibus... in quibus Curiae episcopales nondum possunt institui » secundum. S. Congr.s de Prop. Fide Instruct. anno 1883 [3]. « Videlicet: singuli Antistites in Synodo dioecesana, audito clericorum consilio, quod tamen sequi non tenentur, quinque, vel ubi adiuncta rerum id fieri non sinant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et, quantum fieri poterit, in iure canonico peritis seligant ad huiusmodi (iudicandi) officium, ut in praedicta instructione (diei 20 Julii anno 1878) declaratum extat, exercendum. Quod si ob aliquam gravem causam synodus haberi nequeat, quinque vel tres, ut supra, ecclesiastici viri per Episcopum ad idem munus deputentur. Electi in officio manebunt usque ad proximam Dioecesanae Synodi celebrationem, in qua vel confirmentur, vel alii eorum loco designentur. Quod si inter-

[1] Cap. 10, sess. XXV de Ref. — [2] 26 Aug. 1741. — [3] Collectanea S. C. de P. F. n. 1586.

dum morte aut renunciatione, vel alia causa praescriptum consiliariorum numerus minuatur, Episcopus audito consilio caeterorum ad commissionem pertinentium alios sufficiet. Porro commissio haec consultorum iureiurando obstricta tenetur ad officium fideliter adimplendum, et praeside Episcopo vel Vicario Generali rem suam aget ».

Sic extante disciplina, et prae oculis habens eam, Codex ultimam huic instituto manum apposuit, simul eis iudicibus assignans munus ordinarium cum inductione tribunalis collegialis obligatoria. En quo modo praescribit *can. 1574. — 1. In qualibet dioecesi*, « cuius nomine venit quoque Abbatia vel Praelatura nullius » (can. 215, § 2) a) *presbyteri* taxative, proinde non Episcopi titulares forsan ibidem degentes, b) *probatae vitae* iuxta instructionem cit.^{m} *et* c) *in iure canonico periti*, prouti natura officii huiusmodi expostulat, d) *etsi extradioecesani*, quatenus in dioecesis clerum non sint adscripti, ut illae qualitates cum effectu exigantur, vel si adiuncta tales requirant, « quatuor, saltem, ut in Trid.° Dec.° cautum fuit », ut praescriptum can. 1576 sub n. 2° et 3° § 1 servari queat, ac *non plures quam duodecim eligantur* iuxta §^{m} 2^{m}, « etsi Dioecesis amplitudo aliaeque circumstantiae id (nempe: plures quam quatuor sufficientes) probe exposcere videantur » (ex ep. Benedicti XIV). Sequitur munus et appellatio eorum, videlicet: *ut potestate ab Episcopo*, « Abbate vel Praelato nullius » (can. 215, § 2), non vero a Vicario Generali, nisi de mandato speciali, ut supra, *delegata*, unde pro foro iudiciali hanc delegandi limitationem attendat Episcopus oportet, quin delegationis validitatem attingat, *in litibus iudicandis*, vel principaliter ut singuli, vel collegialiter *partem*, ac tunc ex ordinaria iurisdictione propter praesuppositam designationem in casu, *habeant* ex iuris praescripto; *quibus* personis supra declaratis *nomen esto* proprium a iure confirmatum *iudicum synodalium* statim ac rite in dioecesana Synodo fuerint constituti, *aut pro-synodalium*, qui munus illorum sed extraordinario modo obtinuerunt, *si extra Synodum*, quod verbum in Codice dioecesanam significat, *constituuntur* ad normam statim explicandam.

§ 2. *Quod ad eorum* « iudicum synodalium aut pro-synodalium » a) *electionem*, non stricte dictam iuxta inscriptionem art. II, cap.^{s} I, tit. IV, Lib.^{i} II^{i}, sed sumptam pro designatione personae iuridica, b) *substitutionem*, quando « morte, renunciatione aut alia causa » (cit. instr.) unus illorum deficiat, c) multiplicem absque culpa *cessationem*, *aut* per Superiorem propter culpam vel ob iustam causam d) *remotionem a munere* praefatorum iudicum *at-*

linel, serventur praescripta can. 385-388, « de examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus ».

Utile putamus eadem hic transferre, prout servanda sunt. (Can. 385, § 1). « Judices synodales omnes in Synodo constituantur, propositi ab Episcopo, a Synodo approbati. (§ 2). Tot eligantur quot Episcopus prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit, non tamen infra quatuor, nec ultra duodecim. — (Can. 386, § 1). Judicibus synodalibus medio tempore inter unam et aliam Synodum demortuis vel alia ratione a munere cessantibus, alios pro-synodales Episcopus substituat de consilio Capituli cathedralis (§ 2). Quae regula servetur quoque in iudicibus pro-synodalibus constituendis, quoties Synodus non habeatur. — (Can. 387, § 1). Judices sive synodales sive pro-synodales post decennium ab incepto munere vel etiam prius, adveniente nova Synodo, officio cadunt; possunt tamen negotium iam coeptum ad exitum perducere et, servatis de iure servandis, denuo constitui. (§ 2). Judices pro-synodales, qui loco deficientium constituantur, in officio persistunt dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti fuerunt. — Can. 388). Removeri ab Episcopo nequeunt (iudices synodales vel pro-synodales), nisi ex gravi causa et de consilio Capituli cathedralis ».

Prout alias factum est, verborum canonicam significationem dat § 3. *Nomine iudicum synodalium*, quandocumque sic nominentur *in iure* Codicis alioque post Codicem, quia, ut vidimus, circa iuridicas normas aequipollent, *veniunt quoque iudices pro-synodales*.

34. De assessoribus, qui nempe: iudici ecclesiastico causam instruenti, disceptanti ac definienti, uno verbo pro tribunali sedenti adsunt consilio ac iuris peritia, propter connexionem praescripti cum canone praecedenti tractat *can. 1575*. Agit vero de illorum iuridica convenientia et qualitatibus.

Bonif. VIII quando in cap. « Statutum » [1] de iudicibus synodalibus iecit fundamenta, eis praescripsit: « nec (causae) audiantur alibi, quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi ». Alias vero seu in cap. 20 « de haereticis » (V, 2) in 6° idem Pontifex inquit: « ac nihilominus sive Episcopus, sive Inquisitores processerint (in causa haeresis) aliquibus aliis personis providis, iurisque peritis (quas ad hoc vocari, et eis per totum processum super quo deliberandum est seriose manifestari, ac integraliter explicari, et de ipsorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus) expri-

[1] Cap. 11 « de rescriptis » (I, 3 in 6°.

mantur (supple: testium et accusatorum nomina): sicque (non obstante quod illis contra quos huiusmodi deposuerunt, nomina ipsorum non fuerunt publicata) adhibeatur ad cognitionem iudicis instruendam plena fides depositionibus testium eorundem ».

Hoc providum institutum Codex sic commendat. *Unicus iudex*, prout opponitur tribunali collegiali, quod pluribus iudicibus constat, *in quolibet iudicio* « ecclesiastico contentioso vel criminali » (can. 1552, § 2), *duos assessores* supra definitos, additurque *consulentes*, quia non adstringitur iure ipsorum sententiam sequi, *sibi*, etiam examinanti causam *adsciscere potest*, quin obligatorium hoc fiat per canonem ; *quos tamen*, casu quo adsciscat, *ex iudicibus* solummodo *synodalibus* tunc in munere pro dioecesi ad sensum can. praec.s *eligere* inter eos pro libitu *debet*. Secus « assessores » iure non erunt.

Hoc in loco videtur opportuna insertio resolutionis S. Congr. Conc. in Wratislavien, quae hunc et alterum immediate praecedentem canonem attingit. « I. An consuetudo, per 170 annos usitata, qua in tribunalibus dioecesis Wratislaviensis admittuntur iurisperiti laici cum voto deliberativo in causis matrimonialibus et contentiosis — exclusis semper criminalibus — legitima dici et deinceps tolerari possit.

II. An in futurum laici homines, in iure et canonibus periti in iudiciis ecclesiasticis admitti possint tamquam Auditores ad causas instruendas, praeter criminales, vel tamquam Assessores cum voto consultivo in iis causis, quae aliquo modo connexae sunt cum legibus civilibus.

E.mi ac Revmi. Patres respondendum censuerunt: *Negative* ad utrumque » [1]. Rationes videri possunt in loco citato.

35. Tribunalis collegialis obligatorium institutum a Codice inductum est inter tribunalia ordinaria primae iustantiae. Novus enim est *can. 1576. Reprobata* a) *contraria* etiam maioris vel minoris numeri iudicum *consuetudine*, sive initio Codicis « vigens, quae tanquam iuris corruptela corrigatur, licet sit immemorabilis, neve sinatur in posterum reviviscere », (can. 5), sive post Codicem incipiente, quia « non est rationabilis » (can. 27, § 2), *et* b) *revocato quolibet contrario*, sicut verbum hoc manet declaratum, *privilegio* « ab Apostolica Sede (forsan) ad Codicis usque tempora personis sive physicis sive moralibus concesso » (can. 4):

Praescriptum est multiplex *1° Causae contentiosae* propter « obiectum iudicii » (can. 1552 § 2, 1°) a) *de* alterutro *vinculo*,

[1] 14 Dec. 1918. CO. XI, 132.

nempe: *sacrae ordinationis*, quoad huius validitatem, sicut *et matrimonii*, *vel* b) *de iuribus* quibuslibet *aut bonis temporalibus* ex can. 1497 dignoscendis *cathedralis ecclesiae*, qua loci sacri habentis bona fabricae in utilitatem suam et cultus ibidem exercendi, sic dictae propter Episcopi cathedram, aut Abbatis vel Praelati nullius; ac sequitur altera praescripti pars: *itemque* « causae », proinde iudicialiter tractandae, *criminales*, « in ordine igitur ad poenam (propter delictum) infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2, 2°), sed *in quibus res est*, seu agitur a) *de privatione beneficii* proprie dicti ad normam can. 1409, et quidem *inamovibilis*, idest « quod confertur in perpetuum » (can. 1411, 4°), *aut* « in quibus res est » b) *de irroganda* determinato delinquenti *vel declaranda*, hac « latae sententiae », illa « ferendae sententiae » *excommunicatione*, quae ut « poena determinata in ipsa lege statuatur », seu a iure (can. 2217, § 1, 3°), singulae sic declaratae « causae » *tribunali* « ordinario primae instantiae », sed *collegiali trium iudicum reservantur* « a iure expresse », ac proinde pro his causis « iudex primae instantiae (non) est (solus) loci Ordinarius » (can. 1572, § 1), seu invalide cognosceret eas.

2° *Causae vero*, uti supra declaratae sunt « criminales » *quibus agitur de delictis* in iure expressis *quae* a) *depositionis* explicandae sub can. 2303, b) *privationis perpetuae habitus ecclesiastici*, quam exponit can. 2304, *vel* c) *degradationis*, quam evolvit can. 2305 *poenam* vindicativam *important* saltem si post poenam priorem inflictam « clericus scandalum dare pergat » (can. 2304, § 1), aut « grave per annum » (can. 2305, § 2), singulae declaratae causae *reservantur*, prout manet hoc verbum sub n. 1° explicatum, *tribunali quinque iudicum* etiam ordinario primae instantiae.

Hucusque de necessitate tribunalis collegialis praefati. De convenientia meroque praescripto est § 2. *Loci Ordinarius* (can. 198, § 2) sed Vicarius generalis « implicite excipitur », nisi officialis simul existat, eo quod iuxta reg. iuris 79 in 6°: « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur », sequitur enim: *tribunali collegiali* supra declarato a) *trium vel* b) *quinque iudicum* ut supra, *cognitionem committere potest* « potestas ergo iurisdictionis est (in illo) delegata » (can. 197, § 1), non erit tamen obligatus) *etiam* seu ultra praescriptum §[i] 1[i] *aliarum causarum* sive quae contentiosae sint, sive quae criminales, atque subditur: *idque* hoc est praefatam commissionem *praesertim* quin erga alias arbitrium Ordinarii excludatur, *faciat* ex canonis praescripto, quin « reserventur », ut supra, cuius interpretatio data

hinc liquet, *quando de causis* quibusvis *agitur quae, attentis* seu prudenter consideratis *temporis, loci et personarum* iudicio interessentium *adiunctis* seu circumstantiis, simul *et materia iudicii* fortassis cum speciali gravitate, implexu probationum, etc. *difficiliores* quoad cognitionem ac definitionem *et maioris momenti* ob consequentias inde vel ex praefatis « adiunctis » exorti *videantur* prudenti Ordinario.

Tam de iudicibus sub § 2° quam de ipsis sub § 1° est intelligendus § 3, propter hoc quod sequitur illi § 2° quem an attingat, dubitari posset. *Duos vel quatuor iudices* in his §§is memoratos, seu *qui una cum praeside* ad complendum trium vel quinque numerum necessario *tribunal collegiale* supra declaratum qua iurisdictionis subiectum *constituunt, inter iudices synodales* interpretandos ex can. 1574 *Ordinarius*, idest Episcopus, Abbas vel Praelatus nullius, a quo eis « delegata potestas (derivatur) in litibus iudicandis » (can. 1574 § 1), *nisi pro sua prudentia*, proindeque circumstantiis eorum ac iudicii ponderatis, *aliter opportunum existimaverit*, quae interiecta propositio non est referenda ad hoc quod « inter iudices synodales » non eligantur, sed ad hoc quod inter ipsos *eligat*, ut verbum requirit ac praeceptive per *turnum*, id est: iuxta ordinem temporis quo tribunali adiudicanda sit causa, simul ac ordinem praecedentiae inter illos iuxta requisitum numerum. Ita studii partium vel acceptionis personarum nec specie tenus simulari poterit Episcopus.

Ex toto canonis contextu atque cum sequentibus liquet hic non agi posse de tribunali exempto religiosorum, ac revera una causa, quae ipsos respicere posset ex § 1° erit « criminalis de irroganda vel declaranda excommunicatione », sed ratione personarum vel « per modum praecepti extra iudicium infligi » deberet (can. 1933, § 4), vel etiam perraro declarandam esse praesumitur.

35. Tribunalis collegialis norma procedendi et praeses. — Caelestinus III in cap. 21 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X ait: « quinto loco supplicas informari, utrum cum tribus causa committitur, ita quod si omnes interesse nequiverint, duo causam nihilominus exequantur: si reus a duobus tantum fuerit convocatus, venire necessario teneatur. Et si citatus a pluribus coram duobus comparuerit, tertio nec veniente per se, nec per litteras (ut solet fieri) excusante, an duo praesentes in causa possint procedere, et eam sententiae calculo terminare? — In hoc casu taliter respondemus, quod cum aliquis delegatorum iudicum, per certum nuntium, vel excusatorem litteratorie destinatum non ostenderit se interesse non posse: vel alias de eodem canonice cons-

tare non poterit, residui procedere ad causae cognitionem non debent, quod si processerint, nihil reputabuntur egisse. Illa quippe fuit antiqua Apostolicae Sedis provisio: ut huiusmodi causarum recognitiones duobus quam uni, tribus quam duobus libentius delegaret: cum (sicut canones attestantur) integrum sit iudicium quod plurimorum sententiis confirmatur. Mandati quidem excedere fines probaretur, si quis citra formam rescripti accepti praesumeret iudicare ».

Diversae huiusmodi mandati clausulae authentice declarantur statim ac plenius in cap. 13 « de rescriptis » (I, 3) X.

Quoad tribunal ordinarium habemus ex can. 31 [1] de S. Romana Rota: « § 3. Ea demum sit sententia in qua firmiter conveniant duo saltem ex Auditoribus, aut pars absolute maior praesentium, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur ». Atque in regulis servandis apud idem tribunal [2] sub § 176 dicitur: « Ea est sententia sive interlocutoria sive definitiva in qua conveniat pars absolute maior votorum ».

Igitur cum haec praescripta fulciantur ex natura tribunalis collegialis, eadem retinet ampliataque simili primae instantiae tribunali applicat *can. 1577*. Imo verba generalia sunt generaliter ob praefatam rationem intelligenda, quae adhibet § *1. Tribunal collegiale*, ob contextum illud de quo est canon praecedens, sed pari ratione quodlibet huiusmodi, etsi religiosorum v. gr. quando « supremus religionis vel monasticae Congregationis Moderator cum suo Consilio seu Capitulo, quod quatuor saltem religiosis constet, ...qui cum ipso tribunal collegiale constituunt » (can. 655, § 1), vel secundae ulteriorisve instantiae, sive ordinarium sit illud sive delegatum, *collegialiter*, seu de consensu iudicum ad acta tribunalis convenientium, *procedere debent* ex canonis iussu, *et ad maiorem suffragiorum* singulorum, suffragio praesidis computato, *partem* ultra medietatem, seu absolutam maioritatem, *sententias*, tum interlocutorias, tum definitivas, *ferre*, quamvis omnium subscriptione fortassis requisita, sufficitque alias ut dicatur in sententia fuisse hanc de aliorum iudicum consensu latam, et subscriptiones praesidis tribunalis necnon actuarii illa muniatur.

§ 2 opportune providet actorum directioni statuens. *Eidem* supple « tribunali » de quo in 1ª § *praecst* vi huius canonis *officialis*, ergo istud est tribunal episcopale ob §m 2m cans 1573, et hic est praeses, quem expressit can. 1576 sub § 3°, indeque confirmatur assertio supra posita: « tribunal collegiale » sub § 1°

[1] Lex propria S. R. Rotae et Signaturae Ap., 29 Iun. 1888. CO, I, 28, — [2] 4 Aug. 1910. CO, II, 834.

can[s] 1577 esse intelligendum ex contextu de « tribunali ordinario primae instantiae », *vel* « praest » *vice-officialis cuius* alteriusutrius praesidis *est* quamvis solius munus: a) *processum* quoad eius acta *dirigere*, huiusque voluntati erit ab omnibus quoad hoc parendum, pariterque quoad aliud sic expressum *et decernere*, pronuntiando per decreta ut iudex *quae pro iustitiae* prudenti *administratione* secundum canones huius partis *in causa quae agitur* diversimode *necessaria sunt* eiusdem iudicio, aliorumque iudicum fortassis expetito. — Praeter haec bene distincta in hoc paragrapho ac sufficienter declarata, remanent sententiae atque informationes iudicum in processus decursu ad illas rite ferendas. Quo modo illae debeant ferri iam diximus, pro informatione autem iudicum conferunt actus transeunter positi et hoc modo examinandi v. gr. litis contestatio, examen partium ac testium, inspectio loci, etc. atque probationes stabiles quae in actis inseruntur. Hae separatim a iudicibus singulis examinari ac perpendi debent, illis vero omnes communiter intervenire debent, nemine excepto, atque sic « collegialiter » vere procedent.

36. De praeside Episcopo agit *can. 1578* incipiens ab exclusione. *Exceptis causis de quibus in can. 1572* § 2 statutum est disiunctive: « controversia dirimenda deferatur, consentiente Episcopo, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat officiali, etc. ».

Praefatis ergo « exceptis causis », *Episcopus*, « Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), *semper* ac sibi placuerit ob « iudiciariam potestatem » (can. 1572, § 1), et non obstante §[i] praec.[is] praescripto, *potest* licite quoque *tribunali* « collegiali » de quo supra *ipse per se*, hinc excluso officiali, qui alias « praest », *praeesse* siquidem per totum processum causae, ac servata « electione per turnum inter iudices synodales » ad normam can. 1576, § 3, et hinc « causas contentiosas vel criminales », quas enumerat can. cit. sub § 1° sibimet praedicto modo reservare, quas « officialis nequit iudicare » ut declaratum est in § 2°, can.[s] 1573. Prosequitur canon sic monens: *sed valde expedit*, decet ergo Episcopum ita se gerere, *ut causas* videndas ex praecepto apud « collegiale tribunal ad normam can. 1576 §§ 1° et 2°, *praesertim*, uti praecipuum commendationis motivum, *criminales et contentiosas* utrasque *gravis momenti*, ac proinde magnam requirentes attentionem, *iudicandas relinquat* quasi regulariter ipsis addictis *tribunali ordinario* sic dicto propter ordinariam iurisdictionem « eidem (qua collegio) ipso iure adnexa » (can. 197, § 1), *cui praesit* de facto

officialis vel vice-officialis iuxta declarationem §[1] 2[i] can.[s] 1577 hinc confirmatam.

37. Iudex ordinarius primae instantiae in causis religiosorum datur ultimo loco, dum praescribit *can. 1579* diversos casus distinguens. § *1. Si controversia* « coram tribunali ecclesiastico erit disceptanda et definienda » (can. 1552, § 1), sive contentiosum sit iudicium sive criminale, ac. *sit orta inter religiosos*, qua privatas personas, vel qua domus religiosae administratores superioresque *exemptos eiusdem religionis clericalis*, quae sit Ordo vel Congregatio, *iudex primae instantiae* equidem unus in huiusmodi tribunali, cum limitatione: *nisi aliud in constitutionibus caveatur*, v. gr. in Ordine Praedicatorum quoad Praelatum singularum domuum respectu eiusdem subditorum ac religiosorum hospitum, *est Superior* quoad iurisdictionem *provincialis* quocumque nomine appelletur, dummodo praesideat pluribus domibus in Provinciam vel similem divisionem coadunatis, *aut, si Monasterium sit sui iuris*, quamvis pars Congregationis monasticae, « iudex » praelatus quoad eiusdem monachos « est » *Abbas localis* saltem de regimine.

§ 2 incipit cum inserta §[o] praec.[i] clausula: *Salvo diverso* idest: aliter ac sequitur statuente *constitutionum* « singularum religionum » (can. 489) *praescripto, si res contentiosa*, quae nempe huiusmodi iudicio qua obiectum subiiciatur, a) *inter duas provincias* in n. 6[o] can.[s] 488 definitas, qua personas morales, et « eiusdem religionis clericalis » ut in § 1°, ex contextu et natura rei, *in prima instantia* pluries declarata *iudicabit* ex canonis praescripto *ipse* solus *per se vel per delegatum* potestatis iudicialis fori externi *supremus*, ultra quem in religione alius non sit Superior, *religionis* unicuiusque *Moderator*, quocumque appelletur nomine, Praepositus, Magister, Minister, imo et Vicarius, aliquo eorum mortuo, amoto, vel cessante in officio, b) *si* vero « res contentiosa » agatur » *inter duo monasteria*, quorum provinciae non dantur, sed « eiusdem religionis clericalis » ut supra, supple « in prima instantia iudicabit per se vel per delegatum » *supremus Moderator Congregationis monasticae* qua talis, sub quo videlicet est « plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio » non vero Abbas primas benedictinorum atratorum, eo quod Abbas primas non habet iurisdictionem de qua hic tractatur « nec ex propriis constitutionibus nec ex peculiaribus S. Sedis decretis » (can. 501, § 3.

Ampliata valde exemptionis limitatione, quam memoratur Bened. XIV const. « Ad militantis » [1] ex Conc. Trid. (cap. 14

[1] 30 Mart. 1742, § 42.

sess. XXV « de regularibus et monialibus », et ratione prorsus propter maiorem libertatem a studio partium, decernit. § 3. *Si demum controversia* ut in § 1° manet declarata, *enascatur inter religiosas* quaslibet *personas*, quae nempe « vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°) *physicas vel morales*, id est: quae ex illis constant « collegiales », v. gr. domus, provincia, religio ipsa, non exempta ob can. 1557, § 2°, dummodo a) *diversae sint religionis* n. 1° can.s 488 definitae, *aut* b) *etiam inter religiosos eiusdem religionis*, prout haec verba in huius can.s § 1° fuerunt interpretata, sed secus ac ibi et disiunctive *non exemptae vel laicalis*, quando nempe Superiores maiores non dicuntur « Ordinarii » ad normam can.s 198 § 1, atque proinde carent potestate iudiciali, *aut* demum *inter religiosum* interpretandum ut antea, ex una parte *et* ex altera *clericum* ob « primam saltem tonsuram » (can. 108, § 1) *saecularem*, quia nulli religioni adscriptum, *vel laicum*, *iudex primae instantiae est Ordinarius loci* determinandi pro casibus singulis per canones « de foro competenti » (Tit. I, Lib. IV).

Art. II. — *De auditoribus et relatoribus.*

Can. 1580. - § 1. Potest Ordinarius unum aut plures auditores, seu actorum instructores, sive stabiliter sive pro certa aliqua causa constituere.

§ 2. Iudex auditorem eligere potest tantummodo pro causa quam cognoscit, nisi Ordinarius iam providerit.

Can. 1581. - Auditores pro tribunali dioecesano, quantum fieri potest, deligantur ex iudicibus synodalibus; pro tribunali vero religiosorum deligendi semper sunt ex alumnis eiusdem religionis ad normam constitutionum.

Can. 1582. - Eorum est testes citare et audire, aliaque acta iudicialia instruere secundum tenorem mandati, non autem sententiam definitivam ferre.

Can. 1583. - Auditor in quovis litis momento ab officio removeri potest ab eo qui eundem elegit, iusta tamen de causa, et citra partium praeiudicium.

Can. 1584. - Tribunalis collegialis praeses debet unum de iudicibus collegii ponentem seu relatorem designare qui in coetu iudicum de causa referat et sententias in scriptis redigat; et ipsi idem praeses potest alium ex iuxta causa substituere.

38. Inscriptio articuli canonumque coordinatio. — Sequitur considerandus *Art. II* continens canones de his personis physicis, quae adiuvant iudicem vel tribunale participes alterutrius iurisdictionis secundum actus naturam qui ad iudicium pertinet. Inscribitur *De Auditoribus*, qui ab audiendis partibus aut testibus sunt dicti, et in iure Decretalium inveniuntur, imo ex historia innotescunt Auditores seu Cappellani Summi Pontificis, qui tale munus exercebant in causis ad Eum delatis, et inde ortum habuerunt qui Auditoris nomen retinuerunt ac sunt veri iudices in

S. Romana Rota. Inscriptio completur verbis *et Relatoribus*, qui evidenter a referendo dicuntur et causae Ponentes alias appellantur.

De his est unicus can. 1584. Huic praecedunt canones qui de auditoribus tractant, equidem circa potestatem eos instituendi can. 1580, qualitates eorum refert can. 1581, munus describit can. 1582, dum illius terminum moderatur can. 1583.

39. Quis possit auditores constituere. — Respondet *can. 1580, § 1. Potest* vi huius canonis *Ordinarius* ad normam can. 198 § 1, ac inde « pro suis subditis Superior maior in religionibus clericalibus exemptis », *unum aut plures* pro libitu prudenti *auditores* cum hac iuridica appellatione, *seu* quoad munus *actorum* quibus iudicium constat *instructores*, quatenus ex officio faciunt quae ad iudicem pertinent in causae progressu, ac sequitur, *sive stabiliter*, uti officium ad occurrentes causas, *sive pro certa* solum *aliqua causa constituere*.

Aliter statuit § 2. *Judex* quilibet primae instantiae, de quo agitur in hoc capite, unde « officialis cum potestate ordinaria iudicandi » (can. 1573, § 1), vice-officialis, imo « iudex » ab Ordinario forsan delegatus *auditorem* iuxta datam definitionem eligere inter plures idoneos *potest* vi huius canonis non stabiliter ut dicitur in § 1°, ita ut talis electio non valeret, sed *tantummodo pro causa* singulari *quam* actu *cognoscit* ergo post litem contestatam, imo et haec iuris concessio intelligatur, *nisi Ordinarius* iuxta interpretationem illius verbi sub § 1° *iam providerit* fortassis per « auditorem stabiliter constitutum », quem iudex acceptare teneretur.

40. Auditorum qualitas ecclesiastica ex eorum munere exigitur, ut eruitur ex Synodo Eugenii Papae [1]. « Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non praesumant. Sed episcopi, abbates, archiepiscopi et alii ecclesiarum praelati, de negotiis ecclesiasticis (maxime de illis quae spiritualia esse noscuntur) laicorum iudicio non disponant ». Atque id ipsum auditoribus plene aptari indigitat Instr. S. Congr.s de Prop. Fide an. 1883 sic incipiens num. XII quoad alia supra relatum: « Ubi Curiae iam constitutae sunt, compilatio processus committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat actuarius ». Assistentia nunc etiam necessaria vi can.s 1582.

His congruit *can. 1581. Auditores* iure tales a) *pro tribunali dioecesano*, abbatiae vel praelaturae nullius, etsi « pro certa aliqua causa » (can. 1580) *quantum fieri potest* attentis circumstantiis,

[1] Cap. 2 « de iudiciis » (II, 1).

sed tunc loquitur praeceptive canon: *deligantur ex iudicibus synodalibus* (can. 1574, § 3) rite designatis; b) *pro tribunali vero religiosorum* sic appellato propter iudicem datum §§s 1 et 2. can.s 1579 non ratione unius ex contendentibus vel utriusque ut in § 3° eiusdem canonis, nam *deligendi semper sunt ex alumnis* equidem professis *eiusdem religionis* ad quam pertinent partes, et confirmatur ex hoc quod sequitur *ad normam constitutionum*, quas servare soli religiosi debent.

41. Auditorum munus distincte erui posse existimamus, si attente discutiantur textus in fontibus citati, animadvertendo numeros Instructionum omnino ad invicem inveniri concordes. Innoc. III Cantuariensi archiep. ait [1]: « Nos autem statuimus, quod... si (tamen) delegatus a Nobis vel iudex quicumque, non tam cognitorem quam executorem ad aliquem certum articulum quempiam deputaverit: ab eo, (nisi modum excedat) non liceat appellari, dummodo de partium deputetur, vel recipiatur assensu. Quod si delegatus a Nobis vel litis exordium, vel causae finem, nedum totum negotium ei duxerit committendum: ab ipso tanquam a iudice licite provocetur: cum lis ante iudicem debeat contestari, et causam per iudicem diffiniri... Verum, cum totam causam committit alicui, vel principium aut finem ipsius, ab eo, tanquam a iudice potest licite provocari. Cum autem alicui medium tantum committit, ab ipso tanquam ab auditore provocari non potest, nisi mandati fines excedat, vel merito sit suspectus: unde ne valeat recusari provide statuimus, ut de partium detur vel recipiatur assensu ».

Eodem modo disponitur in cit.s Instructionibus. In ea namque S. Congr.s EE. et RR. legitur sub num. « XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo Ecclesiastico adstante Actuario ». Et infra num. « XXIX. Expleto processus actorum, Instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem ». Propositio vero causae facienda est coram Ordinario, cui reservatur prolatio sententiae post votum Procuratoris fiscalis et deductiones defensionis.

His congruit omnino *can. 1582. Eorum* nempe « auditorum pro utroque tribunali » (can. 1581) *est munus* ex iure *testes citare*, quod fit post litem contestatam iuxta rubricam (tit. VII, Lib. II): « Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem », *et* eos *audire*, *aliaque acta iudicialia*, nempe: non « principium, sed medium tantum causae » (Decretali cit.), seu « processus con-

[1] Cap. 27 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29).

fectionem » (Instr. cit.) *instruere*, quod iudicis esset, *secundum tenorem mandati*, quo institutus est auditor ad omnia illa vel quaedam solummodo, *non autem* « causae finem » (Decret. cit.) vel *sententiam definitivam ferre* « non obstante (circa illud in canone concessum) quando dicitur, quod iudex debet cognoscere per seipsum in principio, in medio et in fine: cum antequam ferat sententiam, universa quae acta sunt in iudicio (fortassis per Auditorem), investigare debeat diligenter ».

42. Illius muneris terminus logice expostulatur propter ipsius fiduciariam naturam. Hoc praesupponit aiens *can. 1583. Auditor* quilibet *in quovis litis momento ab officio* stabili vel pro hac lite exercendo *removeri potest ab eo qui* ad normam can.s 1580 *eundem elegit*, videlicet « Ordinarius vel iudex » secundum duas illius paragraphos, sicut patet ex reg. 1 iuris: duo vero requiruntur ad licitam remotionem, addente canone: *iusta tamen de causa*, quod attinet ad Auditorem, ne violetur regula iuris 23 in 6°: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus », *et citra partium praeiudicium* inde sequendum, quod vitandum ex iure naturae coarctet potestatis libertatem.

43. De Ponente sic legitur in can. 21 Legis propriae [1] S. Romanae Rotae: « Praeses turni, seu Auditorum coetus, qui tribunal constituit, per se est etiam Ponens seu relator causae. Quod si iustam habeat rationem declinandi hoc officium, auditis ceteris turni seu coetus Auditoribus, suo decreto statuet qui vice sua Ponentis munus suscipiat ».

In Regulis vero servandis apud idem Tribunal [2], sic scriptus est « § 1. Quaelibet causa, coram Sacra Rota tractanda, committitur Auditori Ponenti, turni Praesidi, cui competit nonnulla acta iudicialia explere, uti infra explicabitur ». Praeter plura alia in processus decursu, et quae directionem illius respiciunt, eidem adiudicat § 179 duos actus circa sententiam: « § 1. Capta decisione, Ponens eam scribit sub forma responsionis ad dubia, eamdem uniens fasciculo actorum, uti partem sententiae dispositivam... § 4. Sententia exaranda est a Ponente, vel ab alio ex Auditoribus, cui hoc munus in secreta causae discussione commissum sit ».

Ad similitudinem huius Tribunalis iam ab antiquo collegialis, ac praesupposita officialis seu praesidis directione quoad processum sub § 2° can.s 1577 praescripta, statuit *can. 1584. Tribunalis collegialis* de quo fuit tractatum in praec. articulo, *praeses*, sive Ordinarius sit, sive officialis aut vice-officialis, *debet* ob canonis

[1] 29 Iun. 1908. CO. I, 25. — [2] 4 Aug. 1910. CO. II, 784.

iussum *unum de iudicibus collegii* de quorum numero est quoque ipse, *ponentem* ex nominis usu *seu* ob munus *relatorem designare qui* ad hoc deputatur, ut a) *in coetu* convenientium *iudicum de causa* proinde accuratius examinanda *referat* aliis *et* b) *sententias*, sive interlocutorias, sive definitivam, *in scriptis* per extensum *redigat; et ipsi* relatori iam designato *idem* supra declaratus *praeses potest alium* « de iudicibus collegii » *ex iusta causa*, quae vel relatorem existentem, vel coetum ipsum, vel processum respiciat *substituere*, ita ut prioris munus in hunc transferatur. Talis designatio ac substitutio sine aliorum consensu nec consilio, et tam oretenus quam per decretum fieri potest.

Art. III. — *De Notario, Promotore iustitiae, vinculi Defensore.*

Can. 1585. - § 1. Cuilibet processui interesse oportet notarium, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta.

§ 2. Quare iudex, antequam causam cognoscere incipiat, in actuarium assumere debet unum e notariis legitime constitutis, nisi ipse Ordinarius aliquem pro ea causa iam designaverit.

Can. 1586. - Constituatur in dioecesi *promotor iustitiae* et *defensor vinculi;* ille pro causis, tum contentiosis in quibus bonum publicum, Ordinarii iudicio, in discrimen vocari potest, tum criminalibus; iste pro causis, in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimoni.

Can. 1587. - § 1. In causis in quibus eorum praesentia requiritur, promotore iustitiae aut vinculi defensore non citato, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint.

§ 2. Si legitime citati aliquibus actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda omnino sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverint.

Can. 1588. - § 1. Eadem persona officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi multiplicitas negotiorum et causarum id prohibeat.

§ 2. Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem causarum tum pro singulis causis

Can. 1589. - § 1. Ordinarii est promotorem iustitiae et vinculi defensorem eligere, qui sint sacerdotes integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui periti, ac prudentiae et iustitiae zelo probati.

§ 2. In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis alumnus.

Can. 1590. - § 1. Promotor iustitiae et vinculi defensor electi ad universitatem causarum a munere non cessant, sede episcopali vacante, nec a Vicario Capitulari possunt removeri; adveniente autem novo Praelato, indigent confirmatione.

§ 2. Iusta tamen intercedente causa, Episcopus eos removere potest.

44. Inscriptio articuli et canones eiusdem. — Sequitur *Art. III* de personis quae necessario interesse debent ad perficiendum tribunal ut eiusdem actus valeant. Verumtamen id diversimode contingit, nam inscriptio fert.: *De Notario* cuius officium

opus est iudici pro singulis processibus, de *Promotore iustitiae* in « iudicio criminali » quod Tit. XIX considerat in specie, de *vinculi* tum matrimonialis tum sacrae ordinationis *Defensore*, uti Codex evolvet tale munus in Titulis XX et XXI de huiusmodi causis.

Ad notarium quod attinet unus extat *can. 1585*, cui subsequuntur de Promotore ac Defensore simul reliqui, ac primo de iuridica eorum necessitate sunt can.s 1586, 1587, atque compatibilitatem utriusque can. 1588 denuntiat, eorum qualitates can. 1589 recenset, dum can. 1590 de officii alterutrius cessatione decernit.

45. De Notario seu Actuario. — Huius instituti originem ac rationem nobis refert cap. 11 « de probationibus » (II, 19) X ex Conc. Generali, in quo Innoc. III ait: « Quoniam contra falsam assertionem iniqui iudicis, innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare, cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio; ne falsitas veritati praeiudicet, aut iniquitas praevaleat aequitati: Statuimus ut tam in ordinario iudicio, quam extraordinario, iudex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribant: videlicet citationes, dilationes, recusationes, petitiones, responsiones, et interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, conclusiones, et cetera quae occurrerint competenti ordine conscribenda; loca designando, tempora et personas. Et omnia sic conscripta partibus tribuantur, ita quod originalia penes scriptores remaneant: ut si super processu iudicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari: quatenus hoc adhibito moderamine, sic honestis et discretis deferatur iudicibus, quod per improvidos et iniquos, innocentium iustitia non laedatur. Judex autem, qui constitutionem ipsam neglexerit observare, si propter eius negligentiam quid difficultatis emerserit, per superiorem iudicem animadversione debita castigetur: nec pro ipsius praesumatur processu, nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis ».

Clemens vero IV inquisitoribus haereticae pravitatis scribens [1] inquit: « Concedentes huiusmodi fratribus, necnon et aliis religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in saeculo tabellionatus officium habuerunt et exercuerunt, quibusvis etiam clericis saecularibus officium ipsum habentibus... exercendi libere officium ipsum quoad praemissa non obstante statuto aliquo contrario canonis vel ordinis quocumque vallato munimine, potestatem ».

[1] Cap. 11 « de haereticis » (V, 2) in 6º.

His concinit *can. 1585*, supposita exceptione §^{i} 2^{ae} can. 139: « clerici... tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica, ne agant », cui obligationi ita circumscriptae « religiosi omnes tenentur » (can. 592). Igitur § *1* praescribit. *Cuilibet* tam iudiciali quam extraiudiciali, ut ex parte tertia huius Libri patebit, *processui*, sive in Curia cleri saecularis, sive apud religiones faciendo *interesse* apud Tribunal *oportet*, ex iussu canonis « vigentem huc usque disciplinam... retinentis », *notarium* constitutum saltem « ad acta iudicialia » *qui* exinde *actuarii* peculiari nomine ac *officio* acta conficiendi *fungatur*. In can. 373 notariorum qualitates inveniuntur, et in can. 374 distincte enucleatur « officium notariorum ». Hic memorari sufficiat quod « notarius in criminalibus clericorum causis debet esse sacerdos ».

Prosequitur canon, quem commentamur, sic firmans praescriptum: *adeo* « notarium processui interesse » necessario, *ut nulla habeantur* huius *acta*, per quae ostendantur diversi processus actus, seu illa publicam fidem non faciant, *si actuarii manu non fuerint exarata* proprie idest per integrum, exclusis mechanico instrumento, ac duorum testium subscriptionibus, *vel saltem ab eo subscripta*, velut « per authenticum sigillum », quamvis aliena manu vel machina fuerint typisque redacta. — Non secus Alexander III decrevit in cap. 2 « de fide instrumentorum » (II, 22) X: « Scripta vero authentica, si testes inscripti decesserint, (nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possunt probari) non videntur nobis alicuius firmitatis robur habere ».

Can. 573 Episcopis adiudicat notariorum constitutionem et can. 503 praescribit: « Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios constituere », limitato ex utrisque talium munere notariorum. Verum logice descendit ex commentato § 1° quod praescribit § 2. *Quare iudex ecclesiasticus*, saecularis vel religiosus, *antequam causam* suae competentiae *cognoscere incipiat* seu actum ponere sui officii, *in actuarium* illius *assumere debet* obediens canoni *unum* solummodo *e notariis* saltem « ad acta iudicialia » et *legitime* idest: secundum ss. canones, quod est praesumendum, *constitutis*, sed pro libitu iudicis assumitur, *nisi ipse Ordinarius* qui constituit notarios, vel cui subiiciatur iudex in officio, v. gr. Vicarius Capitularis, *aliquem* illorum *pro ea* singulari *causa* saltem ob generalem formulam comprehensa *iam designaverit* in antecessum ad iudicis assumptionem de facto.

46. De promotore iustitiae et defensore vinculi utriusque ius vetus pluribus ex documentis colligitur. Praecipua sunt const.^{s}

Bened. XIV infra citandae, veluti fundamentales circa defensorem vinculi.

S. C. EE. et RR. in eius Instr. pro ecclesiasticis Curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum [1] haec habet sub n. « XIII. Unicuique Curiae opus est Procuratore fiscali, pro iustitiae et legis tutela ». Iisdem verbis expressit voluntatem suam S. Congr. de Prop. Fide in pari eiusdem Instructione anni 1833.

Bened. XIV per suam const.^m incipientem « Dei miseratione » [2] fuit institutor defensoris vinculi pro causis matrimonialibus, eo quod « ad commissum (Nobis, ait ille), pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae Legis servetur auctoritas ».

Abusus autem circa matrimonii foedus violatum multiplices refert ad se relatos, quibus medendis « quod ad ordinem et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio... etc... decernit ac iubet, ut a... singulis Locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest ex ecclesiastico coetu, iuris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita ». Eiusdem const.^s applicationi pro huiusmodi causarum diversitate providit S. C. C. per Instructionem ad hoc editam [3]. Idemque institutum extensum est ad loca S.^ae Congr.^is de Prop. Fide subiecta per eiusdem Instructionem anni 1883 [4] « De processu matrimoniali » num. 7, et eodem anno ad ecclesias Rituum orientalium per C. S. Officii Instructionem earundem Episcopis datam [5].

Denique tanquam veteris disciplinae compendium iuvat referre ex Normis servandis apud S. Romanam Rotam [6] §^m 108: « 1. Si agatur de causa criminali, Instructori assistere debet Pro-

[1] 11 Iun. 1880. — [2] 3 Nov. 1741, § 5. — [3] 22 Aug. 1840. — [4] Collectanea S. C. de P. F. n. 1587. — [5] Collectanea citata, 1588. — [6] 4 Aug. 1910. CO, I, 819.

motor iustitiae, cui et rescriptum quo committitur instructio, et relativa documenta communicanda sunt, ut interrogatoria partibus et testibus proponenda, exceptas responsiones et quamcumque aliam probationis speciem examinet, et exinde exquirere valeat ulteriores inquisitiones, quas opportunas censeat ad veritatem detegendam.

2. In aliis vero causis, quae ad bonum et ordinem publicum spectant, Instructoris erit exquirere Promotoris interventum, si opportunum ducat.

4. In causis vero respicientibus vinculum matrimonii, aut validatem professionis religiosae aut sacrae Ordinationis, requiritur interventus Defensoris vinculi ad normam Constitutionum *Dei miseratione* et *Si datam* » [1].

Omissa ergo causa nullitatis professionis religiosae, quia in nova disciplina pluribus aliis modis facilioribus eidem providetur, ac retinens quoad reliqua veterem disciplinam, iubet *can. 1586. Constituatur* stabiliter *in dioecesi*, « cuius nomine venit quoque Abbatia vel Praelatura nullius » (can. 215, § 2), a) *promotor iustitiae* sic appellandus iure *et* b) defensor unicus *vinculi* utriusque: horumque munus sequitur: *ille pro causis*, iudicialiter definiendis, *tum contentiosis*, ergo ad « personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta iuridica declaranda » (can. 1552, § 2, 1°), sed *in quibus bonum publicum* pacis aut moralitatis, *Ordinarii iudicio*, qui excubias gregis Christi facit, *in discrimen* quolibet ex motivo fortassis accidentali *vocari potest* ex praevisione, *tum* omnibus *criminalibus*, quae ut obiectum habent « delicta (praecise) in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. et §° citˢ 2°); *iste* videlicet: « defensor vinculi » *pro causis* equidem contentiosis, *in quibus agitur de vinculo*, quoad eius validitatem vel nullitatem declarandam, *sacrae ordinationis*, ex defectu substantialium in ea ex parte ministri, subiecti, ipsiusve ordinationis aut *matrimonii* propter aliquod dirimens impedimentum, vel defectum in consensu essentialem aut quoad debitae formae omissionem in conditione saltem omnino servanda, ut matrimonium validum sit.

47. De illorum interventu in actis *can. 1587* « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°), prout videre quis potest in fontibus ad hunc canonem in Codice citatis.

§ *1. In causis* antedictis per can.ᵐ praec.ᵐ *in quibus corum* sive promotoris iustitiae sive defensoris alterutrius vinculi ad iuris

[1] Bened. XIV. 4 Martii 1748.

normam cognoscendam per canones de illis causis conditos *praesentia* equidem activa *requiritur* iure, a) *promotore iustitiae aut* b) *defensore vinculi* respective ad causam *non citato* legitime ad singulos tribunalis actus, etiam decretis praevios, *acta* sic posita et propter hunc defectum *irrita sunt* quoad iuridicum effectum, ac proinde iure sic disponente *nisi ipsi*, nempe: « promotor iustitiae aut vinculi defensor pro causae diversitate, *etsi non citati* cum canonis transgressione, vel sine hac quando illis fuerint notificati actus ponendi ac *revera* seu de facto *interfuerint*, atque in hoc postremo casu praecipue adnotandum in actis.

§ 2. *Si legitime* id est: ad canonum de citationibus normam *citati* iuxta declarationem sub § 1°, *aliquibus actibus* tribunalis per relativas citationes notificatis *non interfuerint* qualibet ex causa, *acta quidem* sic posita *valent*, *verum postea eorum* « promotoris iustitiae aut defensoris vinculi » *examini subiicienda* per liberam inspectionem *sunt* in hunc finem a iudice curandum *ut ea omnia sive voce*, *sive scriptis* atque actis authentice inserenda *possint animadvertere*, et hoc sufficit, quamvis de facto non animadvertant, *et proponere* de novo facienda vel requirenda per iudicem, etsi non proponant, *quae necessaria* ad iustam causae definitionem *aut opportuna* secundum legum normas *iudicaverint* prudenter iidem, quorum conscientiae idipsum relinquitur:

48. De horum munerum compatibilitate ac tempore sic statuit *can. 1588.* § *1 Eadem persona* debitis qualitatibus praedita *officium* « lato sensu » (can. 145, § 1) *promotoris iustitiae et defensoris* utriusque *vinculi gerere* licite *potest* ac iure, *nisi multiplicitas* « in dioecesi » a) *negotiorum* etiam extraiudicialium quoad illum *et* b) *causarum* quoad utrumque officium, *id* nempe illam cumulationem in « eadem persona » quoad vires ponderanda vel etiam in se illa « multiplicitas » *prohibeat* ob legislatoris scopum.

§ 2. *Promotor et defensor*, ut singuli aut « eadem persona », ex contextu interpretandi *constitui possunt* secundum Ordinarii arbitrium a) *tum ad universitatem causarum* quae ortae sint ac oriri queant, b) *tum pro singulis causis*, et hoc ultimum in casibus, etiamsi illud officium stabiliter ab aliquo fuerit possessum. Hinc nominari etiam potest vice-promotor vel pro-defensor in illorum adiutorium vel causa impedimenti quoad muneris exercitium.

49. De qualitatibus earundem personarum in Tribunali S. Romanae Rotae ita cavet can. 4 [1] sub §° 2°: « Hi sacerdotes esse de-

[1] Lex propria S. R. Rotae et Signaturae Ap. 29 Iun. 1908. CO. I, 21.

bent, laurea doctorali in theologia et in iure saltem canonico insigniti, maturae aetatis, et prudentia ac iuris peritia praestantes ».

Can. 1589 amplioribus verbis reddit ius idem const. « Dei miseratione ». § *1. Ordinarii est* (can. 198 § 1), seu ad ipsum exclusive pertinet a) *promotorem iustitiae et* b) *vinculi defensorem*, de quibus tractatum est, *eligere* inter plures, *qui* utrique *sint* a) *sacerdotes* ob presbyteralem ordinem b) *integrae famae* seu intactae aestimationis apud probos et prudentes, c) *in iure canonico doctores*, quin excludantur licentiati, cum canon subdat disiunctive *vel ceteroqui* quoad ius illud *periti*, hoc enim quaeritur respectu suscipiendi muneris, *ac*, prout id exigit, d) *prudentiae* ratione circumspectionis ac mediae viae sequendae, *et iustitiae* quoad legum observantiam, criminum vindictam, et cuilibet reddendum debitum *zelo* idest activo desiderio in antecessum *probati.*

§ 2 requirit ultra praedicta quod *In tribunali religiosorum* ubi solummodo interest *promotor iustitiae*, iste *sit praeterea eiusdem religionis*, cuius est iudex, *alumnus* interpretandus de religionis professo.

50. De horum munerum cessatione haec teneantur. *Can. 1590.* § 1 *Promotor iustitiae et vinculi defensor*, horum singuli *electi* ut supra *ad universitatem causarum*, de quibus dubitari posset, *a munere* alterutro *non cessant*, a) *sede episcopali vacante*, atque hinc causae nullam patientur moram, imo b) *nec a Vicario Capitulari possunt removeri*, etiam « iuxta intercedente causa », quando idipsum posset Ordinarius secundum notam reg. iuris 1[m]: « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », quamvis ex delicto posset illum iudicialiter punire per remotionis sanctionem canone statutam; c) *adveniente autem* per possessionem dioecesis *novo Praelato*, *indigent* ad muneris exercitium tacita saltem *confirmatione.*

Praefatae regulae applicationem facit § 2. *Iusta tamen* seu proportionata *causa*, non simpliciter ad nutum, *Episcopus*, « Abbas seu Praelatus nullius » (can. 215 § 2), *eos* singulos etsi eodem actu *removere* extraiudicialiter *potest* iure ac licite.

Art. IV. — *De cursoribus et apparitoribus.*

Can. 1591. - § 1. Ad acta iudicialia intimanda, nisi alia sit probata tribunalis consuetudo, constituantur cursores sive pro omnibus causis sive pro causa peculiari; item apparitores ad sententias ac decreta iudicis, eo committente, exsecutioni mandanda.

§ 2. Eadem persona utroque officio defungi potest.

CAN. 1592. - Laici ipsi sint, nisi prudentia in aliqua causa suadeat ut ecclesiastici ad id muneris assumantur; quod vero ad eorum nominationem, suspensionem et revocationem attinet, eaedem serventur regulae quae pro notariis can. 373 statutae sunt.

CAN. 1593. - Acta quae hi confecerint, publicam fidem faciunt.

51. Inscriptio articuli ac ordo canonum. — Personas tribunali deservientes in huius potestatis exercitio recenset *Art. IV*, propterea inscriptus *De cursoribus*, eo quod cursum aliquem arripere debeant, ut plurimum ad muneris proprii exsecutionem, *et Apparitoribus*, quorum sicut et alterutrorum definitio ex can. 1591 patebit. Illi alia nomina sortiti fuerunt, v. gr. nuntii, tabelliones, hi vero in Romanorum iure lictores sunt appellati. Omnia quae circa utrorumque officia scienda sunt definit can. 1592, et iuridicum ipsorum actuum effectum patefacit can. 1593.

52. Munera cursoris et apparitoris primo, ut de more, describit *can. 1591. § 1. Ad acta iudicialia* v. gr. citationes, decreta, sententiam *intimanda*, id est: ex iudicis auctoritate personis, sive sint partes, sive testes, sive alii, patefacienda cum iuris effectu, cum exceptione: *nisi alia sit probata*, seu velut sufficiens admissa in praxi v. gr. per tabelliones publicos, *tribunalis* singularis, sive primae ob contextum sive alterius instantiae ob generalem locutionem ac ex rei natura, *consuetudo* facti, tum praecipue ante Codicem, tum hoc vigente per longum tempus inducta, *constituantur* ex iuris praescripto *cursores*, quorum munus ex antiquo iure ac vi nominis ex contextu patet, a) *sive pro omnibus causis* id est: cum stabili munere, b) *sive pro causa peculiari*, atque hoc in casu potest iudex eosdem instituere; *item* videlicet: « constituantur sive pro omnibus causis sive pro causa peculiari » *apparitores*, quorum munus ordinatum est *ad sententias* quaslibet *ac decreta iudicis*, quorum diversitatem ab illis refert can. 1868, *eo committente* ad singulos actus, quia est iurisdictionis effectus, qua *exsecutioni mandanda*.

Admissae consuetudinis exemplum, quod in praxim seligi pro necessitate debet, est relatum sub n. XIV Instructionis S. C. EE. et RR. [1]: « Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit Apparitorum Curiae opera, supplebitur exhibitione eorumdem expleta per qualificatam personam, quae de facto certioret, sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii ». Addit

[1] 11 Iun. 1880.

huic praescripto Instructio S. C. de Prop. Fide (anno 1883): « Intimationes et notificationes semper in scriptis absolute fiant ».

Demum inter Regulas servandas apud S. R. Rotae Tribunal [1] praedicta media inveniuntur adhibenda, vel « acta ex officio denunciantur sive a Tribunali, sive a Promotore iustitiae, sive a Vinculi defensore », imo « quando ignoratur locus habitationis partis conventae, editur citatio per edictum, et decretum citationis inseri potest in Commentario Officiali Sanctae Sedis, non exclusis aliis modis, qui ad finem tutius et efficacius obtinendum inserviant ».

Porro adnotare libet quod sub n. 2 dicitur: « Apparitori pro exhibitione cuiuslibet citationis, actorum notificatione, aut intimatione facienda vel ipsi personae vel alteri pro eo in loco eius commorationis, ... » quae ut vidimus propria sunt cursoris. Atque § 1 25 num. 1 sic incipit: « Cum citatio aut quilibet alius actus notificandus sit ab apparitore, seu cursore, ... » Haec concordant canoni 6 Legis propriae [2]: « § 1. Unus vel duo laici maturae aetatis et probatae vitae constituentur pro custodia Sedis et aulae Sacrae Rotae, qui, quoties necesse sit, cursorum et apparitorum officia praestabunt ».

Hinc ait § 2. *Eadem persona utroque* cursoris et apparitoris *officio*, quod discretum fuit sub § 1°, *defungi potest* iure.

53. Qualitas eorum ac muneris stabilitas. — *Can. 1592* duabus partibus constat. Statuit primo. *Laici ipsi*, tam cursor quam apparitor, *sint*, ut norma sequenda, *nisi* a) *prudentia* v. gr. propter partium dignitatem b) *in aliqua causa*, et proinde non stabiliter, *suadeat ut ecclesiastici* forsan in sacris *ad id muneris* explendi *assumantur* idonei; ac sequitur pars altera: *quod vero ad eorum*, ut supra, a) *nominationem*, b) *suspensionem et* c) *revocationem* tatummodo *attinet*, *eaedem serventur regulae* hoc ex canone obligatoriae *quae pro notariis can. 373 statutae sunt*. Videlicet: § 1. « Episcopus potest eos constituere... § 4. Iidem debent esse integrae famae et omni suspicione maiores... § 5. Omnes possunt removeri aut suspendi ab eo qui illos constituit aut ab eius successore aut Superiore, non autem a Vicario Capitulari, nisi de consensu Capituli ». Horum praescriptorum commentarium ad illum canonem invenire licet.

54. Iuridicus munerum exercitii effectus par est ac notariorum, dicit enim *can. 1593*. *Acta quae hi* munus exercentes *confecerint*, *publicam fidem faciunt*, ita ut veritas in iudicio admitten-

[1] 4 Aug. 1910. CO. II, 791, § 24, num. 2, 4. — [2] 29 Iun. 1908, CO. I, 21.

da sit. Ad praxim deserviet regula, quae sub § 25 traditur pro S. Romana Rota [1]: « Cum citatio aut quilibet alius actus notificandus sit ab apparitore, seu cursore, hic non modo super textu autographo, sed etiam super exemplari notabit diem, nomen personae, cui remiserit exemplar, eiusque domicilium, necnon apponet suam subscriptionem. Super textu autem autographo ita scribetur: « (Data...) Ego subscriptus Cursor notificavi exemplar conforme huic autographo Domino NN. domicilium habenti Romae Via... tradendo illud in manibus NN., familiari seu domestico, qui onus assumpsit tradendi illud. NN cursor tribunalis NN. ». — Super exemplari, aut exemplaribus, cursor eamdem faciet relationem, excepta sequenti variatione: « Notificavi hoc exemplar conforme ipsius autographo, etc... » Quae adiunctiones actui, lingua vernacula, ut patet, per cursorem scribendae sunt.

CAPUT II.

De tribunali ordinario secundae instantiae.

CAN. 1594. - § 1. A tribunali Episcopi Suffraganei appellatur ad Metropolitam.

§ 2. A causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita fit appellatio ad loci Ordinarium, quem ipse Metropolita, probante Sede Apostolica, semel pro semper designaverit.

§ 3. Pro causis primum agitatis coram Archiepiscopo qui caret Suffraganeis vel coram loci Ordinario immediate Sedi Apostolicae subiecto, fit appellatio ad Metropolitam, de quo in can. 285.

§ 4. Inter religiosos exemptos pro omnibus causis coram Superiore provinciali actis tribunal secundae instantiae est penes supremum Moderatorem; pro causis actis coram Abbate locali, penes supremum Moderatorem Congregationis monasticae; pro causis vero de quibus in can. 1579, § 3, servetur praescriptum §§ 1, 2, 3 huius canonis.

CAN. 1595. - Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet; et eaedem regulae, accomodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt.

CAN. 1596. - Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet.

55. Inscriptio Capitis ordoque canonum. — Cognitis his, quae ad tribunal typicum se referunt, atque utpote generalia sunt quamplura reputanda pro ceteris tribunalibus dicta, erit transeundum ad *Caput II* pertractans *De tribunali* etiam *ordinario*, quae verba fuerunt declarata sub praecedentis capitis inscriptione, *secundae instantiae*, videlicet: apud quod pars victa in altero tribunali instat consequi iustitiam sibi fieri, quam pessundatam censet ibidem.

[1] 4 Aug. 1910, CO. II, 791.

Hoc contingere posse multoties ex inscitia, negligentia, prava voluntate aut passione non est dubium, quapropter omnia iura causas iterum ac forsan tertio retractari permittunt, tanquam regula generalis aequitate naturali suffulta.

Juxta diversa primae instantiae tribunalia can. 1594 assignat eisdem competens pro secunda instantia tribunal, horum constitutionem ac modum apud ea servandum praescribit can. 1595, non praetermisso tribunali collegiali primae instantiae ut patet ex can. 1596.

56. Distinctio et competentia horum tribunalium simul expressae inveniuntur, dum per distinctas paragraphos praescribit *can. 1594. — § 1. A tribunali* unipersonali vel collegiali *Episcopi* etiam Abbatis vel Praelati nullius *Suffraganei* sic dicti propter coadunationem cum subiectione ad Metropolitam in una Provincia ecclesiastica, *appellatur*, quando, eo modo ac effectu cognoscendis aliunde, *ad Metropolitam* illum, qui eidem « provinciae ecclesiasticae praeest » (can. 272). Hoc intelligendum « sane, licet idem Archiepiscopus metropolitico iure audire non debeat causas de episcopatibus vestris, nisi per appellationem deferantur ad eum: legationis tamen obtentu, universas quae per appellationem vel querimoniam perveniunt ad suam audientiam, audire potest et debet: sicut qui in provincia sua vices nostras gerere comprobatur ». Ita Alex. III [1] universis suffraganeis Cantuarien. ecclesiae. — Innoc. vero III inquit Archiep.° Senonen [2]. « Licet in corrigendis excessibus iuxta canonicas sanctiones appellationis sit diffugium interclusum, et ideo Parisien. Episcopus a nobis receperit in mandatis, ut... inquirat et corrigat, appellatione remota, quae viderit corrigenda: statuens ad reformationem eorum, quod regulare fuerit et honestum. Quia tamen intentionis nostrae nec fuit nec esse debuit, iurisdictioni tuae per mandatum huiusmodi revocare, praesentium auctoritate duximus declarandum, quod si in inquisitionibus ab eodem episcopo, non tanquam delegato, sed tanquam ordinario faciendis, aliquis casus emerserit, in quo licitum sit ad sedem metropolitanam appellare, praedicti occasione mandati, auctoritati tuae, quo minus ad te tanquam ad metropolitanum appellari valeat, nolumus aliquatenus derogare ».

Hic memorare oportet praescriptum §[i] 1[i] vigere quoque de « tribunali officialis », quia iste « unum constituit tribunal cum

[1] Cap. 1 « de officio Legati » (I, 30). — [2] Cap. 12 « de officio iudicis ordinarii » (I, 31).

Episcopo loci » (can. 1573, § 2), propter quod valet Bonifacii VIII[1] Decretalis [1]. « Non putamus illam consuetudinem quantocumque tempore de facto servatam consonam rationi, quod ab officiali Episcopi ad eundem Episcopum valeat appellari: ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur ».

Ad hunc locum pertinet num. VI Dec. « Conciliorum Provincialium » S. Congr. Consistorialis [2], qui est sequentis tenoris: « Qua in re, cum a plerisque Romanae Provinciae Episcopis expetitum fuerit ut speciale tribunal II instantiae Romae pro suis dioecesibus constitueretur. Sanctissimus Pater (Bened. XV s. m.), ob adductas rationes petitioni annuendum duxit, ac praesenti decreto destinat ad hunc finem tribunal Vicariatus Urbis, salvo semper recursu III instantiae, si et quando haberi quiverit, ad sacram Romanam Rotam ».

Praeter Suffraganeos sunt alia primae instantiae tribunalia, quibus per §[m] praecedentem non fuit provisum. Haec in sequentibus considerantur: § 2. *A causis in prima instantia* iudicialiter *pertractatis coram Metropolita* proprie dicto, seu qui « provinciae ecclesiasticae praeest » (can. 272), eiusque « officiali cum potestate ordinaria iudicandi » (can. 1573, § 1), *fit* iure *appellatio*, cum altero vel utroque effectu alias declarando, *ad loci Ordinarium* (can. 298, § 2), non « ad Curiam Metropolitanam viciniorem », sicut quandoque iure veteri statutum fuerat v. gr. in n. 26 Instr. S. C. de P. F. anni 1833 fortassis « lege particulari », v. gr. in const. Leonis XIII « Quae mari sinico », quae utpote sequenti « praescripto Codicis opposita, abrogatur » (can. 6, 1°), sed *quem* « loci Ordinarium » *ipse Metropolita* primus post Codicis vigorem, *probante Sede Apostolica* per S. Congr. Consistorialem, vel S. Congr. de Prop. Fide iuxta territorii diversitatem, *semel pro semper*, nisi circumstantiarum mutatio poposcerit faciendam eodem modo mutationem, *designaverit*. Plura huiusmodi exempla in Commentario officiali disci queunt.

§ 3. *Pro causis* ut supra, tam contentiosis, quam criminalibus *primum agitatis* ac definitis per sententiam saltem definitivae vim habentem a) *coram Archiepiscopo* residentiali, eiusve « officiali » ad normam can. 1573, *qui* huiusmodi decoratur titulo fortassis propter sedem, sed *caret* qualibet ex causa *Suffraganeis*, qui ad minus sint duo secundum saepius relatam reg. 40 iuris in 6°,

[1] Cap. 2 « de consuetudine » (I, 4) in 6°. — [2] 15 Febr. 1919, CO. XI, 73.

proindeque non est proprie Metropolita comprehensus in praec. §°, *vel* b) *coram loci Ordinario idest*: tribunali huius interpretandi ad normam can. 198 § 2, *immediate* seu absque intermedio hierarchiae iurisdictionis gradu *Sedi Apostolicae subiecto fit* iure *appellatio*, ut in §° praec. fuit haec declarata, *ad Metropolitam*, qua secundae instantiae tribunal ordinarium, *de quo in can. 285;* videlicet, « cuius Concilio provinciali (praescripto illius canonis) cum aliis intersint, et quae ibi ordinata fuerunt, observent et observanda curent ».

Attamen quia pro quamplurimis Italiae regionibus ex Dec. S. Congr. Consistorialis, his Conciliis substituta fuerunt Concilia regionalia, ibidem « permittitur Episcopis, qui Sedi Aplcae immediate sint subiecti, ut pro appellationibus sibi deligant Archiepiscopum viciniorem etsi provincia propria carentem, itemque his Archiepiscopis ut designent pro appellationibus Ordinarium viciniorem, quem opportunius eligendum censuerint ». Quae electio si desit, manet pro his dioecesibus quoque vis §[1] 3[i] ultimo commentati.

Denique respectum ad can. 1579 habet § *4. Inter religiosos exemptos* solummodo religionis clericalis, sive Ordo haec sit, sive Congregatio, nam subditur: a) *pro omnibus*, tam contentiosis, quam criminalibus, (ut in cit[i] can[is] §° 1° interpretationem dedimus hinc confirmatam), *causis coram Superiore provinciali* cuiuslibet denominationis, qui subditas habeat plures domus potestate ordinaria, *actis* iudicialiter, additur enim *tribunal secundae instantiae est* iure huius canonis, et « constitutiones, quae huic canoni opponuntur, abrogatae sunt » (can. 489), *penes supremum Moderatorem*, quocumque nomine hic appelletur, et qualitercumque institutus fuerit, dummodo alium Superiorem in religione super se non habeat; h) *pro causis supple* « omnibus » ut supra, *actis coram Abbate locali*, qua iudice ad normam can. 1579 § 1, « tribunal secundae instantiae est » *penes supremum Moderatorem* supra declaratum *Congregationis monasticae* qua talis, excluso igitur Abbate Primate monachorum atratorum S. Benedicti; c) *pro causis vero* supple « omnibus » *de quibus in can. 1579*, § *3* ibi declaratis, quia « iudex primae instantiae est Ordinarius loci », *servetur* pro istorum diversitate relativum *praescriptum* §§ *1, 2, 3 huius canonis.*

57. Tribunalis secundae instantiae constitutio ac modus procedendi.-- De his sollicitudinem legislatoris ostendit *can. 1595. Tribunal appellationis*, quod idem est ac « ordinarium secundae

instantiae » et qua tale *eodem modo*, quoad personas in illo quamlibet habentes partem, conditiones ipsarum, auctoritatem nominandi eas, suspensionem amotionemve ipsarum, *quo tribunal primae instantiae*, sive eaedem sint numero personae, quia non obstat can. 1571 aliusque, cum sit iure impossibile, ut ad idem tribunal veniant eaedem causae in utroque gradu, sive illae personae sint numero diversae aliquae vel omnes, quando causarum utriusque instantiae, aliaeve circumstantiae talem suadeant diversitatem, quam tunc iniungere posset S. Congr. Consistorialis, « eodem modo » sic declarato *constitui debet* a Metropolita; *et eaedem regulae* tum in capite praecedenti, tum per subsequentes huius Partis canones datae, *accomodatae ad rem*, prout nempe rationabiliter applicantur, quando necessarium iure videatur in secunda causae instantia, equidem solum *in causae discussione* seu processu *servandae sunt*, quia praefato modo ad « tribunal appellationis » vi huius canonis extenduntur.

Opportunum igitur est singula praecedentis capitis praescripta examinare atque hinc ortas animadversiones adiungere. Ex art. I De iudice can. 1573 exposcit ut « quilibet Metropolita teneatur eligere cum potestate ordinaria iudicandi in gradu appellationis a Vicario generali semper distinctum », quia exceptiones ibi insertae non dantur quoad appellationis tribunal. Hinc § 6 non habet locum. E contra vigent pro eiusdem tribunalis officiali ceteri §§' huius canonis.

Quod iudices synodales pro huiusmodi tribunali, videtur iuri magis congruere, si « non plures quam duodecim eligantur » in Concilio Provinciali, quibus in hac hypothesi « nomen esset iudicum conciliarium, aut pro-conciliarium, si extra Concilium constituerentur ». Hoc in casu constituere vel a munere cessantibus alios pro-conciliares substituere, videtur a Metropolita faciendum esse « de consilio Capituli Metropolitani ». Idemque quoad remotionem ex gravi causa servandum esse. Haec dicta sunt circa praescripta can.s 1574.

De his iudicibus intelligendi essent can. 1575 et 1576, sicut et officiali vel vice-officiali tribunalis appellationis competeret quidquid servandum iubet in huiusmodi tribunali collegiali. Denique Episcopus in praescripto can. 1578 est evidenter Metropolita.

Ceteri canones capitis primi nullam in eorum ampliatione patiuntur difficultatem.

58. Praescriptum tribunalis collegialis extendit ad « tribunal ordinarium secundae instantiae » *can. 1596* iubens. *Si collegialiter* ad normam totius can. 1576, ubi moderata est *causa in prima instantia*, de facto *cognita fuerit*, tunc solummodo *etiam in gradu appellationis* a) *collegialiter* ad normam can. 1577, b) *nec a minore iudicum numero*, quam « trium vel quinque » pro causae natura, *definiri* post disceptationem *debet* semper ex canonis praescripto.

CAPUT III.

De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus.

Can. 1597. - Romanus Pontifex pro toto orbe catholico ad normam can. 1569 iudex est supremus, qui vel ipse per se ius dicit, vel per tribunalia ab ipso constituta, vel per iudices a se delegatos.

59. Inscriptio Capitis, quod explicandum ex ordine venit, differre videtur ab aliis praecedentium. In illis memoratur prima et secunda instantia, quibus tertiam subsequi videretur. E contra solummodo *De ordinariis* loquitur eodem sensu iam declarato *Apostolicae Sedis*, seu quae Curiae Romanae partes sunt, *tribunalibus* propter ordinem iudiciarium in eis servandum, quamvis aliquo modo peculiarem.

Non deest ratio huiusmodi loquutionis. Canon enim 14 adhuc vigens sic determinat cuiusdam eorum tribunalium competentiam. « Sacra Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio, sive ad instantiam partium Romanus Pontifex ad suum tribunal avocaverit, et Sacrae Rotae commiserit (ad normam can. 1557 § 3) ». « § 2. Iudicat in secunda instantia causas quae a tribunali Emi Urbis Vicarii et ab aliis Ordinariorum tribunalibus, in primo gradu diiudicatae fuerint, et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferuntur »... « § 3. Iudicat denique in ultima instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriori gradu iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint, et per legitimam appellationem ad Sanctam Sedem deferuntur ».

60. Quadruplex supremum tribunal in Ecclesia exhibet *can. 1597. Romanus Pontifex*, « quoniam divino Apostolici primatus iure universae Ecclesiae praeest », atque hoc sensu *pro toto orbe catholico*, quatenus hic complectitur « Latinam Ecclesiam simul et Orientalem » (can. 1) ubilibet diffusam, *ad normam can. 1569* ibi declaratam, cui praesens canon correlativus appa-

ret, *iudex est supremus*, vel sicut Conc.[1] Vaticani Patres « docent etiam et declarant, eum esse iudicem supremum fidelium [1], cuius auctoritate maior non est, ac iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio ». De Romano vero Pontifice addit canon: *qui* a) *ipse per se ius dicit*, nempe: sententiam ferre potest iustam, quin omnia iuris canonici praescripta servare teneatur, *vel* eiusdem auctoritate iudiciaria exercita b) *per tribunalia ab ipso constituta*, v. gr. tribunal S. Officii, aliaque sub hoc capite distincta, *vel* c) *per iudices a se*, quamvis mediante aliquo officio, seu Auditore Ss.mi *delegatos*, plures collegialiter aut in solidum, vel singulariter pro singulis causis.

61. Distinctio capitis in articulos duos necessaria fit ex eodem numero tribunalium ordinariorum S. Sedis, de quibus Pius X in eius const. [2] « Sapienti consilio » ait: quoad sacrae Romanae Rotae tribunal, « rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam*, quam in appendice praesentis constitutionis ponimus », unde *Art. I De Sacra Romana Rota*, atque ad supremum Signaturae Apostolicae tribunal quod attinet: « restituendum censemus, et praesentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, iuxta modum qui in memorata *Lege* determinatur, antiqua ordinatione tribunalium *Signaturae papalis gratiae et iustitiae* suppressa ». Hinc ortum habuit *Art. II. De Signatura Apostolica.*

ART. I. — *De Sacra Romana Rota.*

CAN. 1598. - § 1. Tribunal ordinarium a Sancta Sede constitutum pro appellationibus recipiendis est Sacra Rota Romana, quae est tribunal collegiale constans certo Auditorum numero cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.

§ 2. Ii sacerdotes esse debent laurea doctorali in utroque saltem iure praediti.

§ 3. Auditorum electio Romano Pontifici reservatur.

§ 4. Sacra Rota ius dicit aut per singulos turnos trium Auditorum, aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat.

CAN. 1599. - § 1. Sacra Rota iudicat:

1.° In secunda instantia causas quae a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferantur;

2.° In ultima instantia causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint.

§ 2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas de quibus in can. 1577, § 2 aliasve quas Romanus Pontifex sive motu pro-

[1] Const. « Pastor aeternus », Pii PP. IX, cap. 3. — [2] II, 2°, 3°. 29 Iun. 1908, CO. I, 15.

prio, sive ad instantiam partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota iudicat quoque in secunda et tertia instantia ope turnorum qui sibi invicem succedunt.

Can. 1600. - Causae maiores penitus excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

Can. 1601. - Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed de eiusmodi recursibus exclusive cognoscunt Sacrae Congregationes.

62. Inscriptio articuli ordoque canonum. — *Art. 1* considerationem offert *De Sacra Romana*, quod verbum innuit alia eiusdem nominis tribunalia extitisse, additurque *Rota* forsan ex ipsius origine seu ratione historica.

De nomine, origine ac historica evolutione tum quoad tribunalis constitutionem, competentiam et modum procedendi, cum repetere ab aliis dicta non oporteat, lectorem remittimus libenter ad eruditos Auctores [1]. Sufficiat hic transcribere ex cit. Pii X const. nonnulla verba: « Quum sacrae Romanae Rotae tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut Sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quae a Decessoribus nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum iubemus « per sacras Congregationes non amplius recipi vel agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes » (Litt. Secretariae Status, XVII Aprilis 1728); sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad Sacrae Romanae Rotae tribunal », additque can. 259: « intra fines et secundum normas traditas in can. 1598-1605 ».

Hi vero tractant successive de constitutione huius tribunalis, quantum extendatur eius competentia, dum limites ipsius exponuntur vel quoad causas, vel respectu SS. Romanarum Congregationum.

63. Tribunalis S. Romanae Rotae constitutio. — *Can. 1598. § 1. Tribunal* a) *ordinarium* propter ipsius iurisdictionem ordinariam vi seq. canonum *a Sancta Sede* per const. « Sapienti consilio » iterum *constitutum* et qua « ordinarium » *pro appellationibus* proprie dictis *recipiendis* ex iure proprio, quin excludantur ab eius competentia quaedam causae in prima instantia, *est* dictum

[1] Card. De Luca. Relatio Curiae Romanae. — Card. Lega. Praelectiones in textum Iur. Can. Lib. I, Vol. II. a num. 42. P. Noval O. P. Comm. Cod. I. C. « De Iudiciis « num. 162-167.

Sacra Rota Romana nempe: apud S. Sedem ius dicens, et sic distincta ab antiquioribus aliarum civitatum, vel nunc vigente Matritensi, b) *quae* illa *est tribunal collegiale* tum erga singulas causas ab eodem cognoscendas, tum quia « Collegium constituit » qua personam moralem, *constans certo* pro Romani Pontificis voluntate, quamvis ex Lege propria [1] « decem Praelatis a Romano Pontifice electis, qui Auditores (ratione historica) vocantur », seu ut asserit canon *Auditorum numero, cui* « Collegio » *praesidet* quoad directionem *Decanus, qui* hac ratione *primus est inter pares* qua iudices, quamvis alio sit motivo.

Etenim ex can. 2 Legis propriae « § 2. Auditores post Decanum ordine sedent ratione antiquioris nominationis, et in pari, nominatione et ordinatione presbyterali, ratione aetatis.

§ 3. Vacante Decanatu, in officium Decani ipso iure succedit qui primam Sedem post Decanum obtinet ».

Eiusdem Legis can.^{m} 1^{m} quoad §^{i} 2^{i} praescriptum, etsi non integre, refert § 2, nunc interpretandus. *Ii* « Auditores » a) *sacerdotes* ob ordinem saltem presbyteralem *esse debent* iuris praescripto, « maturae aetatis » b) *laurea doctorali*, non in theologia ex iuris necessitate, sed *in utroque saltem iure* canonico et romano seu civili *praediti*. Qualitates quoad aetatem ac theologicam sapientiam, sicut et quod « honestate vitae, prudentia et iuris peritia (sint) praeclari » fuerunt silentio praetermissae, quia iudicium de illis canones ecclesiasticos effugit, ut statim patebit. Immo, § 3, cit.^{i} can.^{s} edicit: « Cum aetatem septuaginta quinque annorum attigerint emeriti evadunt, et a munere iudicis cessant ».

Porro sic expressus est § 3. *Auditorum* singulorum *electio*, sive omnino libera, sive post nominationem potestatis civilis, quando vellet Romanus Pontifex illam concedere atque in praxi deferre ipsi, *Romano Pontifici* personaliter *reservatur* quibuslibet aliis iure quoad hanc exclusis.

§ 4. *Sacra Rota*, qua Collegium iurisdictione praeditum, duabus formis *ius dicit*, facta legitime disceptatione causae, *aut* a) *per singulos* pro singulis causis *turnos* propter determinatam mutuam successionem *trium* ex illis, computato Decano, *Auditorum, aut* b) *videntibus omnibus* illam causam, qua iudicibus, *nisi* c) *aliter* idest: per quinque aut septem forsan designatos Auditores *pro aliqua singulari causa Summus Pontifex*, qui supra ius est, *constituat*, sicut de facto quandoque disposuit, « sive ex se illud

[1] 29 Iunii 1908, can. 2, CO. I, 20.

faciat, sive ex consulto sacrae alicuius Congregationis », ut dicitur in can. 11 Legis propriae.

Accuratam turnorum determinationem exhibet can. 12 cit. Legis [1]. « § 1. Turni hoc ordine procedent. Primus turnus constituitur ex tribus ultimis Auditoribus; secundus et tertius ex sex praecedentibus; quartus (suppositis decem Praelatis) ex Decano et duobus ultimis Auditoribus, qui denuo in turni seriem redeunt; quintus et sextus turnus ex Auditoribus sex qui praecedunt; septimus ex Subdecano et Decano rotali una cum ultimo Auditore qui rursus in seriem venit, denique octavus, nonus et decimus turnus ex novem reliquis Auditoribus; et sic deinceps, servata ea via perpetuo.

§ 2. Turni in iudicando sibi invicem succedunt iuxta ordinem temporis, quo causae delatae sunt ad sacrae Rotae tribunal.

64. De instantia Sacrae Rotae propria, quae tum ex iure, tum ex commissione potest esse diversa, praescriptum continet *can. 1599. § 1. Sacra Rota iudicat legitime*:

1° In secunda instantia, seu post primam definitivam sententiam, *causas* contentiosas vel criminales, *quae a quorumvis Ordinariorum* tum locorum tum religiosorum *tribunalibus*, inter quae « a tribunali E.^{mi}. Urbis Vicarii » *in primo gradu diiudicatae fuerint* saltem per sententiam habentem definitivam vim *et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam* idest: iuxta ss. canones factam *deferantur;* et hinc concurrit cum aliis tribunalibus secundae instantiae vi can. 1569 § 1.

2° In ultima instantia, quia supremum de sequentibus tribunal, *causas* a) *ab ipsa Sacra Rota* iuxta num. 1^{m} *et* particula disiunctive sumenda, *ab aliis quibusvis tribunalibus* iuxta cap. II, *in secunda*, seu post primam appellationem in causa, *vel ulteriore instantia*, nempe: tertia secundum particulares leges, quae hinc supponuntur vigentes, quia « praescriptis huius Codicis (non) oppositae » (can. 6, 1°), v. gr. pro America Latina ex Litt.^{s} Apleis eiusdem Pontificis « Trans Oceanum » n. XIV [2], *iam cognitas* cum subsequenti sententia, *quae in rem iudicatam*, vel ex natura causae, v. gr. matrimonialis, vel secundum can. 1902 *non transierint.*

Hucusque consideratum est hoc tribunal, quatenus appellationis est. Sequitur § 2. *Hoc tribunal* seu « Sacra Rota » *iudicat* cognoscens ac definiens *etiam in prima instantia*, hinc connumerandum tribunalibus sub cap. I consideratis, a) *causas de quibus*

[1] CO. I, 22, 23. — [2] 18 Apr. 1897. Appendix ad Conc. Plen. Americae Latinae, XCVI.

actum est *in can. 1557*, § 2 ibidem recensitis ac declaratis, utpote huic tribunali iure reservatis, b) *aliasve* causas iudicialiter pertractandas, *quas* singulas *Romanus Pontifex* exclusive *sive motu proprio* utens iure sibi recognito per can. 1557, § 3, *sive ad instantiam partium* in causa, etiam unius tantum in usu iuris a § 1° can.s 1569 expressi, a) *ad suum*, quatenus « iudex est supremus » *tribunal advocaverit*, hinc suspendens « exercitium iurisdictionis in iudice (inferiore) qui causam fortassis iam cognoscere coepit » (can. 1569, § 2), *et Sacrae Rotae* per documentum *commiserit*, ac ita eiusdem ordinariam iurisdictionem ad hanc causam extendens; quae interpretatio confirmatur ex canone sic prosequente: *easque* vi huius canonis, supposita commissione, seu *nisi aliud* a praescripto sequenti diversum *cautum sit* expresse *in commissionis rescripto*, quia in scriptis solet illa fieri, *Sacra Rota iudicat quoque* id est: praeterquam ex prima §ª parte, ut declarata haec manet, *in secunda* post appellationem legitimam, *et* similiter *tertia instantia* torsitan necessaria, v. gr. casu matrimonialis causae, *ope turnorum qui sibi invicem succedunt* seu ut explicit paragraphus § 1 can.s 14 Legis propriae alias citatae: « iuxta praescripta can.s 12 ».

Huius can.s duos primos paragraphos inseruimus opportune commentario canonis 1598. Ex reliquos: « § 3. Si, iudicata iam ab uno turno aliqua causa, opus sit secunda sententia, causam videt turnus qui proxime subsequitur, etsi hic aliam causam iuxta superiorem paragraphum iudicandam assumpserit. Et si opus sit tertia sententia, eodem modo turnus, qui duos praecedentes proxime subsequitur, causam videndam suscipit.

§ 4. In unoquoque turno, seu Auditorum coetu, Praeses est semper Auditor cui prior locus competit.

§ 5. Si quis infirmitate aut alia iusta causa impeditus partem in iudicando in suo turno habere non possit, praevio Decani decreto, eum supplet primus Auditor liber, non proximi quidem turni, sed alterius subsequentis.

Quod si opus sit tertia rotali sententia impeditum Auditorem supplet decimus Rotalis, vel alius qui partem in tribus turnis non habet.

§ 6. Auditor ob impedimentum alterius Rotalis suffectus, etsi senior, Praeses turni esse non potest, quoties causa iam coepta sit, et Praeses alius constitutus ».

65. S. Rotae incompetentia absoluta, quam declaratam reliquimus ad canonem 1558, hic statuitur *can 1600. Causae* etsi iudicialiter tractandae *maiores*, « quae uni Romano Pontifici re-

servantur sive natura sua, sive positiva lege » (can. 220), videlicet [1] « sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum », quae postremae recensitae sunt sub § 1° can.[s] 1557, tum omnes contentiosae ac criminales, tum hae solae quoad Episcopos, *penitus excluduntur*, (seu ut dicitur in can. 1558 « aliorum iudicum incompetentia est absoluta »), *ab ambitu competentiae* quoad causas prius declaratae *huius tribunalis*.

66. Limitatio competentiae S. Rotae in Curia Romana fuit statuta perfecte a Pio PP. X per can. 16 Legis propriae. « Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad sacram Rotam, sed eorum cognitio sacris Congregationibus reservatur ». Aliis verbis idem refert praescriptum *can. 1601. Contra Ordinariorum* ad normam can. 198 § 1 *decreta*, seu dispositiones in scriptis generales vel respectu singularis personae, sive extraiudicialia sive iudicialia, *non datur appellatio* proprie dicta iuxta can. 1879, *seu recursus*, qui iure competat gravato per illa; *sed de eiusmodi recursibus* ad Sanctam Sedem *exclusive* respectu Tribunalium Apostolicae Sedis *cognoscunt* pro diversa competentia singulae *Sacrae Congregationes*, quam commentati sumus in Art. I, Cap. IV, Tit.[i] VII[i] Lib. II.

Ad convenientem legum huius art.[i] observantiam ducit cautela praescripta in Normis peculiaribus [2]: « In expostulationibus ad S. Sedem, si libellus ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus Auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem, ordinarius eiusdem Congressus, de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum.

Horum primum si accidat, iudicium quaestionis reservatur sacrae Congregationi cui competit, ad normam Const. *Sapienti consilio*. Alterum si fiat, quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam iuris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo ».

Ad complementum et confirmationem interpretationis duorum posteriorum canonum utiliter transcribitur « can. 17 Legis propriae [3]. Defectus auctoritatis sacrae Rotae in videndis causis, de quibus in duobus canonibus praecedentibus, est absolutus, ita ut ne obiter quidem de his cognoscere queat, et si tamen sententiam proferat, haec ipso iure sit nulla ».

[1] Lex propria S. R. Rotae et Signaturae Ap. 29 Iun. 1908, can. 15. CO. I, 24. — [2] Ordo servandus in Romana Curia. Pars altera. Cap. I, 3°, 29 Sept. 1908, CO. I, 61. — [3] 29 Iun. 1908, CO. I, 24.

Demum quaeri potest: an canones Legis propriae, Cap. III « De modo iudicandi S. Romanae Rotae » vim suam post Codicis vigorem adhuc retineant? Resp. Ad quaesiti solutionem iuvant regulae duae. Iuxta can. 243, § 1 « In singulis (Curiae Romanae) Tribunalibus... servanda est disciplina et tractanda sunt negotia secundum normas tum generales, tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit », sicut sunt Lex propria et aliae quas continet Ordo in Romana Curia servandus. Si vero hae omnes referantur ad ius Codice inductum, eruitur responsum ex praescripto can. 6, 1° « Leges quaelibet.... praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur ». Porro Lex illa est particularis, uti propria huius Tribunalis, idemque repetendum de normis antea dictis. Igitur ex paragrapho prius citato manent in suo vigore, etiamsi ab aliquo canonum praescripto discordent. Quando autem tenor alicuius normae sit desumptus quoad sensum ex antiquo iure, erit nunc dimetienda et forsan varianda consequenter ad vigens Codicis ius. Et haec sufficiant de hoc clarissimo Tribunali.

ART. II. — *De Signatura Apostolica.*

CAN. 1602. - Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal constat nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur.

CAN. 1603. - § 1. Apostolica Signatura videt potestate ordinaria:

1.° De violatione secreti ac de damnis ab Auditoribus Sacrae Rotae illatis eo quod actum nullum vel iniustum posuerint;

2.° De exceptione suspicionis contra aliquem Sacrae Rotae Auditorem;

3.° De querela nullitatis contra sententiam rotalem;

4.° De expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit;

5.° De recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit;

6.° De conflictu competentiae quem enasci contingat inter tribunalia inferiora, ad normam can. 1612, § 2.

§ 2. Videt ex potestate delegata de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectis ad obtinendam causae commissionem apud Sacram Rotam.

CAN. 1604. - § 1. In causa criminali, de qua in can. 1603, § 1, n. 1, si forte locus sit iudicio appellationis, hoc obtinetur penes ipsum Supremum Tribunal.

§ 2. In casu suspicionis, Apostolica Signatura definit utrum sit locus recusationi Auditoris, necne; quo facto, iudicium ad Sacram Rotam remittit, ut, secundum suas regulas ordinarias, procedat, Auditore, contra quem exceptio mota fuit, in suo turno manente vel excluso.

§ 3 In casu querelae nullitatis aut restitutionis in integrum aut recursus de quibus in can. 1603, § 1, nn. 3, 4, 5, de hoc tantum iudicat num sit nulla sententia rotalis, num locus sit restitutioni vel recursus sit admittendus; et nullitate declarata aut restitutione concessa vel admisso recursu, cau-

sam remittit ad Sacram Rotam, nisi Sanctissimus aliter providerit.

§ 4. In examine supplicum libellorum Signatura, habitis opportunis notitiis et auditis iis quorum interest, decernit utrum precibus annuendum sit, necne.

Can. 1605. - § 1. Supremi Tribunalis Signaturae sententiae suam vim habent, quamvis rationes in facto et in iure non contineant.

§ 2. Nihilominus sive ad instantiam partis sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicere potest ut praedictae rationes exponantur secundum regulas Tribunalis proprias.

67. Inscriptio articuli ac ordo canonum. — Hic agi de tribunali Apostolicae Sedis ordinario patet ex Capitis inscriptione. Ac est *Art. II. De Signatura Apostolica*, omissis verbis iustitiae aut gratiae, per quae, ut ex historia edocemur, distinguebantur ab invicem duo dicasteria in Curia Romana per tale nomen designata. Verbum « Signatura » retentum est secundum originem ipsius tribunalis a « subsignatione » Romani Pontificis actibus eiusdem apposita. — Ex iisdem operibus praeclariorum Auctorum, quae initio praecedentis articuli citavimus haurire potuit lector, quaecumque de illis Signaturis in tempore praeterito cognoscere indigeat vel desideret.

Sic articulus disponitur. De constitutione Tribunalis praescribit can. 1602, sequens competentiae causas enumerat, et quid circa earum singulas definiri possit, docet can. 1604, dum ultimus can. 1605 sententiae normas peculiares tradit.

68. Signaturae Apostolicae constitutio manet, prout eam disposuit can. 35 [1] Legis propriae saepius citatae. Videlicet: *Can. 1602. Supremum* in Ecclesia, cui alia subordinantur, illudque nulli subditur, *Signaturae Apostolicae* in Curia Romana *Tribunal* ordinarium *constat* de iure ac de facto *nonnullis* nempe: « sex » secundum cit. can.[m] *S. R. E. Cardinalibus* in Curia residentibus, « a Summo Pontifice electis » ad id muneris, propter quod eorum numerus fuit in Codice praetermissus, *quorum* iudicum *unus*, « ab eodem Pontifice designatus » *Praefecti* eiusdem Tribunalis ob similitudinem cum Congregationibus *munere fungitur*, adimpleturus quae in Codice ac iuxta Legem propriam eidem adiudicantur explenda.

Ad complementum praefatae constitutionis iuvant sequentes iuridici textus. « § 2. Eique dabitur a Romano Pontifice Adiutor, seu a secretis, qui iuxta regulas eiusdem Signaturae proprias, sub ductu Card. Praefecti, omnia praestabit quae ad propositae causae instructionem eiusque expeditionem necessaria sunt.

[1] 29 Iun. 1908, CO. I, 29.

Can. 36. Praeter Secretarium erit etiam in Apostolica Signatura unus saltem notarius conficiendis actibus, conservando archivio et adiuvando Secretario in iis quae ab eo ipsi committuntur: habebitur quoque custos conclavium eiusdem Signaturae: prior sacerdos, alter laicus ».

Huc pertinet quod Bened. PP. XV per suum Chirographum [1] « Attentis expositis » a Card. Lega tunc Praefecto eiusdem Signaturae inter alia infra referenda « decrevit et firma et rata esse voluit, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus ». Sic enim legitur ibidem: « Negotiis autem penes II. Sup. Tribunal agitatis et expediendis volumus et iubemus ut operam suam conferant duo insignia collegia, alterum a *Votantibus*, alterum a *Referendariis* Signaturae nuncupata, et ad hunc effectum, quatenus opus sit, haec iterum iustituimus seu restituimus et in exercitium revocamus, servato in ratione interveniendi et procedendi penes H. S. Trib. modo in Regulis determinando; ita tamen ut hi Praelati sint loco Consultorum, quos induxit Const. « Sapienti consilio » Lex Propria, can. 36, § 2. — Collegium a Votantibus 7 Praelatis constare volumus et iubemus; alterum a Referendariis innumeratum manere decernimus. Quo vero maior auctoritas et honor accedat Huic Nostro Supr. Trib., statuimus ut qui a Secretis Huius fuerit, Nostri quoque Auditoris munere fungatur ». Per haec respondit Papa relationi supra laudati Card. Praefecti, quoad partem [2] « Sed potissimum sibi postulat... » usque ad finem.

Demum can.s 36 citati §us 3 edicit: « Quae ad nominationem, iusiurandum, obligationem secreti ac disciplinam pertinent, et pro administris Sacrae Rotae constituta sunt, serventur quoque, cum proportione, pro Apostolicae Signaturae administris ».

69. De competentia Signaturae Apostolicae sic incipit cit. Bened. PP. XV Chirographum: « Attentis expositis (infra citandis) libenter annuimus et concedimus ut Nostri Supremi Tribunalis Signaturae augeatur seu certius definiatur competentia, tum ratione recursuum in causis matrimonialibus, tum ex capite nullitatis et restitutionis in integrum, iuxta exposita; eidemque Signaturae in posterum ablegandos esse volumus et statuimus supplices libellos Nobis porrectos, respicientes quaestiones seu causas in Relatione expositas vel alias huiusmodi prouti Nobis in singulis casibus visum fuerit; eo consilio ut praevio eorumdem libellorum supplicum examine, auditis potissimum

[1] 28 Iunii 1915, CO. VII, 325. — [2] CO. VII, 322 in calce.

iis quorum interest, definiatur quaestio, *an et quomodo expediat precibus annuere* ».

Porro illa certior competentiae definitio considerari debet iuxta exposita per Card. Lega Tribunalis praefati tunc temporis Praefectum tanquam extensiva interpretatio canonum Legis propriae et const.s « Sapienti consilio », quoad competentiam ibi praescriptam. In ea ergo parte nunc interpretandi canonis, quae verbis refert canonem 37 Legis propriae, perpendendum est num subsistat praefata Summi Pontificis promulgantis Codicem interpretatio.

Can. 1603 duobus constat paragraphis pro diversa Tribunalis potestate circa eiusdem competentiam. Scilicet: § *1. Apostolica Signatura* qua tribunal *videt* ad definiendum iudiciali *potestate ordinaria* illi « ipso iure adnexa » vi huius canonis:

1° ut in n° can.s 37 cit. *De violatione secreti* « officii, ad quod tenentur Auditores, adiutores Auditorum et tribunalis administri, in re criminali, in causis spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus obvenire potest, vel ab ipso (Sacrae Rotae) tribunali secretum impositum fuit ». Ita ex can. 8 « Legis propriae » implicite contenti sub praesenti canone prosequentis: *ac de damnis ab Auditoribus* tantum *Sacrae Rotae illatis* iuxta §m 1m can.s 9 Legis propriae sic statuentem: « Auditores qui secretum violaverint, aut ex culpabili negligentia vel dolo grave litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis; et ad instantiam partis laesae, vel etiam ex officio, Signaturae Apostolicae iudicio a SS.mo confirmato, puniri possunt », ut addit canon, quem commentamur, circa damnorum causam *eo quod actum* a) *nullum* iure naturali vel positivo etsi huius tribunalis Sacrae Rotae proprio *vel* b) *iniustum;* scilicet: contra legem alterutrius iuris *posuerint*, ut videtur positivo modo, sed quoad nullitatem proprie exprimit sic canon omissionem cuiusquam substantialis actui iuridico.

Enimvero « Tribunalis administri et adiutores Auditorum, qui similia egerint, pariter tenentur de damnis; et ad instantiam partis laesae. aut etiam ex officio, rotalis Collegii iudicio, pro modo damni et culpae puniri possunt ».

Sequitur in Codice: « Apostolica Signatura videt » *2° De exceptione suspicionis* circa ea, quae sanum iudicium pervertere possunt ob acceptionem partium, *contra aliquem Sacrae Rotae* in relativo causae turno, *Auditorem*, « ob quam (suspicionem) ipse recusetur » (can. 37, 1° Legis propriae).

3° *De querela nullitatis*, quam respiciunt canones Cap. II, Tit. XIII, *contra sententiam rotalem*, seu ab hoc Tribunali datam (can. 37 cit., 3°).

Huic num.° subditur alius eisdem verbis sub n° 4° *De expostulatione pro restitutione in integrum* sub Titulo XV explicanda, et quae constituit « remedium extraordinarium » *adversus rotalem sententiam* definitivam « contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis », utpote *quae in rem iudicatam transierit*, nec remedium « querelae nullitatis ».

Ex relatione, quae causa fuit citati prius Chirographi, examinare oportet illius partes duobus praecedentibus numeris colligatas. « De alio capite competentiae Huic Supr. Trib. attributae, scilicet *de querela nullitatis contra sententiam rotalem* expedit declarare, hic non agi tantummodo de declaranda nullitate sententiae quae adeo peccet in ius naturale aut positivum ut omni destituatur fundamento iuris; hoc enim perpaucis in casibus contingere usuvenit, attenta praecipue iurisprudentia Curiae Romanae quae firmavit regulam: *sententiam de se non esse nullam* nisi ex defectu aut *citationis*, aut *competentiae* aut *mandati*. Ast mens Principis certe fuit, dum constituit Supr. Trib. Signaturae, subveniendi iis quoque qui exceptione *rei iudicatae* repelluntur in S. Rota neque evincere valent sententiam nullitate laborare, sed forte instructi sunt gravibus rationibus quae non sinunt defendi, quocumque coram iudice, auctoritate *rei iudicatae* sententiam latam manifeste vel contra legem vel non satis perpensa factorum veritate. — Hisce tantummodo limitibus continendam esse competentiam videtur intendisse ipsa *Lex propria*, quae in can. 41 par. 3 ita statuit, *de querela nullitatis*, quoad eius ambitum in iudicio Signaturae: « In tertio casu de hoc tantum iudicat; sitne nulla rotalis sententia sitne locus eius circumscriptioni ». *Circumscriptio* autem in stylo Curiae ut plurimum accipitur pro sententiae *rescissione* », etc. Unde concludit clar.^{s} Card. Lega: « Itaque magnopere expedit declarare querelam nullitatis heic comprendere nedum querelam ad obtinendam declarationem nullitatis sententiae, sed etiam petitionem *rescissionis* sententiae manifeste vel peccantis in legem vel factorum veritatem pervertentis ».

Porro animadvertatur ex illo can. 41, cit. par. 3 in Codicis canonem 1604 § 3 translata fuisse solummodo verba « num sit nulla sententia rotalis », silentio praetermissis aliis: « sitne locus eius circumscriptioni ». Ergo liceat colligere interpretationi per Chirographum concessae de querela nullitatis deesse fundamen-

tum in Codice. Attamen, de « sententia manifeste peccantis in legem » loquitur can. 1905 concedens « remedium extraordinarium restitutionis in integrum » (can. cit. § 1), quando « 4° Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit » (ib. § 2). De sententia « manifeste factorum veritatem pervertente » textum non invenimus, sed liceat considerare vel eam non fuisse propositam in actis ab eo cuius interest, ac tunc sibi imputet exitum litis, vel eandem propositam neglectam fuisse a iudice controversiam dirimente, atque hoc in casu incumbit victo in causa per legitimam appellationem sibi providere, aut vi can. 1894, 2° adversus sententiae nullitatem querelam movere.

Ex dictis erui logice evincitur in parte relationis supra dictae, quando sermo est « De recursu *pro restitutione in integrum adversus sententias rotales* supra memorata », postrema verba esse ibi omittenda, nempe: « aut *actio rescissoria*, de qua supra ».

Nec defuerant validae rationes, quibus innixus clar.^{s} Card. Relator expostulavit authenticas Summi Pontificis declarationes de Signaturae Apostolicae competentia. Ait enim: « Re sane vera competentiae nonnulla capita laudata constitutio assignat (in Lege Propria, can. 37), haec tamen non *taxative*, sed quae *propria et praecipua* esse edixit. *Propria* nempe quia ex intima eius natura fluunt, eius veluti proprietates constitutivas exprimentia; sed *praecipua* tantum, adeo ut non prohiberetur quominus hisce capitibus competentiae alia accederent seu adiicerentur vel ex connexione negotiorum, vel ex amplificatione sui muneris quam ipsamet eiusdem muneris exsecutio, necessitate quadam, secumferret ».

Enimvero verba illa « propria et praecipua » in Codice praetermittuntur. Quapropter legislator expresse amplificavit Signaturae Apostolicae munus, dicens: eamdem videre 5° *De recursibus*, eo quod appellatio non habeat locum ob fatalia transacta, nec querela nullitatis, *adversus* a) *sententias rotales* praecise b) *in causis matrimonialibus*, c) *quas* subintellige causas, utpote quod *ad novum examen*, ultra iuris praescriptum de duabus sententiis, quae conformes sint, *Sacra Rota* etsi iustis de causis *admittere renuit*. Liquido patet hic numerus ratione per clar. Card. Lega loco citato enucleata. « Recens non defuit occasio qua in H. Supr. Trib. dubitatum est an quaedam controversia in eius competentia contineretur. Quaesitum est enim ut decernatur *restitutio in integrum* adversus sententiam rotalem latam in re matrimoniali et duplex iam habebatur sententia conformis;

unde in S. Rota ordinario enascitur *res iudicata;* quamobrem S. Rota ulteriorem instantiam denegavit.

Resolutionem hac de re captam ab H. S. T. necesse fuit submittere confirmationi Auctoritatis Sanctitatis Vestrae. Nam in can. 37 n. 4 *Legis propriae* attribuitur Signaturae Apostolicae cognitio « de expostulatione pro restitutione in integrum adversus sententiam rotalem quae in rem iudicatam transierit ». At causae matrimoniales, suapte natura, fruuntur privilegio ut in iis ulteriores instantiae absolute impediri non possint *exceptione rei iudicatae*, uti memorat et confirmat Const. *Dei miseratione*, ubi cavetur: « salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam ». Itaque ad omnem dubitationem in posterum submovendam expedit, praescriptis verbis decernere, Huius Sup. Trib. esse quoque cognoscere de recursibus adversus sententias matrimoniales quas nec iure appellationis, nec extraordinaria cognitione, pro natura harum causarum, ad novum examen admittere censuit S. R. Rota ».

« Apostolica Signatura videt » quoque 6° *De conflictu competentiae* ad casus authentice dissolvendo *quem enasci contingat inter tribunalia* collegialia vel non *inferiora* respectu Sedis Apostolicae, sed tantummodo *ad normam can. 1612* infra declarandi, § 2. Videlicet: « si (illa) non habeant tribunal superius », atque hac in hypothesi secundum disiunctivam ibi positam tunc declarandam. Et haec est nova extensio illius competentiae.

Hucusque actum est « de potestate ordinaria » Signaturae Apostolicae. Sequitur statuens § 2. *Videt ex potestate* habitualiter *delegata* per Romanum Pontificem *de petitionibus* illorum, quorum intersit, *per supplices libellos*, eo quod de Pontificis benignitate expostulanda extraordinarie providentis agatur, *ad Sanctissimum* sic dictum qua Romanum Pontificem ac Vicarium Christi, *porrectis* saltem ob inscriptionem, quarum scopus sit solummodo *ad obtinendam* « etiam in prima instantia » (can. 1599, § 2), aut vi canonis 1569, § 2, *causae commissionem apud Sacram Rotam.*

Per hanc normam viget partialiter concessio a Benedicto PP. XV expressa in suo Chirographo supra citato, prout huic praecesserat sequens hic relatio: « Cum enim saepius contingat, porrigi Ssmo. libellos supplices ut quaestio committatur S. Rotae iudicialiter cognoscenda vel ut causa iam apud iudices inferiores introducta avocetur ad S. Rotam remittenda; itemque (nunc

sublatum Signaturae competentiae ex canone) ut causa apud S. Rotam instaurata ab eadem revocetur ut remittatur pro definitione alicui S. Congregationi; quoties hoc contigerit vel aliquid aliud huiusmodi petatur quod potissimum respiciat iustitiae administrationem (pro quibus necessaria nunc esset peculiaris commissio), agitur de gravi negotio expediendo.

Hae siquidem controversiae seu quaestiones non valent rite cognosci et definiri nisi auditis partibus quarum interest et praehabita matura deliberatione, prouti in Signatura observari solitum fuit, antequam commissiones a SS.mo. signarentur seu apposita rescripta ederentur aut simpliciter aut adhibitis opportunis clausulis. — Has facultates restituere Signaturae est eidem attribuere quod nativa constitutione competit; quod non ei abstulit Const. *Sapienti consilio* cum asseruerit utrique Signaturae *Gratiae et Iustitiae* novam ordinationem, dumtaxat, fuisse attributam. Hoc pacto Signatura Apostolica ad ampliorem dignitatem consurgit, ob arctiorem nexum quo cum Romano Pontifice coniungitur, cuius nomine et vice examinat, utrum expediat annuere precibus eorum qui petunt a Papa ut ipse dignetur aliquid circa iustitiae administrationem rescribere et potissimum ut tribunali S. Rotae vel alicui Sacrae Congregationi vel ipsi Tribunali Signaturae certam quaestionem committere cognoscendam et definiendam, opportunis adiectis clausulis, prouti res postulat. Antiquitus haec negotia expediebantur potissimum in Signatura *Iustitiae* sed nonnulla etiam in Signatura *Gratiae* ».

70. Accuratior competentiae determinatio quoad singula obiecta separatim adiungitur, illa percurrendo iuxta can. praec. ordinem, *Can. 1604*. Legitur in can. 41, § 1 Legis propriae: « In causa criminali, ... regulae processuales serventur, quae pro causis criminalibus a iure canonico statuuntur ». Hoc etiam Codex implicite retinet in hac Parte, dum can.s 1555 § 2 praescripsit: « Cetera tribunalia servare debent praescripta canonum qui sequuntur ».

Inter haec institutum appellationis inveniemus pro causis quoque criminalibus et idipsum memorante Codice, praemittitur § *1. In causa* seu iudicio *criminali*, quia « obiectum iudicii est delictum in ordine ad poenam infligendam » (can. 1552, § 2, 2°), seu *de qua in* praec *can. 1603*, § *1, n. 1*, nam « violatio secreti, ac damna ab Auditoribus Sacrae Rotae illata » constituunt delicta ob can. 2355, ac proinde *si forte* id est: propter relaxationem praescripti can. 1880, 1° in casu particulari *locus sit iudicio appel-*

lationis; seu causa fuerit cognoscenda in altera instantia, *hoc obtinetur*, vi canonis quoad hoc, *penes ipsum Supremum Tribunal* constituendo exceptionem canonis 1571, quia propter iudicum eminentem dignitatem deferendum erat viventi eorum iustitiae.

§ 3° canonis 41 in Lege propria congruit adamussim § 2. *In casu suspicionis*, seu secundo ex memorati sub §° praec. canonis casibus, *Apostolica Signatura* « inappellabili sententia » ad normam can. 1880, 1° tunc declarandam *definit* quaestionem *utrum sit locus recusationi Auditoris* propter exceptionis rationes adductas a parte, *necne; quo facto, iudicium* in quo fuit exceptio suspicionis proposita *ad Sacram Rotam remittit* hoc propter canonem scopo, ut eadem, *secundum suas regulas* a Pio X probatas, et quale ut audivimus nunc reformatae fuerunt congruenter iuri Codicis ac Legis propriae, *ordinarias* etiam quoad turni constitutionem, *procedat*, quamvis sequela illius definitionis erit servanda, nempe: *Auditore, contra quem exceptio*, quae iam liquet, *mota fuit, in suo turno* circa hanc singularem causam *manente vel excluso* « iuxta Signaturae sententiam » quae admisit vel reiecit exceptionem.

§ 3. *In* unoquoque triplici *casu*, nempe a) *querelae nullitatis* « contra sententiam rotalem » *aut* b) *restitutionis in integrum* « adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit » *aut* c) *recursus* « adversus sententias rotales in causis matrimonialibus », qui casus sic breviter enuntiantur: *de quibus* declarationes dedimus *in can. 1603*, § 1, sub *nn. 3, 4, 5, de hoc tantum* respective *iudicat* Signatura Apostolica a) *num sit nulla sententia rotalis*, omissa can.s 41, § 3 clausula: « et sitne locus eius circumscriptioni », quae supponit illam fuisse validam, ut ibidem probatum fuit, b) *num*, « necne », *locus sit* praefatae *restitutioni, vel* c) *recursus* supra declaratus *sit admittendus*, et haec omnia « inappellabili sententia definit » (can. 1880, 1°); quapropter additur in canone: *et* a) *nullitate* illa *declarata, aut* b) *restitutione* praedicta *concessa*, quia est quaedam gratia in ordine iudiciali, *vel* c) *admisso recursu* veluti quod fundamento innitatur in causis, quae propter ius divinum protegendum queunt semper in iudicium revocari ob rationabile motivum grave, *causam* de merito iudicandam *remittit*, quia inde venit, *ad Sacram Rotam*, nec additur « videntibus omnibus », proinde non est necesse, *nisi Sanctissimus* Pater *aliter* quoad eiusdem tribunalis constitutionem, vel alterius delegationem in casu *providerit* vel motu proprio, vel subsignante Signaturae Apostolicae consultationem.

§ *4* apprime concordat iuri praecedenti, quod originem habuit ex Chirographo Bened. PP. XV « Attentis expositis » [1]. *In examine supplicum libellorum*, quos supra declaravimus « ex potestate delegata videndos » (can. 1603, § 2), *Signatura* nunc unica, a) *habitis* modo sibi beneviso *opportunis* ad solutionem *notitiis*, *et* b) *auditis* iis personis *quorum interest*, prouti aequitas suadet, *decernit* absque forma iudiciali de sequenti sola quaestione: *utrum precibus annuendum sit* a Papa, *necne*, relinquendo Summo Pontifici gratiae concessionem.

71. De forma intrinseca sententiarum, quae ab hoc Supremo Tribunali prodeunt cavet *can. 1605*. Cum ipsius iudices sint Emmi. Patres, qui adhaerent lateri Summi Principis, decet eiusdem participare praerogativam, ita ut ad modum Sacrarum Congregationum breviter dent solutiones. Hoc tamen constituit exceptionem normae inveniendae sub §§ 3 et 4 canonis 1874. Id innuere vult § *1* sic incipiens: *Supremi* ob iurisdictionem simul ac eminentiam iudicum *Tribunalis* « Apostolicae » *Signaturae sententiae* quaelibet ex predictis sub praec. canone, etiam in « iudicio appellationis » (§ 1), *suam vim habent* secundum exceptionem can. 1894, 2°, *quamvis rationes in facto* fundatas *et in iure* vel alterutras *non contineant* nempe in earum tenore non exprimant.

§ 2. *Nihilominus*, idest: propterea non excluduntur eaedem praescripto, nam a) *sive ad instantiam partis* iure non cogentem b) *sive ex officio*, idest: parte non instante, ac forsan alterutra repugnante, *si* Tribunalis iudicio *res postulet* quod sequitur, *Supremum Tribunal edicere* seu decreto iubere *potest*, ex qua locutione colligitur sufficienter ad §§ 3 et 4 canonis 1874 servandos non obligari, *ut praedictae rationes* cum observantia praefati canonis *exponantur* in sententia *secundum regulas Tribunalis proprias* adhuc sequendas, quae confirmatae a Pio X prostant in Commentario [2] officiali, ac fortassis reformatae fuerunt post Codicem ut huic concordes inveniantur.

CAPUT IV.

De tribunali delegato.

Can. 1606. - Delegati iudices servare tenentur regulas statutas in can. 199-207, 209.

Can. 1607. - § 1. Iudex a Sancta Sede delegatus uti potest ministris constitutis in Curia dioecesis in qua iudicare debet; sed potest etiam alios quoscunque maluerit eligere et assumere, nisi in delegationis rescripto aliud cautum sit.

[1] 28 Iun. 1915, CO. VII, 325. — [2] 6 Mart. 1912, CO. IV, 187.

§ 2. Iudices vero ab Ordinariis locorum delegati uti debent ministris Curiae dioecesanae, nisi Episcopus in aliquo peculiari casu ob gravem causam proprios et extraordinarios ministros constituendos decreverit.

72. Inscriptio capitis eiusque duo canones. — Cognitis undequaque tribunalibus ordinariis, quae in Ecclesia inveniuntur, consequens est praescripto can. 199, § 1, ut *Caput IV* praescripta praecedentium edicat *De tribunali* quolibet ab ipsis vel Praelatis et Apostolica Sede *delegato* iuxta receptam iurisdictionem. Normas iudicum sive unipersonalium sive tribunalis collegialis indigitat can. 1606, ceterosque tribunalis delegati ministros respicit can. 1607.

73. De tribunalis delegati iudicibus edicit *can. 1606. Delegati iudices* secundum declaratam inscriptionem omnes et singuli *servare tenentur* secundum earum tenorem ac vim *regulas statutas* pro eisdem *in can. 199-207, 209*, declaratas in Commentario Textus quoad Tit. V Lib. II « de Personis ».

Unum caput recolere oportet [1], quod sua vi pollere putamus. « Ex parte tua fuit insuper quaesitum: utrum si aliqua causa fuerit ad archiepiscopum per appellationem delata, possit eandem iure ordinariae potestatis, suffraganei sui subdito delegare vel animadvertere in eundem, si causam renuerit suscipere delegatam. Ad quod respondemus, quod archiepiscopus, ipsum ad suscipiendam delegationem huiusmodi, compellere nequit invitum: cum in eum (exceptis quibusdam articulis) nullam habeat potestatem, licet episcopus suus sit metropolitana lege subiectus ».

74. De tribunalis delegati ministris iure adhibendis et quos respiciunt regulae datae, quando actum est de ordinariis tribunalibus, agit cum distinctione *can. 1607. § 1. Iudex*, qua singularis persona, ut assolet, vel qua tribunal collegiale, *a Sancta Sede* ad normam can. 7, fortassis a S. Romana Rota vel a Signatura Apostolica, *delegatus* ad instructionem processus vel ad causam cognoscendam et definiendam, *uti potest*, quin ad hoc obligetur, *ministris* omnibus iuxta canones Capitis primi necessariis, vel aliquibus tantum secundum reg. iuris 35 in 6°: « Plus semper in se continet quod est minus », *constitutis* habitualiter *in Curia dioecesis*, cuius « nomine venit quoque abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2), *in qua* iuxta rescripti tenorem vel causae naturam *iudicare debet; sed*, ut declarando innuimus, *potest etiam*, praetermittendo illos omnes, *alios quoscumque maluerit*, pro li-

[1] Cap. « Pastoralis officii » 11, tit. « de officio iudicis ordinarii » (I, 31).

bitu, sed qualitatibus debitis praeditos *eligere* inter multos, qui etiam aptiores nequeunt iure conqueri, *et assumere* in diversa trimunalis munera. Haec vero secunda pars explicit sequenti limitatione: *nisi in delegationis rescripto*, nam Sancta Sedes solet in scriptis delegare, *aliud* circa illa diversa munia *cautum sit*. Quo in casu memorari oportet can.s 39 tenorem: « Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorum validitate censentur, cum per particulas *si*, *dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur ».

§ 2. *Iudices vero ab Ordinariis locorum* (can. 198, § 2), sive in solidum aut singulariter pro singulis causis, sive collegialiter *delegati uti debent* vi huius canonis mentem illorum rationabiliter praesumentis, *ministris* omnibus *curiae dioecesanae* in delegationis expletionem necessariis, *nisi Episcopus* a) *in aliquo peculiari casu* b) *ob gravem causam*, nam secus ageret contra canonis praescriptum a) *proprios* tribunalis delegati *et extraordinarios*, quia ultra constitutos habitualiter *ministros* tribunalis omnes vel aliquos ob reg. iuris citatam in praec. § *constituendos* iuxta capitis primi canones de ipsorum qualitatibus personalibus *decreverit*, videlicet: per aliquod scriptum.

TITULUS III.

De disciplina in tribunalibus servanda.

CAPUT I.

De officio iudicum et tribunalis ministrorum.

Can. 1608. - Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium ne recuset, firmo praescripto can. 1625, n. 1.

Can. 1609. - § 1. Iudex antequam aliquem ad suum trahat tribunal et iudicaturus sedeat, videat utrum ipse sit competens, necne.

§ 2. Eodemque modo antequam aliquem ad agendum admittat, cognoscere tenetur num is in iudicio possit iure consistere.

§ 3. Non est tamen necesse ut de his referatur in actis.

Can. 1610. - § 1. Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.

§ 2. In casu exceptionis de incompetentia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem.

§ 3. Quod si iudex se incompetentem declaret, pars quae se gravatam reputat, potest intra decem dierum spatium appellationem ad superius tribunal interponere.

Can. 1611. - Iudex quovis in stadio causae se absolute incompetentem agnoscens, suam incompetentiam declarare tenetur.

Can. 1612. - § 1. Si inter duos pluresve iudices controversia oriatur quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, res defi-

nienda est a tribunali immediate superiore.

§ 2. Quod si iudices, inter quos exsistit competentiae conflictus, subsint distinctis tribunalibus superioribus, controversiae definitio reservatur tribunali superiori illius iudicis, coram quo actio primo promota est; si non habeant tribunal superius, conflictus dirimatur vel a Legato Sanctae Sedis, si adsit, vel ab Apostolica Signatura.

CAN. 1613. - § 1. Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in primo et secundo gradu lineae collateralis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum aut procuratorem egerit.

§ 2. In iisdem rerum adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor et defensor vinculi.

CAN. 1614. - § 1. Cum iudex, etsi competens, a parte recusatur ut suspectus, haec exceptio, si proponatur contra iudicem delegatum in causa unicum vel contra collegium vel maiorem delegatorum iudicum partem, definienda est a delegante; si contra unum vel alterum ex pluribus iudicibus delegatis, etsi Collegii praesidem, a ceteris iudicibus delegatis et non suspectis; si contra Auditorem Sacrae Rotae, a Signatura Apostolica ad normam can. 1603, § 1, n. 2; si contra officialem, ab Episcopo; si contra auditorem, a iudice principali.

§ 2. Si ipsemet Ordinarius sit iudex et contra ipsum exceptio suspicionis opponatur, vel abstineat a iudicando vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici immediate superiori.

§ 3. Si exceptio suspicionis opponatur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administros, de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali vel ipse iudex, si unicus sit.

CAN. 1615. § - 1. Si iudex unicus aut aliquis vel etiam omnes iudices qui tribunal collegiale constituunt suspecti declarentur, personae mutari debent, non vero iudicii gradus.

§ 2. Ordinarii autem est in locum iudicum qui suspecti declarati sunt, alios a suspicione immunes subrogare.

§ 3. Quod si ipsemet Ordinarius declaratus fuerit suspectus, idem peragat iudex immediate superior.

CAN. 1616. Exceptio suspicionis expeditissime definienda est, auditis partibus, promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint, nec in ipsos suspicio cadat.

CAN. 1617. Quod ad tempus attinet quo exceptiones incompetentiae et suspicionis proponendae sint, servetur praescriptum can. 1628.

CAN. 1618. In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis; sed in delictis et in iis quae publicum ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, etiam ex officio.

CAN. 1619. - § 1. Si actor pro re sua probationes quas afferre posset, non afferat, vel reus exceptiones sibi competentes non opponat, iudex ne suppleat.

§ 2. Si vero agatur vel de publico bono vel de animarum salute, eas supplere potest et debet.

CAN. 1620. - Iudices et tribunalia curent ut quamprimum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae ultra biennium non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra annum.

CAN. 1621. - § 1. Excepto Episcopo qui per se potestatem iudiciariam exerceat, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato, praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sint constituti.

§ 2. Etiam iudex a Sede Apostolica delegatus vel iudex ordinarius in religione clericali exempta idem iusiurandum praestare tenetur cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito iureiurando actum redigat.

CAN. 1622. - § 1 Quotiescumque iusiurandum praestatur sive a iudicibus aut tribunalis administris, sive a partibus, testibus, peritis, semper emitti debet praemissa divini Nominis invocatione et a sacerdotibus quidem tacto pectore a ceteris fidelibus tacto Evangeliorum libro.

§ 2. Iudex partem, testem aut peritum ad iusiurandum recipiens, eum regulariter commonefaciat tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, tum etiam de poenis, quibus obnoxii fiunt qui falsum in iudicio iurati affirmant.

§ 3. Iusiurandum secundum formulam a iudice probatam praestari debet coram eodem iudice aut eius



delegato, adstante utraque aut alterutra parte, quae interesse iurisiurandi praestationi velit.

CAN. 1623. - § 1. In iudicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum officii.

§ 2. Tenentur etiam semper ad inviolabile secretum servandum de discussione quae in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis.

§ 3. Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praebeatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, iudex poterit testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum.

CAN. 1624. - Iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii, munera quaevis acceptare prohibentur.

CAN. 1625. - § 1. Iudices qui cum certe et evidenter competentes sunt, ius reddere recusant, vel qui temere se competentes declarant, vel qui ex culpabili negligentia aut dolo actum nullum cum aliorum detrimento vel iniustum ponunt aut aliud litigantibus damnum inferunt, tenentur de damnis et ab Ordinario loci vel, si de Episcopo agatur, a Sede Apostolica, ad instantiam partis aut etiam ex officio, congruis poenis pro gravitate culpae puniri possunt, non exclusa officii privatione.

§ 2. Iudices qui secreti legem violare vel acta secreta cum aliis quoquo modo communicare praesumpserint, puniantur mulcta pecuniaria aliisque poenis, privatione officii non exclusa, pro diversa reatus gravitate, salvis peculiaribus statutis, quibus graviores poenae praescribantur.

§ 3. Eisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores, si officio suo, ut supra, defuerint, quos omnes etiam iudex punire potest.

CAN. 1626. - Cum iudex praevidet actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi iuribus non satis consultum iri, potest, ad eiusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad congruam cautionem praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia.

75. Inscriptio Tituli ac huius divisio. — Cognitis Ecclesiae diversis tribunalibus, providendum erat ut eorum labor sit efficax valde in eorum scopum rectae administrationis iustitiae. Propter hoc est mire opportunus *Titulus III* inscriptus *De disciplina* idest: de ordinato per leges modo adimplendi complexa munia *in tribunalibus*, seu quoad omnes personas in eis partem habentes, sive illa constent unico iudice, sive collegialia sint, tum ordinaria tum delegata, *servanda* modo obligatorio per dictas personas.

Prout vero directe considerantur vel diversa munia personarum, quae tribunal constituunt, vel causae ipsae, sic distribuuntur canones, ut sit « Cap. I De officio iudicum et tribunalis ministrorum » et « Cap. II. De ordine cognitionum » inter illas. Arbitrium quoque fuit circumscribendum quoad tempus et lo-

cum, unde sequuntur « Cap. III. De dilationum terminis et fatalibus », quae processuum instructionem pressius concernunt, sicut extrinsecae sunt conditiones, quas innuit « Cap. IV. De loco et tempore iudicii ». Demum cetera, quae disciplinam in hac re postulant, respicit « Cap. V », nempe: « De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum ».

76. Inscriptio Capitis I eiusdemque coordinati canones. — Incipit titulus modum imponens eisdem tribunalibus in se consideratis, dum inscribitur *Caput. I. De* unoquoque *officio* secundum sequentes canones exercendo, tum *iudicum*, sive hi personae sint singulares, sive collegium efforment, *et tribunalis* cuiuslibet, iuxta declaratam tituli inscriptionem, *ministrorum*, qui enumerati ac declarati fuerunt sub capite I tituli praecedentis.

Ita vero secundum causae progressum caput est digestum, ut quid faciendum sit praevie ad singulas causas, sive ordinarie, sive accidentaliter, iudex edoceatur. Primum ergo, ne recuset illegitime proprium ministerium, admonet can. 1608, et quibus cautelis utatur ad causae inceptionem iniungit can. 1609. Postea de competentia servanda, et si dubium exurgat, quo modo sit solvendum diverso, statuunt canones 1610-1612, addito can. 1613 de quibusdam causis non suscipiendis, quae propriae sint competentiae, sed a quibus repellitur iudicis persona ob suspitionem iure praesumptam, ne alterutri parti faveat. Si vero iudici exceptio suspicionis a parte opponatur, quod praetexere haec facile potest, ac logice ab initio litis locum sibi vindicet illa, normas dant eiusdem cognitioni ad definitioni can. 1614-1617, et cum simus in iudicii initio, hoc diversum edicit can. 1618. Instructionem causarum rite peragendam curant can. 1619, 1620 quoad eas in seipsis et can. 1621-1624 quoad obligationes iudicum ac ministrorum, edicente can. 1625 sanctiones praecedentium canonum, qui proinde eorum transgressiones delicta efficit. Demum sententiae observandae prospicit can. 1626 per cautelam illius prolationi tempestive exigendam.

77. Iudicis in causa primum debitum utpote generale enuntiat *can. 1608*. Ad hoc sciendum est duplex ab Auctoribus distingui iudicis officium, quod vocant nobile et mercenarium, prout nempe illud exercet, veluti iustitiae amore excitatus vel a parte ius habente praemotus. Sensus verborum placet, denominatio non ita, quia ratione sui officii debet proprium in utroque casu ministerium exhibere. Ait enim Innoc. III in cap. 17 « De iudiciis » (II, 1) X: « Praecipiatis ex parte nostra praelatis,

ut laicis de clericis conquerentibus, plenam faciant iustitiam exhiberi: Non obstantibus appellationibus frustratoriis, quas in eorum gravamen clerici frequenter opponunt ». Nec dissonat Codex sic praescribens. *Judex*, qua jurisdictione praeditus, sive ut singularis, sive ut praeses tribunalis collegialis, *competens* ad normam canonum tituli I ratione singularis controversiae atque contendentium personarum, *parti* quoad personam standi in iudicio ac modum *legitime requirenti*, ac proinde si « iudicium sit contentiosum » (can. 1522, § 1, 1°), *suum* ratione adepti muneris ac proinde in controversia continente « obiectum iudicii » *ministerium*, quod in commodum non proprium sed iustitiae christianis reddendae est constitutum, *ne recuset* positivo modo aut solum omissione intra conveniens tempus excipiendi causam discutiendam et consequenter definiendam, *firmo praescripto can. 1625, § 1*, hic memorato, quia sanctionem prae se fert huius canonis.

78. Iudicis obligatio duplex causae praevia respicit reum et actorem. Has continet *can. 1609. § 1. Iudex* quilibet ordinarius *antequam aliquem* in propria persona vel qua communitatis alteriusve repraesentantem *ad suum* peculiare *trahat* iuridice *tribunal* seu « locum exercendarum litium » *et iudicaturus* seu qua potestate iudiciali praeditus *sedeat*, verbo innuente tranquillitatem animi sibi necessariam, et hac clausula innuit canon hic agi de incipiendo iudicio et illum « aliquem » trahi tanquam reum, *videat* per canonum applicationem ad casum, *utrum ipse* « iudex » *sit competens* ad illam decernendam citationem, *necne*. Ait enim Gregorius: « Scriptum est in lege: Per alienam messem transiens falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere et manducare ». Falcem enim iudicii mittere non debes in ea segete, quae alteri videtur esse commissa »...

Correlativus est § 2, sic proinde incipiens. *Eodemque modo* « iudex » *antequam aliquem* supra declaratum, sed qua actorem seu *ad agendum* in iudiciali controversia *admittat* iuridico actu, *cognoscere tenetur* ad illum recte ponendum et quatenus in eo sit *num* is qua actor *in iudicio* hoc singulari *possit iure* id est ad normam ss. canonum capitis primi sub Titulo quarto *consistere*, ita ut ab eodem iudice repelli non debeat.

Iudex in conscientia canoni parere debet, sed monet § 3. *Non est tamen necesse*, videlicet: abest praescriptum, quin prohibeatur, *ut de his* peractis cognitionibus, vel quod « ipse iudex sit competens » et « actor in iudicio possit iure consistere » *referatur in actis*, seu mentio fiat.

79. Decisio exceptionis de iudicis incompetentia consideratur ac regulatur sequentibus normis. In cap. 38 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X Greg. IX sic loquitur: « Significantibus M muliere et I nato eius, nos noveritis accepisse, quod cum nobilis mulier Iuliana vidua, mentiens se pauperem contra eos super terris et rebus aliis ad iudices nostras litteras impetrasset, iidem coram eis excipiendo proponere curaverunt, quod cum dictae litterae suggesto mendacio impetratae fuissent, cum praedicta Iuliana (quae nobilis est et dives) pauperem se dixisset in eis, coram ipsis... non debebant de iure per tales litteras conveniri: unde dicti iudices interloquendo pronunciarunt, se per easdem litteras procedere non debere ».

Hoc idem continet *can. 1610*, dum statuit § *1. Si exceptio proponatur* idest: pars conventa opponat quidquam *contra iudicis* ordinarii aut delegati *competentiam* in singulari causa, propter quam illa fuit citata, *hac de re* fortassis praevisa prius vel ignorata *ipse iudex* ordinarius vel delegatus coram quo fuit proposita, quamvis de propria sit quaestio competentia *videre* iudicialiter *debet* ex canonis praescripto. Nec dicatur neminem esse iudicem in propria causa, quia non agitur de proprio personae interesse.

Quoad pronunciationem eius « hac de re » pro duplici hypothesi decisionis dantur paragraphi duo. § *2. In casu exceptionis* quolibet *de incompetentia relativa* iudicis, videlicet « cui nullus es his (qui in can. 1560-1568 determinantur) titulis suffragatur », *si iudex se* in hac causa *competentem pronuntiet* per interlocutoriam sententiam, *eius decisio* servanda est, eo quod *non admittit appellationem*. Videtur ius hoc in casu iurisdictionem fortassis deficientem supplere, dummodo pronuntians sit iudex.

§ *3. Quod si iudex* ordinarius vel delegatus *se incompetentem declaret* equidem per decretum, *pars quae se* inde *gravatam* qualitercumque sed fortioribus rationibus *reputat* suo iudicio, *potest*, quin teneatur, *intra decem dierum spatium*, ita ut lati decreti « dies ne computetur » (can. 34 § 3, 3°) *appellationem ad superius* immediate *tribunal* nempe, secundae instantiae in cap. II Tit. praec. determinatum, vel a quo iudex fuerat delegatus, *interponere* iuxta canones 1879 et seqq.

80. Decisio de absoluta iudicis incompetentia praescribitur. *Can. 1611. Iudex* quilibet et *quovis in stadio causae*, seu parte processus, *se absolute incompetentem* ad normam can. 1556, 1557, *agnoscens*, sive proposita exceptione sive absque ea et quomodolibet, *suam* in causa illa *incompetentiam* per decretum

declarare tenetur ex canonis praescripto. Ita sane, eo quod secus nihil agat, quia hinc sequuta « sententia vitio insanabilis nullitatis laborat » (can. 1892, 1°).

81. Iudex de controversia competentiae inter iudices datur. *Can. 1612, § 1. Si inter duos* saltem *pluresve iudices*, qui personae singulares sint vel tribunalia collegialia, *controversia oriatur* quolibet ex motivo *quisnam eorum* alterum excludens *ad aliquod* singulare *negotium* tractandum iudicialiter *competens sit* iuxta ss. canones, *res* (ceu controversiae obiectum) *definienda est* sine appellatione vel recursu, ut videtur, *a tribunali* singulari vel collegiali *immediate superiore* non solum in gradu, sed circa utriusque contendentis iurisdictionem subordinatam eidem. Istud erit cognoscendum ex applicatione can. 1594 iam declarati « de tribunali ordinario secundae instantiae ».

Praefatam normam complet § 2. *Quod si iudices, inter quos exsistit competentiae conflictus* supra declaratus, *subsint* quoad iurisdictionem *distinctis tribunalibus* « immediate » *superioribus* idest altioris gradus, *controversiae* inter illos de « competentia » *definitio reservatur* vi huius canonis ac pro diversitate casuum. a) *tribunali superiori* inter ultimos declaratos *illius iudicis* contendentis, *coram quo actio* iudicialis circa quam cognoscendam contendunt, *primo* ab alterutra parte *promota est* per libelli oblationem; b) « *si* iudices » utrique contendentes *non habeant tribunal superius* infra Romanam Curiam, eo quod immediate subduntur S. Sedi, *conflictus* « competentiae » unusquisque *dirimatur vel a Legato Sanctae Sedis* « cum titulo Nuntii aut Internuntii » (can. 267, § 1) aut « Delegati Apostolici » (can. cit. § 2), *si adsit* de facto pro illo iudicum contendentium territorio, *vel ab Apostolica Signatura*, quae ad hoc definiendum competens est, non solum in casu quod desit Legatus Sanctae Sedis, sed etiam « si adsit ». Sic intelligimus disiunctivam praescripti propositionem eo quod Apostolica Signatura sit Papae tribunal atque potioribus iuris adiumentis praeditum.

82. Prohibitiones a iudice, iustitiae promotore et defensore vinculi servandae in singularibus causis ratione personalis relationis cum contendentibus vel causa ipsa in tribunalibus competentibus servandae, quae iure statuuntur.

Et primo accurateque agit de iudice *can. 1613, § 1. Iudex*, qua persona singularis, etiamsi membrum sit tribunalis collegialis, nec refert an ordinaria iurisdictione sit praeditus vel delegata, « ipsa namque ratio dictat, quod suspecti et inimici iudices esse

non debent », ut ait Coelestinus III [1]. Propter hoc « iudex » *cognoscendam* et proinde ab initio *ne suspiciat causam* tum contentiosam, tum criminalem, sed iudicialiter pertractandam, *in qua* singulari a) *ratione consanguinitatis* inter eum et partem declaratae ad can. 96 *vel affinitatis* quam explicavimus in Commentario Textus ad can. 97, ac plene in utroque de his quae sequuntur *in quolibet gradu* sive propinquo sive remotiore *lineae rectae et in primo et secundo* simplici vel mixto quoad illam cum primo *gradu lineae collateralis*, iuxta id quod admittit Innoc. III [2] aiens: vicecomes Benaici gravem Nobis exposuit quaestionem contra dictos iudices « quod cum Corisipotensis Episcopus comitem Britanniae (seu aliam partem) proxima linea consanguinitatis attingat, et archidiaconus eius sit clericus commensalis, qui eidem vicecomiti est adversarius principalis, utpote qui uxorem suam et terram publice detinere praesumit, et magister P. de terra uxoris suae oriundus, exsistat nimis favens eidem », qua ratione videtur fuisse additum in canone: b) *vel ratione tutelae et curatelae* a iudice erga partem alterutram exercitae, c) *intimae vitae, consuetudinis*, ut familiaris, vel propter amicitiam singularem vel « pro eo, quod dominus est praedicti R. (partis in causa) » ut decrevit Alex. III [3], d) *magnae simultatis* quae inimicitiam subaudit, *vel* e) *lucri faciendi* ex causae decisione determinata *aut damni vitandi* dummodo eadem gravia iudicentur prudenter, *aliquid* notabile *ipsius* iudicis *intersit* uno modo iudicare favente alterutri parti, f) *vel in qua* causa eadem vel simili *antea advocatum* in foro ecclesiastico vel civili *aut procuratorem* unius ex partibus egerit. Sic enim ait Innoc. III [4]: « Quia vero cum eumdem Archidiaconum similis paene causa contingat, nimis favorabilis parti alteri videretur, nos te, fili decane, loco ipsius archidiaconi subrogantes... ».

Quia ubi est eadem ratio, ibi debet esse eadem iuris dispositio, ad alias personas extendit praescriptum § 2. *In iisdem rerum adiunctis* singulis nempe relationibus sequentium singularum personarum cum alterutra parte in contentioso iudicio vel cum reo in iudicio criminali, *ab officio suo* exercendo *abstinere* in causa singulari *debent* vi huius canonis a) *iustitiae promotor*, quandocumque iure admittitur saltem, *et* b) *defensor vinculi* matrimonialis aut ordinationis quoad huiusmodi causas.

[1] Cap. 41. De appellationibus, recusationibus et relationibus (II, 28). — [2] Cap. 4. Ut lite non contestata etc. (II, 6). — [3] Cap. 17. De officio iudicis Delegati. (I, 29). — [4] Cap. 18. De iudiciis. (II, 1).

83. De suspicionis exceptione agit *can. 1614* congruens Decretali Lucii III huius tenoris [1]: « Postremo frat. tuae litteris praesentibus intimamus, quod si causa alicui fuerit delegata, qui consanguineus sit illius, qui litteras impetravit, aut in eodem negotio advocati officio functus, vel ex alia iusta causa suspectus, huiusmodi delegatus non immerito poterit recusari, quamvis appellatione remota fuerit ei negotium delegatum ». Revera in praec. canone desunt verba « quibus aut (processum adversus canonem) esse nullum aut inhabilem (ad munus ibi vetitum) esse personam expresse vel aequivalenter statuatur ». Igitur opportune ius partibus agnoscit § *1. Cum iudex* iuxta verbi declarationem in can. praec., *etsi competens* pro singulari iudicio contentioso aut criminali, *a parte*, sive actore, sive reo *recusatur ut suspectus* de studio partium iuxta normam canonis praec.[2], *haec exceptio* a) *si proponatur* apud tribunal *contra iudicem delegatum* a qualibet ecclesiastica auctoritate suprema vel subalterna imo et ab ipsa delegata seu « contra » subdelegatum *in causa* eadem *unicum* b) *vel contra collegium*, seu coetum iudicum, qua tale, c) *vel* solum « contra » huius *maiorem*, non solum dimidiam, *delegatorum iudicum partem*, in singulis tribus casibus exceptionis vis *definienda est*, prout aliae exceptiones, *a delegante;* d) *si* « proponatur » *contra unum vel alterum*, usque ad dimidiam coetus partem, *ex pluribus iudicibus delegatis* collegialiter, quapropter additur: *etsi Collegii praesidem* nominatum, *a ceteris iudicibus delegatis*, vi huius canonis collegialiter procedentibus *et non suspectis*, quod addendum erat exclusionis causa singulorum suspectorum in definienda exceptione coniudicis suspecti; e) *si* « proponatur » contra *Auditorem Sacrae Rotae* in turno causae, haec « exceptio definienda est » *a Signatura Apostolica ad normam can. 1603, § 1, n. 2* supra declaratam; f) *si contra officialem* in dioecesibus aut Prelaturis vel Abbatiis nullius constitutum, nec refert an solus iudicare debeat vel tribunali collegiali praesit ad normam can. 1577, § 2, nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *ab Episcopo* « definienda est » « cuius nomine venit quoque in iure Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2); g) *si contra auditorem* « seu actorum instructorem » (can. 1580, § 1) forsan constitutum, *a iudice principali* causae, pro qua ille fuit electus ab eodem vel ab Ordinario. (can. 1580, § 2).

[1] **Cap. 36. De appellationibus, etc. (II, 28).**

Praeformationem huius praescripti invenimus, praeterquam in aliis fontibus Codicis, in cap. 4 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 14) in 6° ubi Bonifacius VIII sic decrevit: « Si contra unum ex duobus iudicibus, cum illa clausula: « quod si ambo interesse non possunt, alter eorum in causa procedat » a Sede Apostolica delegatis, suspicionis causa legitima proponatur: causa ipsa suspicionis coram non recusato coniudice, ad quem ex vi praedictae clausulae debet ipsius causae cognitio pertinere, probari et ab eo expediri debebit. Ubi vero non est dicta clausula in rescripto, debet super hoc ad arbitros recursus haberi. Quum autem ipse delegatus Episcopi recusatur, recusationis causa coram Episcopo est probanda. Idem est, si officialis recusetur eiusdem, licet ad ipsum ab eodem officiali nequeat appellari ».

« Recursus vero ad arbitros » in relata Decretali iussus et in alia Greg. IX « Suspicionis causa » de officio et potestate iudicis delegati nunc manet abrogatus. Sic enim canonem complet § 2. *Si ipsemet Ordinarius*, tum loci, seu Episcopus cum iuridica significatione, « qui iudiciariam potestatem exercere potest ipse per se » (can. 1572, § 1), tum Metropolita, aliusque ad quem « fit appellatio » ad normam can. 1594, tum « in religionibus clericalibus exemptis, Superior provincialis, aut, si monasterium sit sui iuris, Abbas localis » (can. 1579, § 1) et pro casibus §^{i} 2^{i} « supremus religionis Moderator, aut supremus Moderator Congregationis monasticae », imo etiam in causis appellationis ad normam can. 1576, quia « Episcopus semper potest tribunali ipse per se praeesse ». (can. 1578), et « si collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet » (can. 1596) *et contra ipsum* unumquemque ex declaratis « Ordinarium » (can. 198, § 1) *exceptio suspicionis* supra declarata *opponatur* a parte, hoc supposito a) *vel abstineat a iudicando* per se causam, ita ut vel eam « iudicandam relinquat tribunali ordinario (quod « Officialis unum constituit cum Episcopo loci » can. 1573, § 2) vel cui praesit officialis vel vice-officialis » (can. 1578), vel pro illa causa delegatum det iudicem unusquisque ex praefatis « Ordinariis », *vel* b) saltem *quaestionem suspicionis definiendam committat* sic ut per hanc commissionem iurisdictio necessaria iure obveniat *iudici* unico *immediate superiori*, nempe: cui deferenda esset regularis appellatio in causa.

Quamvis primo aspectu videatur in canone de suspicionis exceptione contra alios iudices tribunalis collegialis ordinarii

deesse praescriptum, Codex alibi de hoc providit. Etenim in canone 1576 § 3 dicitur: « Duos vel quatuor iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices synodales Ordinarius, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, (v. gr. in casu recusationis), eligat per turnum ». Et hoc praescriptum ibi fuit declaratum.

De tribunali autem collegiali religiosorum specialiter id consideravimus ad can. 655, et si quandoque in aliis causis huiusmodi tribunal constituendum sit, vel de illo « in constitutionibus cavebitur » etiam quoad hanc exceptionem, vel secus Superioris praesidis erit « pro sua prudentia » alium iudicem substituere recusato ex loco parallelo can. 1576 § 3 paulo ante relato.

In quibusdam causis eademque ratione est valde utilis § 3. *Si exceptio suspicionis* declarata supra, quae opponi posse a partibus innuitur, de facto *opponatur*, singulos officiales sequentes recusando, a) *contra promotorem iustitiae* « in causis, tum contentiosis in quibus bonum publicum, Ordinarii iudicio, in discrimen vocari potest, tum criminalibus » (can. 1586), b) « contra » *defensorem vinculi* quando « agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii » (can. cit.) *aut* c) *alios tribunalis* cuiuslibet *administros* recensitos in articulis II, III et IV capitis I, tit. II, *de hac exceptione videt* ac definit a) *praeses in* quolibet *tribunali collegiali* b) *vel ipse iudex, si unicus sit* ad iudicandum causam principalem.

84. Effectus probatae recusationis pro diversitate casuum enuntiat *can. 1615*. In cap. 61 « de appellationibus... etc. (II, 28) X scriptum est: « Causa vero suspicionis legitima coram ipsis infra competentem terminum non probata, sua iurisdictione iudex utatur. At ipsa probata legitime, de recusatoris assensu personae idoneae committat negotium recusatus, vel ad Superiorem transmittat, ut in eo ipso procedat secundum quod fuerat procedendum ». Manente quoad vigorem prima citationis parte ob rei naturam, secunda diversis suppositionibus per paragraphos tres aptatur.

§ *1. Si iudex unicus* cuiuslibet instantiae *aut aliquis*, quod subintelligit etiam plures, quia recusantur ut singuli, et eo quod (Reg. iuris 35 in 6°) « plus semper in se continet quod est minus » addente canone: *vel etiam omnes iudices qui tribunal collegiale* quodlibet *constituunt* iure vel designati ab homine, *suspecti declarentur* secundum partis recusationem, *personae* suspectae *mutari debent, non vero iudicii gradus* primae aut secundae instantiae.

§ 2. *Ordinarii autem* ad normam can. 198 § 1 est, deficiente iure particulari, *in locum iudicum* supra dictorum *qui suspecti declarati sunt* legitime, *alios a suspicione* iuris vel a partibus obiecta *immunes subrogare.*

Paragraphum praec. complet § 3. *Quod si ipsemet Ordinarius* eadem significatione *declaratus fuerit suspectus, idem*, nempe « alium iudicem a suspicione immunem subrogare », *peragat iudex immediate superior*, casu videlicet quo « quaestionem suspicionis definiendam committat » eidem ipsemet Ordinarius (can. 1614, § 2).

85. De modo solvendi hanc quaestionem, cavet *can. 1616. Exceptio suspicionis*, utpote quae « causa incidens habetur » ad normam can. 1837, *expeditissime*, ac proinde « non est (in ea) locus appellationi » (can. 1880) *definienda est*, observatis normis can. 1838-1841, et his maxime quae leguntur in cap. 10 sess. XXV de Ref. Conc. Trid.: « Admonet dehinc S. Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque iudices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant; ac litigatorum artibus seu in litis contestatione, seu alia parte iudicii differenda, modis omnibus aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant », attamen ad normas Codicis. Imo, semper *auditis* a) *partibus*, etiam illa quae exceptionem non opposuit, b) *promotore iustitiae vel vinculi defensore*, sub duplici conditione a) *si intersint* iure ratione causae principalis, b) *nec in ipsos suspicio cadat*, nempe: non sint personae recusatae. Unde patet non esse ex praescripto audiendas personas iudicum recusatorum.

86. De tempore seu parte iudicii in quo proponenda sit duplex exceptio remissive loquitur *can. 1617. Quod ad tempus attinet quo exceptiones* a) *incompetentiae* regulatae in parte prima huius Capitis *et* b) *suspicionis* de qua est actum a can. 1613, *proponendae sint* a parte cuius intersit, *servetur praescriptum can. 1628*, qui diversimode loquitur de utraque, imo specialiter de exceptione excommunicationis, atque cum exceptionibus dicit: « proponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis ».

87. Duplex iudicis officium mercenarium ac nobile distinguebant Doctores iuris antiqui, sed duplicem modum exercendi officii cum verborum proprietate assignat iudici quoad causae inceptionem *can. 1618. In negotio* sic dicto, quatenus esse potest obiectum iudicii contentiosi, additurque *quod privatorum solummodo interest*, utpote iura eorum unice attingens, quod cedere possunt vel cum adversario amicabiliter componere, *iudex* quili-

bet ecclesiasticus vel ordinarius vel delegatus *procedere* iudicialiter *potest dumtaxat ad instantiam* per libellum *partis* cuius interest, et quae probare debebit intentum. De huiusmodi negotio intelligendum est axioma iuris: « Judex non impertitur officium suum nisi volenti: *sed* a) *in delictis* iuxta illud Decretalium [1]: « Ad corrigendos igitur subditorum excessus tanto diligentius debet praelatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas desereret incorrectas »; *et in iis quae* multoties in Codice enuntiantur explicite, veluti quae b) *publicum Ecclesiae bonum* v. gr. de nullitate ordinationis presbyteralis, *aut* c) *animarum salutem* v. gr. de nullitate matrimonii ob publicum impedimentum, *respiciunt, etiam ex officio* « procedere potest », quatenus admittitur partis forsan instantia, nisi haec excludatur iure, v. gr. quoad « actionem seu accusationem criminalem, quae uni promotori iustitiae reservatur » (can. 1934).

88. Iudicis officium circa probationes exponit *can. 1619* sub distinctione, quae innuitur in cap. 12 « de exceptionibus » (II, 25) X: « Exceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus scienter omittens; in qualibet parte litis opponere minime prohibetur, quod est in hac exceptione specialiter observandum... Excommunicatus autem publice, etsi huiusmodi exceptio non opponitur, nihilominus est officio iudicis repellendus ».

Disciplinae praecedenti ampliori congruit § *1. Si* a) *actor*, in iudicio contentioso *pro re sua* seu negotio favorabiles *probationes* in Titulo X cognoscendas, et circa facta versantes, *quas afferre posset* secundum causae naturam in stadio probatorio, *non afferat*, quolibet ex motivo id accidat, *vel* b) *reus exceptiones* contra actorem, iudices, administros, de obiecto causae sibi *competentes* ad ss. canonum normas *non opponat* in iudicio, *iudex* unicus vel in tribunali collegiali *ne suppleat*. Hoc enim ad partium advocatos pertinet, atque ut servetur principium in regula iuris 12 in 6° expressum: « In iudiciis non est acceptio personarum habenda ». Semel autem proposita probatio vel exceptio, iudicis est eamdem excipere ac explicationem curare ad normas canonum Tituli citati.

E contrario, quia iudicis officium in Ecclesiae finem est ordinatum, ait § *2. Si vero agatur* a) *vel de publico bono* promovendo aut tutando per sententiam, *vel* b) *de animarum salute*, quae ex iudicii exitu pendeat, *eas* tum probationes tum exceptiones, si

[1] Cap. 24 De accusationibus... etc. (V, 1) X et cap. 31 De simonia... etc. (V, 3) X.

omissas perspiciat, *supplere* per insinuationem, iussum, et poenas *potest* iure *et debet*.

89. De tempore intra quod iudicium perficiatur, generale principium enuntiat cap. 2 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « Iurgantium controversias celeri sententia terminare et aequitati convenit et rigori ». Pressius circumscribitur illud tempus pro causis in secunda instantia per Alex. III in cap. 5 « de appellationibus... » (II, 28) X his verbis: « Frat. tuae duximus respondendum quod, si, ante sententiam vel postea fuerit appellatum, huiusmodi appellantibus annus indulgetur aut ex necessaria et evidenti causa biennium, nisi forte iudex, a quo appellatum fuerit, secundum locorum distantiam, et personarum et negotii qualitatem recisius tempus fuerit moderatus ». Conc. vero Trid. cap. 20 sess. XXIV de Ref. decrevit: « Omnes causae ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium a die motae litis terminentur; alioquin post id spatium liberum sit partibus vel alteri illarum iudices superiores, alias tamen competentes adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, et quamprimum terminari curent... » Et hoc totum erat intelligendum de prima instantia.

Principium retinet *can. 1620*, et libertatem partibus concessam a Conc. Trid. auferens, eo quod « nec explicite nec implicite in Codice contineatur » (can. 6, 6°), disciplinae praecedenti « opportunam immutationem affert » (can. 6) sequenti modo, iudices adloquens. *Iudices* singulares *et tribunalia* collegialia *curent* a) *ut quamprimum* idest sollerti diligentia, resecatis superfluis dilationibus, eo quod additur: *salva iustitia*, seu iuris concessionibus ad hoc ordinatis, *causae omnes*, « etiamsi beneficiales sint » (Conc. Trid. loc. cit.), necnon criminales, aut bonum publicum animarumque salutem respicientes, *terminentur* per sententiam, b) *atque in tribunali primae instantiae* quolibet cognoscendo ex cap. I et III, tit. II, sive ordinario sive delegato, *ultra biennium* « a die motae illis » pro illo, a die incepti iudicii apud alterum, *non protrahantur* « causae, salva iustitia », prout manet declaratum, c) *in tribunali vero secundae instantiae* idipsum sub litt. a) viget, cognoscendo, si ordinarium sit, ex cap. II et III tit.[I] cit.[I], et si delegatum ex appellatione ab huius sententia, in quo igitur « non protrahantur causae » *ultra annum* a prosecuta appellatione atque computandum sicut et biennium ad normam can. 34, § 3, 3°.

90. Iusiurandum de officio rite et fideliter implendo, quod in praec. disciplina emittendum erat in causis matrimonialibus a defensore vinculi, in causis criminalibus clericorum quandoque iuxta Instructionem S. C. de Prop. Fide anni 1883, XII pro Statibus Foederatis [1], et ex Lege propria [2] S. R. Rotae et Signaturae Apostolicae ab Auditoribus, eorum adiutoribus et utriusque tribunalis administris, nunc extendit *can. 1621.*

§ *1. Excepto Episcopo.* « Abbate vel Praelato nullius » (can. 215 § 2), *qui* de facto *per se*, prout « ipse potest » iuxta can. 1572 § 4, *potestatem iudiciariam exerceat*, sive solus, sive quando « tribunali collegiali ipse praesit » (can. 1578), *omnes*, idem quoque « officialis cum potestate ordinaria iudicandi » (can. 1573, § 1) *qui tribunal*, etiam collegiale, quodcumque primae aut secundae instantiae ac ulterioris, vel delegatum *constituunt* uti iudices, *aut eidem* ex dictis unicuique *opem ferunt*, uti Auditores, administri, promotor iustitiae, defensor vinculi, *iusiurandum de officio* proprio *rite*, idest ad Codicis normas *et fideliter*, prout expostulat uniuscuiusque muneris natura etiam erga partes, *implendo* a) *coram Ordinario vel coram iudice a quo* nempe pro diversitate casuum *electi sunt*, idest designati auctoritative, b) *vel coram viro ecclesiastico*, sic dicto propter sacrum Ecclesiae ministerium cui addictus sit per primam saltem tonsuram, *ab alterutro delegato*, iuxta reg. 72 iuris in 6°: « Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum », *praestare debent*: de tempore autem subditur: *idque* a) *initio suscepti officii*, antequam nempe illud exerceant, *si sint stabiles* quoad illud munus, etsi ut vice-officialis in adiutorium et ad nutum revocabiles, *aut* b) *antequam causa* singularis *agatur* cum eorum interventu, *si pro peculiari aliqua causa sint constituti*, quin ad interessendum aliis destinentur. Sub littera a) sufficit semel pro unoquoque suscepto officio, sub littera b) quoties constituantur.

Cum de ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus iam id ipsum in can. 243, § 1, cautum sit implicite, et eo quod in § 1° nominatus fuit Episcopus, et sic innui viderentur tribunalia infra supremam Ecclesiae auctoritatem existentia cum relatione ad territorium, subditur ad complementum § 2. *Etiam* a) *iudex a Sede Apostolica delegatus*, vel unicus, vel inter plures in solidum aut collegialiter delegatos, *vel* b) *iudex ordinarius* sic dictus ob ordinariam potestatem *in religione*, Ordine aut Congregatione, sed *clericali exempta*, in hac solum. « Superiores habent iurisdictionem

[1] Collectanea S. C. de P. F. n. 1586. — [2] Can. 7, 36, § 3.

ecclesiasticam » (can. 501, § 1), *idem iusiurandum* « de officio rite et fideliter implendo » *praestare tenetur* vi canonis *cum primum tribunal* qua tale singulare vel collegiale *constituitur*, et propterea, *adstante ipsius tribunalis notario*, « qui oportet actuarii officio fungatur » (can. 1585, § 1) etiam in hoc, dum canon iubet: *qui de praestito iureiurando actum* fide publica iure dignum *redigat*.

91. De modo iuramentum emittendi coram tribunali cum distinctione loquuntur Decretales. Greg. IX sic rescribit Episcopo Belvacensi [1]: « Quod si per te ipsum, propositis tantum, sed non tactis evangeliis, sicut in dicendo testimonio, a te videtur huiusmodi iuramentum exhibendum ». E contra legitur de coniugatis:[2] « Si tactis sacrosanctis evangeliis uterque dicat quod numquam... etc. ». S. vero Congr. de Prop. Fide in sua Instructione [3] anni 1883 sic docet sub n. 12: « Constituto tribunali, haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit: Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia iuramentum exiget de veritate dicenda, et si ita res postulat, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de iuramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari ».

Can. 1622, sumpta occasione ex can. praec. modum lege determinat universaliter in iudiciis servandum, atque sic incipit § *1. Quotiescumque* vi cuiuslibet canonis, legis particularis, aut iudicis praecepti *iusiurandum*, « idest invocatio Nominis divini in testem veritatis » tum dicendae, tum dictorum, tum de munere fideliter implendo, tum iuramentum calumniae, et quodlibet aliud *praestatur* motivo iudiciali a) *sive a iudicibus aut tribunalis administris* ad normam can. 1621, 243, b) *a partibus* vi can. 1744, *testibus* « de quorum iureiurando » agitur in art. III, capitis II, tituli X, *peritis* ad normam can. 1797, *semper emitti debet* a) *praemissa* quoad verba *divini Nominis invocatione* expressa: v. gr. In Nomine Domini iuro, vel Per Deum, Per Jesum Christum, In fide SSmae Trinitatis, non autem alia formula exsecratoria, etc. *et* quoad factum b) *a sacerdotibus quidem*, etsi presbyteris, *tacto pectore* dum iurant, *a ceteris fidelibus* etiam diaconis, *tacto* interim *Evangeliorum libro*, vel statim post, ut sufficit, quamvis nihil verbotenus addant. Atque convenit ut hic modus referatur in actis.

[1] Cap. 7, « de iuramento calumniae » (II, 7) X. — [2] Cap. 5, « de frigidis et maleficiatis etc. » (IV, 15) X. — [3] Collectanea S. C. de P. F., n. 1587.

§ 2. *Judex* unicus aut tribunalis praeses a) *partem* sive actorem sive reum, *testem aut peritum ad iusiurandum recipiens* per se vel per delegatum, et in hoc ultimo casu hic *eum*, qui iurare debet, *regulariter*, quod verbum innuit eximi a canone casus deficientis necessitatis vel quando non deceat ratione personarum, *commonefaciat* convenientibus verbis, forsan indicantibus, a) *tum de sanctitate actus et* consequenter *de gravissimo delicto* proprie dicto propter can. 2323, qui a fortiori comprehendit hoc periurium, *quod admittunt iurisiurandi* assertorii vel promissorii *violatores*, b) tum *etiam de poenis, quibus obnoxii fiunt qui falsum in iudicio iurati affirmant.* Videlicet: praeter infligendas « prudenti Ordinarii arbitrio », « ut suspecti repelluntur a testimonio ferendo et ne ad peritorum quidem officium assumi possunt: 1° periurii... post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ». (can. 1757, § 2, 1° 1795, § 2).

§ 3. *Iusiurandum* quodlibet ex praefatis in § 2°, sed praecipue « quod aestimatorium dicitur » (can. 1832), et « decisorium » (can. 1834, § 2) propter horum naturam peculiarem, quae plures requirit cautelas, a) *secundum formulam a iudice probatam* de ipsius sufficientia iuxta ss. canones *praestari debet* b) *coram eodem*, qui probavit, *iudice aut eius delegato* saltem ad hoc, c) *adstante utraque*, si illud defertur testi aut perito, *aut*, si defertur actori vel reo, *alterutra parte* non iurante, sed pro libitu seu *quae interesse iurisiurandi praestationi velit.* Ad quod ius exercendum illam nuntiare oportet locum, diem et horam.

92. Obligatio secreti servandi. In Lege propria S. R. Rotae et Signaturae Apostolicae invenitur can. 8 huius tenoris: « In re criminali, in causis spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus obvenire potest, vel ab ipso tribunali secretum impositum fuit, Auditores, adiutores Auditorum et tribunalis administri tenentur ad secretum officii », et in can. 36 § 3 dicitur de his, « quae ad obligationem secreti pertinent, servantur quoque, cum proportione, pro Apostolicae Signaturae administris ».

His congruit *can. 1623.* Equidem cum extensione loquitur § *1. In iudicio* a) *criminali* (can. 1552, § 2, 2°) *semper*, b) *in contentioso autem* (can. 1552, § 2. 1°) sub conditione *si ex revelatione alicuius actus processualis* de eius contento, vel existentia, *praeiudicium* taxative *partibus* etiam singulis *obvenire* in causa vel extra eam *possit*, a) *iudices et* b) *tribunalis adiutores* de facto recensiti sub art. II, III, et IV, capitis I, tit.[1] II, *tenentur* iure ac

in conscientia *ad secretum officii*, seu ex iustitia ob quasi contractum.

§ 2. *Tenentur* ex praefatis interessentes *etiam semper* in quolibet iudicio *ad inviolabile secretum*, quale est officii secretum, *servandum* a) *de discussione*, quoad eiusdem qualitatem ac personas determinatas, *quae in tribunali collegiali* ad normam can. 1871 *ante ferendam sententiam habetur* a iudicibus, b) *tum etiam de variis* pro et contra *suffragiis* forsan mutatis *et opinionibus ibidem prolatis*, quo nempe sensu et a quibus.

Postquam ius ita secreto sepivit causas, concedit ampliationem illius fieri ab homine, dum ait § 3. *Imo quoties* a) *causae vel* b) *probationum* quae afferuntur, *natura talis sit ut ex actorum* in ea *vel probationum evulgatione*, seu ultra limites interessentium causae, a) *aliorum* nullam partem habentium in ea *periclitetur*, *vel* b) *praebeatur ansa dissidiis* inter quaslibet personas, c) *aut scandalum* proprie dictum, d) *aliudve id genus* sub aliis litteris *incommodum*, videlicet grave *oriatur* secundum prudens iudicium, *iudex* unicus, vel tribunalis praeses *poterit* cum iure, a) *testes*, b) *peritos*, c) *partes*, d) *earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere* per praeceptum *ad secretum* circa illas causas et probationes *servandum*. Quo praecepto his omnibus imposito consequitur, ut vi officii iudices et tribunalis auditores ad illud secretum teneantur. Demum, quia (reg. iuris 35 in 6°) « Plus semper in se continet quod est minus », quamvis paragraphus enumeret copulative illos omnes « iudex poterit » id ipsum erga unum vel alterum, quando sic sufficiet ad illud « incommodum » vitandum.

93. Ut gratis administretur iustitia in Ecclesia, haec non destitit ab antiquo leges ferre. Imo damnatam invenimus [1] *Prop.* « 26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio ». Verumtamen, quia clamat Apostolus [2]: « Quis militat suis stipendiis unquam? » et in Libro Ecclesiastici admonemur: (XX, 31) « Xenia et dona excaecant oculos iudicum », iam in cap. 11 « de rescriptis » in 6° Bonifacius VIII ita haec prohibuit, ut illa salva manerent.

En textus: « § 4. Insuper ut gratis et cum omni puritate iudicium coram ipso (delegato) procedat, nullum munus, vel quidquid aliud, nisi forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consummi possit diebus, vel

[1] Congr. S. Officii. 24 Sept. 1665, apud Denzinger, n. 1126. — [2] I ad Corinth. IX, 7.

nisi, cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque praesumat, provisurus attente, quod in ipsis expensis modum nequaquam excedat, nec plus ab una parte quam ab alia exigat, quum commune gerat negotium utriusque; quodque ubi causae sibi commissae utilitas vel necessitas non exegerit, occasionem propter habendas expensas proficiscendi extra domicilium non assumat; sed et, ubi notabiliter fuerint pauperes litigantes, etiam pro expensis nil prorsus exigat ab eisdem. §. 5. Assessorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod conscientiae relinquatur eiusdem, sibi nequaquam adiungat; alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat: ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario, provide moderando ab eo, faciat a partibus communiter provideri. § 3. Notarium vero vel notarios, in causa sibi commissa scribentes, qui ut plurimum in exigendo salario metas rationis excedunt, ut ad ipsius spectat officium, prudenter refrenet, nec cum ipsis aut cum assessore praefato lucrum participet ullo modo. § 7. Si quid autem contra constitutionem praesentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem ». Et Innoc. IV in cap. 1 « de sententia et re iudicata » (II, 14) in 6° sic arguit: « Quum aeterni tribunal iudicis illum reum non habeat, quem iniuste iudex condemnat, testante Propheta: « nec damnabit eum, quum iudicabitur illi », caveant ecclesiastici iudices et prudenter attendant, ut in causarum processibus... praemium aut exspectatio praemii institiam non evertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant aequo libramine... » et inferius addit sanctionem, ita incipiens: « Si quis autem iudex ecclesiasticus, ordinarius aut etiam delegatus... » Demum in cap. 10 « de vita et honestate clericorum » (II, 1) X invenimus Innoc. III sic adloquentem hos, qui « ex delegatione nostra causas suscipitis pertractandas... Nos attendentes, quod ad hoc vobis et aliis clericis sint ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis ».

Ex relatis textibus diversitas eruitur inter xenia seu munera, expensas et salaria seu reditus aut stipendia. Haec adhuc manent in beneficiis aut canones alii de his curant. « De expensis iudicialibus » inveniemus praescripta sub. tit. XVI. Hinc de muneribus solummodo statuit *can. 1624. Iudex* « ecclesiasticus, ordinarius aut etiam delegatus », imo qui « ex delegatione Sedis

Apostolicae causam suscipit pertractandam », nec refert an singulariter vel collegialiter cum aliis procedat, *et omnes* a maiori usque ad minimum *tribunalis* cuiuslibet *administri*, non solum « vigorem iudiciarium gratis studeant litigantibus impertiri, praeter expensas », ut dicitur in cit. ultimo Decretali, et quod cum « sit iuris divini, vim retinet » (can. 6, 6°), sed *occasione agendi iudicii*, sive contentiosi, sive criminalis, ante vel post ipsum vel inter processum, non iam salarium, stipendium, taxas, sed *munera quaevis*, seu dona, etsi « esculenta vel poculenta » scilicet: minora, et ex mera liberalitate oblata *acceptare prohibentur*. Clausula irritans deest, atque parvitas materiae non excluditur in transgressione.

94. Sanctiones praecedentium canonum. — Lex propria cum Decretalibus vigentem disciplinam praeformavit. Sic legimus in illa (can. 9, § 1): « Auditores qui secretum violaverint, aut ex culpabili negligentia vel dolo grave litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis: et ad instantiam partis lesae, vel etiam ex officio, Signaturae Apostolicae iudicio a SS.mo confirmato, puniri possunt. - § 2. Tribunalis administri et adiutores Auditorum, qui similia egerint, pariter tenentur de damnis; et ad instantiam partis lesae, aut etiam ex officio, rotalis Collegii iudicio, pro modo damni et culpae puniri possunt ».

Can 1625. § 1. Judices, in quolibet tribunali, etiam collegiali vel appellationis, delegati aut ordinarii, ipse quoque Episcopus, I° *qui cum certe*, ita ut si dubium existat non offendant in hunc canonem, *et evidenter*, seu absente probabilitate subiective prudenti, *competentes sunt* in singulari causa, non solum reiiciunt libellum litis introductorium ob eius vitia, sed *ius reddere*, seu illud ministerium exercere *recusant*, vel modo positivo reiiciendo libellum, aut promotoris iustitiae legitimam accusationem, vel modo negativo, dum non parent superiori tribunali, si ab eo « iudex definiendam causam adigatur », (can. 1710): quemadmodum explicatur in cap. 1 « de haereticis » (V. 3) in Clem. « Quodsi odii, gratiae vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu contra iustitiam et conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum super huiusmodi pravitates: » II° *vel qui temere* idest, sine iuridico fundamento *se competentes* in illa causa *declarant* saltem facto procedendi, sicut Bonifacius VIII reprobabat, dicens: « Ut autem conservatores limites sibi traditae potestatis, quos frequenter excedunt, metu poenae diligenter observent »: III° *vel qui ex culpabili* graviter *negligentia* observandi, quae canones praescri-

bunt, *aut dolo*, nempe: « ex deliberata voluntate violandi legem » (can. 2200), « a quorum alterutro imputabilitas delicti pendet » (can. 2199), a) *actum nullum cum aliorum*, videlicet: partium vel tertii *detrimento* inde obveniente, v. gr. « ab actuario non exaratum vel saltem subscriptum » (can. 1585, § 1), de quo in Conc. Generali [1] cavebatur: « Judex autem, qui constitutionem ipsam neglexerit observare, si propter eius negligentiam quid difficultatis emerserit, per superiorem iudicem animadversione debita castigetur », b) *vel iniustum* seu contra ss. canones de iudiciis *actum ponunt*, c) *aut aliud* seu aliter *litigantibus* actori vel reo *damnum* positivum *inferunt;* in singulis casibus *tenentur* in conscientia iuxta culpam *de damnis* seu resarcire damna inde consecuta, imo et coram Ecclesia ut damnificatores censentur, *et* b) *ab Ordinario loci* ipse quoque Officialis delinquens uno ex illis modis, *vel*, *si de Episcopo*, « Abbate vel Praelato nullius » (can. 215, § 2) taliter delinquente *agatur*, *a Sede Apostolica* ad normam can. 7, ut puto a S. Congr. Consistoriali, vel a S. Congr. de Prop. Fide, pro diversitate territorii, *ad instantiam partis* damnum sustinentis *aut etiam ex officio* Superioris rem cognoscentis aliunde, *congruis* ad effectum *poenis pro gravitate culpae* a iudice admissae *puniri possunt*, poena ergo est « indeterminata et facultativis verbis » expressa (can. 2217, 1°), additurque: *non exclusa* a potestate illa *officii* iudicis *privatione*.

Aliud delictum persequitur « praeceptivis verbis » cum determinatione limitum poenae § 2. *Iudices* eodem sensu ac in paragrapho praecedenti, *qui* a) *secreti legem* in can. 1623 §§ 1 et 2 contentam *violare*, b) *vel acta secreta*, ea nimirum de quibus in § 3° cit.[1] can.[s] *cum aliis*, qui de secreto non participant, *quoquo modo*, idest: verbo, signis, scriptura, etc. *communicare praesumpserint*, quod verbum « plenam cognitionem ac deliberationem exigit » (can. 2229, § 2), *puniantur* « ab Ordinario loci, vel si de Episcopo agatur, a Sede Apostolica » alterutro modo supra expresso, a) *mulcta pecuniaria*, ut minimum *aliisque poenis* illae additis, *privatione officii non exclusa*, veluti superior poena infligenda secundum ius pro qualibet violatione commune, *salvis* tamen *peculiaribus statutis*, quae forsan determinent pro casibus poenam, vel superaddant, sicut comprehenduntur haec in clausula: *quibus graviores poenae praescribantur* infligendae vel latae sententiae.

[1] **Cap. 11 « De probationibus » (II, 19)X.**

§ 3. *Eisdem* sub §§ 1° et 2° *sanctionibus subsunt* ob delictum *tribunalis* primae vel secundae instantiae, etc. ut in canonis initio declaratum fuit, *officiales*, prout sunt actuarius, promotor iustitiae, defensor vinculi, *et adiutores* v. gr. adsessores, cursores, apparitores, *si officio suo* uniuscuiusque, *ut supra*, idest: ut in § 1° « qui ex culpabili negligentia aut dolo actum nullum cum aliorum detrimento vel iniustum ponunt aut aliud litigantibus damnum inferunt », vel ut in § 2°: « qui secreti legem violare vel acta secreta cum aliis quoquo modo communicare praesumpserint », *defuerint*, *quos omnes* uti singulos non solum Ordinarius loci, sed *etiam iudex* eiusdem tribunalis v. gr. officialis *punire potest* vi huius §[1].

95. De cautione praestanda pro sententiae futurae observantia. — Visum est legislatori ad Ecclesiam extendere, quod a Pio PP. X fuit in Regulis servandis apud S. R. Rotae [1] tribunal sub § 31 statutum his verbis: « Ponens, post expletam dubiorum concordationem, determinabit quae pecuniae summa et a quo solvenda sit,... etiam *ad cautionem* pro decretorum, aut rei iudicatae executione, si Ponens id opportunum duxerit ».

Similiter statuit *can. 1626. Cum iudex* quilibet unicus, vel tribunalis praeses *praevidet* cum rationabili fundamento *actorem* solummodo *probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam* « qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit » (can. 1868, § 1), *si forte haec*, quamvis non praevisum, *ipsi* actori *sit contraria*, *et ideirco conventi iuribus* inde confirmatis *non satis* prout oportet *consultum iri*, *potest* « iudex », a) *ad eiusdem conventi instantiam*, supposita iudicis praefata praevidentia, b) *vel etiam ex officio*, seu non requisitus, *actorem adigere* praecipiens auctoritative *ad congruam* pro re *cautionem praestandam* antequam ultra procedatur, sed solum *pro ecclesiasticae sententiae*, qua iudicium finietur, *observantia*, in casu praefato forsan eveniente.

CAPUT II.

De ordine cognitionum.

Can. 1627. - Iudices et tribunalia tenentur causas ad se delatas eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae, nisi aliqua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto a iudice seu a tribunali statuendum est.

Can 1628. - § 1. Exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudi-

[1] 29 Iun. 1908.

cii, proponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint aut pars iureiurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse.

§ 2. Exceptio tamen de incompetentia iudicis absoluta a partibus opponi potest in quovis statu et gradu causae.

§ 3. Pariter exceptio excommunicationis opponi potest in quolibet iudicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam; imo si agatur de excommunicatis vitandis, aut toleratis contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata fuerit, ii ex officio semper excludi debent.

CAN. 1629. - § 1. Exceptiones peremptoriae, quae dicuntur *litis finitae*, veluti exceptio rei iudicatae, transactionis, etc., proponi et cognosci debent ante contestationem litis; qui serius eas opposuerit, non est reiiciendus, sed condemnetur in expensis, nisi probet se oppositionem malitiose non distulisse.

§ 2. Aliae exceptiones peremptoriae proponi debent post contestatam litem, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes.

CAN. 1630 - § 1. Actiones reconventionales satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt.

§ 2. Cognoscantur autem simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut iudex opportunius existimaverit.

CAN. 1631. Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuerit, et aliae huiusmodi videndae regulariter sunt ante litis contestationem.

CAN. 1632. Quoties, proposita principali controversia, quaestio praeiudicialis suboriatur, id est eiusmodi ex cuius solutione pendeat solutio quaestionis principalis, illa ante omnia a iudice cognoscenda est.

CAN. 1633. - § 1. Si ex principali controversia quaestiones incidentes nascantur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem.

§ 2. Quod si nullo nexu logico inter se cohaereant, quae prius ab alterutra parte propositae sunt, illae antea definiantur.

§ 3. Si de spolio incidat quaestio, haec ante omnia est dirimenda.

96. Inscriptio Capitis ordoque canonum. — Cum sententia iudicialis praerequirat disceptationem et ex parte iudicis cognitionem eorum omnium, quae apud tribunal acta sint et probata, eo quod « moralem certitudinem circa rem sententia definiendam iudex haurire debet ex actis et probatis » (can. 1869), consequitur ordinem esse perquam necessarium qui parit claritatem. Hic ordo praeformatus est in Codice generaliter pro unaquaque ex causis in forum deductis, sed multas cognoscit idem iudex a diversis actoribus propositas vel fortassis emergentes inter eosdem litigantes. De hoc ergo sollicitus fuit legislator, dum *Caput* II inscribitur *De ordine* harum omnium *cognitionum*.

Et primo can. 1627 considerat diversas causas, agitatas per distinctos actores vel ab eodem contra distinctos reos. Postea inter eosdem litigantes possunt proponi exceptiones, tum quae differunt magis vel minus cognitionem causae, tum quae in perpetuum eludunt eam, utrasque successive considerant can. 1628,

1629. Initio etiam iudicii accidere queunt sive alia actio ex parte rei, sive aliae quaestiones, quas ordinandas cum principali causa can. 1630, 1631 student. Demum quaestiones praeiudiciales perpendit can. 1632 atque ultimus can. 1633 alias quae incidentes proprie audiunt.

97. De ordine diversarum causarum principalium statuit *can. 1627*, servata regula iuris 54 in 6°: « Qui prior est tempore, potior est iure », cui normae fallentiam in hac re statim assignat. *Judices* singulares *et* collegialia *tribunalia* quacumque procedant iurisdictione *tenentur causas ad se* singulos *delatas* ab eodem vel distinctis actoribus, tum per libelli oblationem, tum per usum delegationis receptae, eo prioritatis mutuo *ordine quo fuerunt* alterutro modo *propositae*, *nisi aliqua earum* serius proposita *celerem prae ceteris* aliquibus vel omnibus, quae prius fuerunt receptae, *expeditionem* quoad processum vel ratione sententiae *exigat*, *quod quidem* lege indeterminatum *peculiari decreto* proprie dicto (can. 1868 § 2) *a iudice seu a tribunali* supra declaratis *statuendum est*. Hoc praescriptum non impedit quominus tempore dilationum vel intermedio diversorum actuum eiusdem causae, in altera posteriori procedatur.

98. De exceptionibus iudicii dilatoriis agit *can. 1628*, primo in genere, postea de speciali incompetentiae aut excommunationis, cui actor subdatur aliusve qui iudicio legitime interesset.

In Decretalibus capita plura ad hanc rem pertinent. Equidem in cap. 62 « de appellationibus... etc. » (II, 28) insertum est axioma: « quod ante litis contestationem sunt exceptiones dilatoriae proponendae », Innoc. vero III sic arguit in eius Decretali Conventui S. Leodii [1]: « Quum constiterit Nobis, primam commissionem non fuisse per ultimam revocatam, tum quia causae suspicionis in iure propositae frivolae videbantur, quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent, quibus coram delegatis eisdem subeundo iudicium renunciasse videntur ». Idem Pontifex alibi plenius canonicam tradit doctrinam rescribens [2]: « Quoniam per dilatorias exceptiones malitiose nonnunquam causarum terminatio prorogatur, inquisitioni tuae respondendo decernimus, ut infra certum tempus a iudice assignandum omnes dilatoriae proponantur ita, quod si partes extunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint protestatae, nullatenus audiantur, nisi forte aliqua de novo sibi competens

[1] Cap. 20 « de sententia et re iudicata » (II, 27). — [2] Cap. Pastoralis, 4 « de exceptionibus » (II, 25).

exorta fuerit, vel is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat iuramento, se postmodum ad illius notitiam pervenisse.

« Disciplinam ergo vigentem huc usque retinet » (Can. 6) *can. 1628*. Sic enim redactus est § *1. Exceptiones*, idest: oppositiones defensivae, quas reus praesertim affert, *dilatoriae*, nempe: ut hic et nunc iudicium non subeat, sed ad tempus remittat, inter quas *eae praesertim quae respiciunt* a) *personas* scilicet: iudicis qua incompetentis, huius et officialium, quatenus recusentur uti suspecti, actoris, eo quod non habeat personam standi in iudicio, etc. *et* b) *modum iudicii*, quia v. gr. nondum advenit tempus urgendi obligationem iuridicam, *proponendae* ex parte excipientis *et cognoscendae sunt* cum decisione a iudice *ante contestationem litis*, seu quando reus comparet vi primae citationis, duplici admissa in iure exceptione: *nisi contestata iam lite*, processu igitur perdurante in prima vel secunda instantia a) *primum emerserint*, v. gr. ex cap. 15 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X, quia iste dedit motivum recusationis « ratione intimae vitae consuetudinis » cum altera parte, *aut* b) *pars* excipiens *iureiurando affirmet eas*, nempe: quoad excipiendi causas, *tunc tantum* quando eas proponit, antea existentes *sibi innotuisse*, de quo probabiles rationes afferre debebit.

Et quia « sententia vitio insanabilis nullitatis laborat » in sequenti casu (can. 1892, 1°), ac proinde inutiliter fieret processus judicialis, decernit § 2. *Exceptio* tamen dilatoria iudicii in se, eo quod illa sit *de incompetentia iudicis absoluta* ad normam can. 1558, et idem valet « de non legitimo iudicum numero in tribunali collegiali contra praescriptum can. 1576, § 1 » (cit. can. et num.), *a partibus*, tam actore quam reo, nam utriusque interest, *opponi potest* iudici vel tribunali, *in quovis statu*, nempe instructivo, definitivo, executionis sententiae, *et gradu causae*, seu in alia subsequenti instantia congruenter canoni 1893.

Greg. IX decrevit [1]: « Exceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus scienter omittens; in qualibet parte litis opponere minime prohibetur, quod est in hac exceptione specialiter observandum, ne quisquam in periculum animae suae excommunicato communicare cogatur. (Nunc dicendum potius ne in libertatis christianae detrimentum ad id cogatur).... Excommunicatus autem publice, etsi huiusmodi exceptio non opponitur, nihilominus est officio iudicis repellendus ».

[1] Cap. 12 « de exceptionibus » (II, 25).

« Huic disciplinae opportunas immutationes (unitati Codicis prospiciens) affert » § 3. *Pariter*, idest: tamquam exceptio a norma §[i] 1[1], *exceptio* dilatoria ratione *excommunicationis* iam incursae et usque ad huius absolutionem *opponi potest* ad urgendum ipsius censurae effectum ad normam can. 2263, ne quisquam « partes agat iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae,... actuarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis » (can. 2256, 2°) imo « nequit excommunicatus in eisdem agere, nisi ad normam can. 1654 ». propterea que ille repelli potest *in quolibet* iudicii tum « contentiosi, tum criminalis » (can. 1552, § 2), *statu* ab introductione causae, *et gradu* etiam appellationis, *dummodo ante sententiam definitivam*, seu eiusdem vim habentem, eo quod « dirimat causam principalem » (can. 1868, § 1): *imo si agatur de excommunicatis* a) *vitandis* tum ab homine ad normam can. 2258 § 2, tum a iure can.[s] 2343, § 1, n. 1, *aut* b) *toleratis contra quos sententia* proprie dicta *condemnatoria vel declaratoria lata fuerit* a competente iudice, *ii* singuli sub a) et b) contenti *ex officio* iudicis *semper*, seu absque temporis limitatione usque ad absolutionem *excludi debent*, ut supra, sed eisdem « permittitur ut per se ipsi agant atque per procuratorem » in certis causis per can. 1654, § 1.

99. De exceptionibus peremptoriis in ordine ad litis contestationem sunt in Decretalium Sexto duo capita, quae distinctionem earum innuunt in subsequentibus duobus paragraphis optime expressam cum diverso praescripto. Innoc. IX in Conc. Lugdun. [1] statuit: « Exceptionis peremptoriae seu defensionis cuiuslibet principalis cognitionem negotii contingentis, ante litem contestatam obiectus: Nisi de re iudicata, transacta, seu finita excipiat litigator, litis contestationem non impediat, nec retardet: Licet dicat obiector, quod rescriptum non fuisset obtentum, si quae sunt impetranti opposita, fuissent exposita deleganti ». Atque Bonif. VIII [2] ait: « Si oblato ab actore libello, ex parte rei exceptio peremptoria proponatur: nequaquam per hoc litis contestatio intelligitur esse facta. Immo ea non obstante, (nisi sit de illis exceptionibus, quae litis contestationem impediunt) fieri oportebit eamdem ».

His congruit *can. 1629, § 1. Exceptiones* idest: defensiones a reo propositae coram iudice *peremptoriae*, quae iuxta Glossam in cit. cap. 1 « intentionem agentis perimunt », id est quae extantes ac probatae vim iuridicam habent excludendi intenta-

[1] Cap. 1 « de litis contestatione » (II, 3) in 6°. — [2] Cap. 2 eiusdem tituli in 6°.

tam actionem, dummodo sint illae *quae* ab Auctoribus *dicuntur* verbo nunc a Codice admisso *litis finitae*, eo quod si illa mota fuit legitimum obtinuit finem, vel in praevisione futurae litis, hanc iure praeclusit, *veluti* est exemplum prioris *exceptio rei* alias litigiosae sed *iudicatae* cum effectu, atque posterioris exemplum exceptio *transactionis* inter partes de re quae in iudicium nunc affertur, *etc.*, quia sunt aliae huiusmodi, v. gr. ex Glossa cit. « pactum enim de non petendo sive iuramentum, ipso iure tollit naturalem obligationem sicut numeratio: sed non civilem ipso iure, sed ope exceptionis illam elidit ». Declaratae « exceptiones » *proponi* a reo *et cognosci* a iudice *debent* ex canonis praescripto quoad ordinem cognitionum *ante contestationem litis*, quia praedicta exceptio vim habet excludendi iudicium, quod per talem contestationem statum consequitur. Vis illa est indita praefatae exceptioni secundum eius naturam, et ideo prosequitur legislator: *qui serius*, id est: lite iam contestata, *eas* « exceptiones peremptorias litis finitae » *opposuerit* alteri parti, *non est reiiciendus* propter canonis transgressionem, *sed condemnetur in expensis* iuxta id, quod Innoc. III aeque constituit [1]: « Finem litibus cupientes imponi, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis » et ne tempus vane teratur, *nisi* accidat, quod ratio suadet, excipiens sic *probet* ad vitandam hanc condemnationem *se oppositionem* actori per illam exceptionem *malitiose* seu cum cognitione illius vis ac obligationis canone impositae *non distulisse* in hoc tempus.

§ 2. *Aliae*, « quae (non) dicuntur litis finitae » *exceptiones* ut supra *peremptoriae* tantum, *proponi* contra actorem *debent* a reo *post contestatam litem*, quam non impediunt nec retardant iuxta Lugdunense Concilium, *et suo tempore* definiendo infra in Titulo XI *tractandae sunt* idest cognoscendae ac definiendae a iudice *secundum regulas* seu canones illius tituli *circa quaestiones incidentes* ibidem has declarandas sicut et illas.

100. De actionibus reconventionalibus haec continet cap. 3 « de rescriptis » (II, 3) in 6°: « Dispendia litium aequitatis compendio volentes, qua possumus industria coarctare, statutum fel. rec. Greg. PP. IX praedec. nostri super hoc editum ampliantes: Decernimus sic... Reus quoque si eodem durante iudicio, actorem sibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficio vel conventionis (si contra eum litteras impetrare maluerit) de iure suo

[1] Cap. 5 « de dolo et contumacia » (II, 14).

debet apud eosdem iudices experiri, nisi eos ut suspectos poterit recusare ».

Talem aequitatem sequens *can. 1630*, idem ius praeservavit. Videlicet. § *1. Actiones*, quibus iura subiectiva muniuntur, ad haec apud iudicem persequenda, *reconventionales*, sic dictae quia per ipsas reus vicissim fit actor contra alteram partem, hanc conveniens, *satius* id est: conformius praexistenti iuri et convenientius *statim post litis contestationem*, nam in Clem. [1] « Saepe » legimus: « Verum quia iuxta petitionis formam pronunciatio sequi debet, pro parte agentis, et etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio (quae cum contestatione statuitur) petitio facienda, sive in scriptis, sive verbo, actis tamen continuo (ut supra quibus positiones et articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, et ut fiat definitio clarior) inserenda »: atque prosequitur canon: *utiliter*, quia eis actor respondere debet, per iudicem sunt admittendae ac in iudicio disceptandae ac definiendae erunt, *quovis iudicii* per litis contestationem incepti *momento* seu stadio, *ante sententiam tamen* de conventione ac reconventione simul dandam, *proponi possunt* valide cum iuris effectu ac licite.

Reconventione a reo, ut praescriptum est, proposita, sequitur § 2 servanda. *Cognoscantur* autem a iudice per probationes, etc. « actiones reconventionales » supra declaratae singulae *simul cum conventionali actione* seu primo per actorem exercita, *hoc est*, non solum apud eumdem iudicem, servatis canonibus « de foro competenti », *sed pari gradu cum ea*, etsi, quoad praecedentiam cognitionis seu discussionis quoad articulos seu positiones, vigeat reg. iuris 54 in 6°: « Qui prior est tempore, potior est iure ». Sic enim legitur in cap. 1 « de mutuis petitionibus » (II, 4): « Mandamus, quatenus actione plebani et clericorum proposita, et responsione facta: monitione praemissa, compellatis eosdem, memoratis abbati et fratribus, incontinenti coram vobis super suis quaestionibus respondere: et vicissim postmodum rationes partium audientes, concordia vel iudicio utriusque negotium terminetis ».

Illa regula sicut et illud praescriptum patitur exceptiones sequentes: *nisi eas separatim*, vel in diversa iudiciorum sede, vel, quod hic respicitur, alteram prius *cognoscere*, usque ad conclusionem ea in causa, a) *necessarium sit* ex actionum natura, vel alterius canonis praescripto, v. gr. quia « solutio unius viam

[1] Cap. 1 « de verborum significatione » (V, 11) in Clem.

sternit ad alterius solutionem » (can. 1623, § 1), vel « de spolio incidat quaestio » (ib. § 3), *aut* b) *iudex opportunius* ad expeditionem utriusque actionis *existimaverit* aliter faciendum, v. gr. sicut dicitur in cap. 2 « de ordine cognitionum » (II, 10): « Cum ea in modum actionis proposita, intelligantur mutuae petitiones sese tamquam diversae minime contingentes: ac per hoc, iuxta regulam iuris (supra cit.), qua dicitur: Qui prior appellat, prior agat: quae prius esset proposita, prius foret tractanda: quamquam in idem iudicium ambae deductae, vicissimque tractatae simul essent eadem sententia terminandae ».

101. De aliis quaestionibus accidentalibus, quo tempore sint cognoscendae, statuit *can. 1631.* — *Quaestiones*, quia, vel non ad aliam partem referuntur, sed ad iudicem diriguntur, vel sunt petitiones ad hunc directae, quamvis in praeiudicium aliquod alterius partis; in utraque autem hypothesi aliquam disceptationem probationum illae requirunt, quae sic determinantur a) *de cautione pro expensis iudicialibus* litis introductae, quam « potest iudex pro suo prudenti arbitrio exigere » ad normam 1909, § 2, *aut* b) *de concessione gratuiti patrocinii*, ad quod « pauperes, vel in totum... ius habent, vel ex parte tantum, ad expensarum deminutionem » ex can. 1914, *quod* expressum sub littera b) *statim ab initio* simul cum oblatione libelli ad introducendam causam, vel post rei citationem, *postulatum* proprie fuerit ad normam can. 1915, § 1, *et* c) *aliae huiusmodi*, quae videlicet accidunt extrinsece quibusdam causis, et urgent aliquo ex motivo solutionem, v. gr. quia ostenditur « sibi damnum imminere », nisi « res ipsa (litigiosa) custodienda tradatur vel iuris exercitium alicui inhibeatur » can. 1672, *videndae*, id est: consideratis probationibus decernendae a iudice *regulariter sunt*, (et sic innuitur exceptiones admitti), *ante litis contestationem*, quia, ut diximus, causam ipsam non tangunt.

102. De quaestionibus praeiudicialibus notionem dat et praescriptum inscriptioni capitis congruum *can. 1632. Quoties*, ergo sine ulla exceptione, *proposita* apud iudicem *principali controversia*, quae nempe primo vertitur inter partes, unde in iudicium ab actore fuit deducta, *quaestio* aliquatenus diversa inter partes ac *praeiudicialis*, quod, cum dupliciter intelligi possit, nempe: tum praevie iudicanda et in hoc conveniunt multae in praecedentibus canonibus ordinatae, tum altero sensu, hic statim in can. exponetur, *suboriatur*, sive a reo excepta, sive a iudice deprehensa, ac sensus « praeiudicialis » sequitur: *id est eiusmodi ex cuius solutione* affirmativa vel negativa pro casibus *pendeat* recta *solutio quaestionis principalis* supra declaratae, toties, prout ratio dictat,

illa « quaestio praeiudicialis » *ante omnia*, videlicet: antequam probationes de principali iudex idem vel alius exquirat vel admittat, imo et ante huius litis contestationem *a iudice*, coram quo utraque proposita fuit, *cognoscenda est* cum effectu definitionis.

Exempla ex iure Decretalium sint duo. Clemens III [1] sic respondet Alatrino Episcopo: « Intelleximus quod cum quaedam mulier, peteret quemdam in virum, testes ad suae intentionis assertionem induxit: per quos pars viri futurum sibi praeiudicium metuens exceptionem consanguinitatis obiecit, ex qua intendit petitionem mulieris elidi, et infra. Inquisitioni tuae taliter duximus respondendum, quod cum exceptione probata, quaestio principalis perimatur, ante est cognoscendum de ipsa, quam ad diffinitionis articulum procedatur: quo facto, virum ab impetitione mulieris (prout exposcit ratio iuris) absolvas ». Pariter Honorius III [2] Ludovico regi francorum ita scripsit: « Tuam non credimus latere prudentiam, causam natalium reginae Cypri ad examen nostrum (utpote quae ad forum ecclesiasticum pertinet) esse delatam: et infra. Quia vero antequam natalium causa terminata esset, dependentem ex illa successionis causam incipere, nihil aliud esset, quam diversis processibus intricare negotium, et confusione quadam iudicii ordinem perturbare: Mandamus quatenus si forte ab ipsa regina fueris super hoc requisitus, donec iam ipsa causa natalium Apostolico iudicio finem acceperit, patienter expectes ».

103. De quaestionibus incidentibus agit ultimus istius capitis *can. 1633*. Hae quaestiones sic definiuntur in can. 1837. « Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem ». Haec ultima clausula exponitur iuxta earum diversitatem in praesenti canone. Atque in genere quidem hoc praestat § *1. Si ex principali controversia*, sic appellata propter actoris intentionem deferentis eam ad iudicem et hinc sequuta citatione, *quaestiones* inter easdem partes « ad (illam) causam pertinentes », utpote *incidentes nascantur* « propositae ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint », ex canonis praescripto *cognoscantur prius* quam « principali », imo et definiantur *eae* tantum ex incidentibus, *quarum solutio* iuxta

[1] Cap. 1 « de ordine cognitionum » (II, 10). — [2] Cap. 3 « de ordine cognitionum » (II, 10).

prudens iudicis criterium *viam sternat ad aliarum* vel principalis vel forsitan quoque incidentium *solutionem* rectam consequendam.

Ita in iure Decretalium Honorius III adloquitur de quarumdam litterarum suarum [1] exequutione. « Cum autem idem electus quibusdam ex his qui contra eum agebant, conspirationem et quibusdam excommunicationem, in modum exceptionis obiiceret, se id offerens probaturum, praefati iudices interlocuti fuerunt, quod de his et principali negotio simul inquirerent veritatem: nolentes, quasi non iudices, sed inquisitores existerent, super dictis exceptionibus ipsius electi probationes admittere: sed (notetur) pervertendo iuris ordinem, de praemissis exceptionibus et principali negotio pariter per se inquirere intendentes, et procedentes etiam ad receptionem testium, lite nondum super eodem negotio contestata: quare praenominatus (antea in dicto capite) electus nostram audientiam appellavit ». Et hoc iuste factum esse Pontifex supponit in Decretalis prosequutione.

Attamen exceptionem apparentem regulae dat § 2. *Quod si nullo nexu logico* iuxta prudentem iudicis intelligentiam *inter se* causa principalis et quaestiones incidentes *cohaereant*, unde in casu per §^um^ praec. non contemplato, *quae prius* tempore *ab alterutra parte*, sub quo nomine etiam promotor iustitiae ac vinculi defensor veniunt, *propositae sunt* iudici, *illae antea definiantur*, quamvis « cognoscantur pari gradu » iuxta parallelum can. 1630, § 2 et sequens Decretalium [1] caput, quod auctorem habet Innoc. III. « Nos autem distinguendum esse credimus, utrum spoliationis (circa alteram rem) quaestio ab eisdem nobilibus sit obiecta in modum actionis ad restitutionem petendam: an in forma exceptionis, ad intentionem adversarii repellendam: Cum ea in modum actionis proposita, intelligantur mutuae petitiones (adverte diligenter) sese tamquam diversae minime contingentes: ac per hoc, iuxta regulam iuris, qua dicitur. Qui prior appellat, prior agat: quae prius esset proposita, prius foret tractanda ».

Sequitur in dicto capite, quae ad sequentem §^um^ explicandum pertinent. « Sed quoniam quaestio illa (spoliationis) fuit ab eisdem nobilibus tantum in modum exceptionis obiecta: interloquendo pronunciavimus, ut probationes eorum super ipsa exceptione primitus audirentur, et ea probata legitime, abbati non cogerentur respondere super petitionibus memoratis, donec restituerentur ab ipso: cum spoliatori, spoliatus ante restitutionem non cogatur

[1] Cap. 19 « de iudiciis » (II, 1). — [2] Cap. 2 « de ordine cognitionum» (II, 10).

ullatenus respondere ». Huic postremae clausulae congruit § 3. *Si de spolio*, quod sic diffinitur recte ad normam 1689, § 1 « violenta aut clandestina alicuius deiectio a possessione rei vel quasi possessione iuris » [2], *incidat* idest: « incepto saltem per citationem iudicio, *quaestio* (illa) proponatur quae, ad causam pertinet », sive diversa a principali sed uti exceptio actoris, quemadmodum fuit considerata in cit. Decretalium capite, sive intime connexa cum ipsa, sicut invenitur in cap. 10 « de restitutione spoliatorum » (II, 13), *haec* incidens quaestio peculiaris *ante omnia* quaelibet facienda, *est* cognoscenda per probationes etc. et *dirimenda* per iudicis sententiam.

Etenim sic decrevit Lucius III in cap. ultimo cit. « Ex conquaestione B. mulieris ad nos noveritis pervenisse, quod cum C. miles eam sibi matrimonio copulasset, et maritali affectione pertractans, ex ipsa filiam suscepisset, sine iudicio Ecclesiae a se removit eandem: et de accusando super consanguinitate matrimonio, remoto appellationis obstaculo, litteras ad iudices impetravit: cum autem priusquam a iudicibus mulier citaretur, per dioecesanum episcopum virum sibi restitui petiisset, et ob hoc ad nos proprium nuncium destinasset: demum coram praefatis iudicibus constituta, modo per se, modo per procuratorem, ante ipsius causae ingressum et post, virum sibi restitui postulabat. Judices vero restitutione negata, (quod fieri non debuit) in principali negotio procedere voluerunt, unde ipsa nostram audientiam appellavit. Et infra. Mandamus, quatenus si est ita, mulieri virum restitui faciatis: quae post appellationem ipsius acta sunt, in irritum revocantes: postmodum super matrimonio causam audiatis: et fine canonico terminetis ». De exequutione vero restitutionis in causa spolii, non in can. praesenti, sed in can. 1699 invenietur iuris praescriptum.

104. Ordo cognitionum iuxta capitis huius canonis sequens est:

A) Quoad diversas causas in eodem tribunali, ordo « quo fuerunt propositae », nisi ad normam can. 1627 exceptio « peculiari decreto » a iudice seu a tribunali statuatur.

B) Inter easdem personas: 1) « ante contestationem litis proponi et cognosci debent »; a) « Exceptiones peremptoriae, quae dicuntur *litis finitae* » (can. 1629, § 1), b) « exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii » (can. 1628, § 1), c) « quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, et aliae

[1] P. Noval O. P. « De iudiciis » n. 227.

huiusmodi » (can. 1631), ac demum « si de spolio incidat quaestio, haec (inter veras causas) ante omnia est dirimenda » (can. 1633, § 3).

2) « Post contestationem litis », a) exceptio excommunicationis opponi potest » (can. 1628, § 3), « exceptiones (vero aliae) dilatoriae » iuxta § 1[m], « si contestata iam lite primum emerserint, aut pars iureiurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse », b) « exceptiones peremptoriae aliae (quam *litis finitae*, nunc) proponi debent ». Enimvero quoad discussionem huiusmodi exceptiones postremae tractandae sunt secundum regulas sequentes » (can. 1629, § 2).

3) a) « Quaestiones incidentes, quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem » (can. 1633, § 1), et nominatim « si de spolio incidat quaestio » (ib. § 3), « eae prius cognoscantur »: b) « Quod si nullo nexu logico inter se (vel cum causa principali) cohaereant, prius propositae, antea definiantur »: c) « actiones reconventionales cognoscantur simul cum conventionali actione », nisi occurrat exceptio alterutra in can. 1630, § 2 declarata.

4) « exceptio excommunicationis opponi potest », « dummodo ante sententiam definitivam » (can. 1628, § 3), « exceptio autem de incompetentia iudicis absoluta, in quovis statu et gradu causae » absque illa limitatione.

CAPUT III.

De dilationum terminis et fatalibus.

CAN. 1634. - *Fatalia legis* quae dicuntur, idest termini perimendis iuribus a lege constituti, prorogari non possunt.

§ 2. Termini autem iudiciales et conventionales, ante eorum lapsum, poterunt, iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel petentibus partibus, prorogari.

§ 3. Caveat tamen iudex ne nimis diuturna lis fiat ex prorogatione.

CAN. 1635. - Si dies, pro actu iudiciali indicta, sit feriata nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primam sequentem diem non feriatam.

105. Inscriptio capitis eiusque duo canones. — Iam considerandum est *Caput III* inscriptum sic. *De dilationum*, quae sunt temporis ambitus intra quos diversi actus iudiciales fieri queunt praesertim a partibus, *terminis*, per quos illae clauduntur, *et fatalibus*, quod verbum iuridicum innuit necessitatem a iure provenientem decursu temporis, quin ab hominibus eludi queat. Duos canones continet caput. Atque can. 1634 de prorogatione illarum

et istorum praescripta edit, dum can 1635 interpretationem authenticam fert circa terminum dilationum.

106. Dilationum distinctionem et prorogationem edicit *can. 1634*. Etenim in Decretalium iure invenitur illa distinctio, quae canone hoc servatur. Sic enim ait Clem. V in Conc. [1]. Viennensi: « Quamdiu appellationis prosecutio per compromissum vel alias de partium expresso consensu differtur, tempus ad prosequendum eandem ab homine vel a iure praefixum, currere nolumus appellanti: nisi forte iudex videns ex dilatione periculum imminere, praeciperet in illa procedi ».

Hoc ius partim est revocatum, partim mutatum aliter. § *1. Fatalia* sub inscriptione declarata *legis*, eo quod ab ipsa vim repetunt, *quae dicuntur* in usu forensi et in Auctorum operibus, ac sequitur definitio: *idest termini* dilationum ibidem declarati *perimendis* ad iudiciales actus *iuribus* partium, atque promotoris iustitiae ac defensoris vinculi, *a lege* seu canone *constituti, prorogari non possunt* a iudice etiam de consensu partium, atque ita sunt vere fatalia, nisi dispensatio a Sede Apostolica detur.

E contra statuit § 2, admittens distinctas prorogationes ad normam iuris praecedentis. Enimvero in cap. 24 « de officio et potestate iudicis delegati » (II, 29) sic rescripsit Innoc. III archiepiscopo Toletano: « Consuluit nos tua fraternitas, utrum cum ad recipiendos testes, depositiones publicandas eorum, vel sententiam proferendam, peremptorie citas partes, et altera se absentat contumaciter die data: an circa ultimam saltem partem diei tibi sit in negotio procedendum: vel in diem expectandum potius subsequentem:...? Nos autem credimus distinguendum, utrum iurisdictio duret post terminum peremptorium, an expiret in illo. Si durat, in diem alteram, aequitate suadente, poteris expectare:... Si autem expiret: nisi partes cum id noverint, se tibi praesentaverint ea hora, qua congrue possis procedere, ad exequendum id propter quod eis legitime terminum peremptorium assignasti, extunc exsequi poteris quod intendis: ne frustra iudicialis instantia evanescat »... Et infra subdit prudentem hanc monitionem: « Porro discretus iudex in assignatione peremptorii, non debet iurisdictionem suam (nisi necessitas exigat) adeo coarctare ». Idemque Pontifex in cap. 28 eiusdem tituli ait: « Nos perversorum volentes malignitatibus obviare.... (ne aliquod lucrum ex huiusmodi fraude reportet « earum partium altera ») personae neutri parti suspectae, quantum ad diem illum (« quem iudex

[1] Cap. 4 « de appellationibus » (II, 12) in Clem.

delegatus a nobis et evocatus partibus assignavit ») committat ipsum negotium audiendum: quae in ipso appellatione remota procedat: nisi (bene notandum) forte partes consenserint negotium prorogari ».

His positis via sternitur ad commentarium §[i] 2[i] huius canonis statuentis: *Termini autem* verbum innuens adversativum § 1° praescriptum, a) *iudiciales* seu a iudice praestituti ad singulos iudicii actus, v. gr. « ad recipiendos testes, depositiones publicandas eorum, vel sententiam proferendam », vel exhibenda instrumenta, *et* b) supple « dilationum termini » *conventionales*, idest: consensu partium destinati, assentiente iudice, *ante eorum* terminorum *lapsum* temporis, non ergo post, *poterunt*, canone sic concedente, a) *iusta intercedente causa*, etenim Caelestinus III [1] « taliter respondet; quod reo ad iudicium legitime convocato, si ex rescripto sibi transmisso (« quod in litteris citatoriis fuit insertum ») plene potuit instrui super eo, de quo in iudicio convenitur, induciae deliberatoriae non sunt ulterius indulgendae; sed procedendum potius est ad examinationem causae, et finem ei debitum imponendum ».

Prosequitur canon: declarati « termini poterunt » b) *a iudice*, sive ordinario, sive delegato iurisdictionem conservante, unde non sufficit consensus partium etiam in terminis conventionalibus, sed solummodo c) *auditis* partibus, quin consensus necessarius sit ad normam can. 105, § 1, si ex officio procedat in hoc iudex, *vel petentibus partibus*, nempe: si ad instantiam partium ille agat, vel si ad petitionem unius, audita altera parte, *prorogari*, seu ulteriorem terminum assignari ad actum iudicialem rite ponendum.

Gregorius sapienter [2] edicit: « Iurgantium controversias celeri sententia terminare, et aequitati convenit et rigori ». Cui consonat Conc. Trid. [3] sic alloquens iudices: « Admonet dehinc S. Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque iudices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant; ac litigatorum artibus seu in litis contestatione, seu alia parte iudicii differenda, modis omnibus aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant ». Harum regularum memor legislator opportune subnexit concessae iudicis facultati aliud praescriptum, quod continet § 4. *Caveat tamen iudex* prudentia duce, sic temperate uti praecedenti facultate, *ne nimis diuturna lis*, quae sententia finitur, *fiat ex prorogatione* a seipso ad unum actum concessa longiori vel pro diversis actibus rite iterata.

[1] Cap. 2 « de dilationibus » (II, 8). — [2] Cap. 2 « de sententia et re iudicata » (II, 27). — [3] Cap. 10, sess. XXV De ref.

107. Prorogatio termini iudicialis statuitur a iure. Cum enim *fatalia iuris* intelligantur de tempore utili, illa non respicit *can. 1635. Si dies*, quae « constat 24 horis continuo supputandis a media nocte » (can. 32, § 1), etiam in re iudiciali, sicut contestatur de iure Codicem praecedenti Innoc. III [1]: « licet etiam secundum consuetudinem et constitutiones legitimas, more Romano, dies a mediotate noctis incipiat et in medio noctis desinat subsequentis (unde quod in duobis dimidiatis noctibus agitur, perinde sanxit habendum legalis auctoritas, ac si qualibet parte lucis agatur) », *pro actu* quolibet *iudiciali* perficiendo *indicta* per iudicis decretum, proindeque singularis vel propter numerum mensis, vel feriam N. talis hebdomadae, vel qualitercumque determinata, a) *sit feriata* ad normam can. 1639, § 1, b) *nec in decreto iudicis*, quo indictio fiat, *dicatur expresse* quod sequitur, nempe: *tribunal* hoc *vacaturum nihilominus causis cognoscendis*, prout ex causa in § cit.[1] can.[is] taxative posita una vel alia fieri possit, atque « iudicis est in singulis casibus statuere et denuntiare » (can. 1639, § 2), hinc logice canon, positis duabus conditionibus sub a) et b) declaratis praescribit: *terminus* « pro actu iudiciali » *intelligitur* in foro externo *prorogatus* legitime *ad primam sequentem diem non feriatam*, quae potest esse diei indictae immediate sequentem, vel post dies duos, vel tres, vel quatuor successive feriatas, v. gr. « ultimi tres dies hebdomadae sanctae feriati » ac dies Paschatis (can. 1639, § 1).

CAPUT IV.

De tempore et loco iudicii.

Can. 1636. - Quamvis Episcopus in quolibet suae dioecesis loco, qui non sit exemptus, ius habeat erigendi tribunal, nihilominus penes suam sedem aulam statuat, quae sit ordinarius iudiciorum locus: ibique Crucifixi imago emineat et adsit Evangeliorum liber.

Can. 1637. - Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario.

Can. 1638. - § 1. In unaquaque dioecesi Ordinarius publico decreto dies et horas definiri curet, pro loci ac temporum adiunctis opportunas, quibus tribunal adiri regulariter possit, et ab eo iustitiae administratio exigi.

§ 2. Iusta tamen de causa, et quoties periculum sit in mora, fas est fidelibus quovis tempore iudicis ministerium in sui iuris vel boni publici tutelam invocare.

Can. 1639. - § 1. Dies festi de praecepto, et ultimi tres dies hebdomadae sanctae feriati habeantur;

[1] Cap. 24 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29).

et in iis citationes intimare, audientias habere, partes et testes excutere, probationes assumere, decreta et sententias ferre, denuntiare et exsequi vetitum est, nisi necessitas, christiana caritas, aut bonum publicum aliud postulent.

§ 2. Iudicis autem est in singulis casibus statuere et denuntiare, an et quae acta supra dictis diebus expleri debeant.

108. Inscriptio Capitis et ordo canonum. — Ultimum membrum tituli de disciplina in tribunalibus servanda, hanc moderatur quoad duas circumstantias ea semper comitantes, videlicet: inscribitur *Caput IV. De loco* tum territorii, tum domus, tum quoad requisita in eo, *et* « de » *tempore* quoad dies et horas *iudicii* uniuscuiusque peragendi quocumque in gradu et statu causa inveniatur. Quatuor canones sub eo positi sunt, et duo priores locum respiciunt, sive in ordinariis dioecesis pacificis circumstantiis can. 1636, sive in extraordinariis propter adversitatem can. 1637. Similiter temporis circumstantiam generaliter moderatur 1638, dum can. 1639 limitat tempus vacationes iudiciales statuens.

109. Legitimus iudiciorum locus tam pro iudice a Sancta Sede delegato, quam pro iudice ordinario huiusque delegato fuerat in 6°. Decretalium designatus. Videlicet: [1] Bonifacius VIII « Statutum quod circa iudices a Sede Aplca. deputandos paulo ante ediderat.... praesenti, quam irrefragabiliter observari mandat, suadente utilitate, in melius duxit reformandum. Sancit igitur ut illi... quibus causae auctoritate litterarum, Sedis Aplcae, vel legatorum eiusdem de cetero committantur, non audiant alibi, quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi.

In nullo quoque casuum praedictorum (in eadem Decretali), iudex extra civitatem seu dioecesim, in quibus deputatus fuerit, citet partes, nec de causa sibi commissa cognoscat: nisi ad id expressus accesserit earumdem (partium) assensus: neque alibi.... committat quomodolibet vices suas ».

Et sic explicit caput: « Quidquid autem contra praemissa, vel eorum aliquod contigerit attentari: sit ipso iure irritum et inane ».

Idem Pontifex in cap. 7 « de officio Ordinarii » (I, 16) in 6° ita edixit: « Cum Episcopus in tota sua dioecesi iurisdictionem ordinariam noscatur habere: dubium non existit, quin in quolibet loco suae dioecesis non exempto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad ecclesiasticum forum spectantes audire, personas ecclesiasticas (cum earum excessus exegerint) capere, ac

[1] Cap. 11 « de rescriptis » (I, 3) in 6°.

carceri deputare, necnon et cetera, quae ad ipsius spectant officium, libere exercere ».

Hinc merito sic exorditur, iuri veteri plene congruens *can. 1636. Quamvis Episcopus*, « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), imo « Vicarii et Praefecti Apostolici eodem iure in suo territorio gaudent » (can. 294, § 1), *in quolibet suae dioecesis*, « cuius nomine venit quoque Abbatia vel Praelatura nullius » (can. 215 § 2), *loco*, *qui non sit exemptus*, v. gr. sicut Abbatia, domus regularis, *ius habeat* expressum in can. 335, § 1, et hic explicatum *erigendi tribunal*, seu locum iuris dicendi designare, *nihilominus* penes suam sedem, videlicet: civitatem, in qua residentiam principaliter retinet, *aulam* in domo episcopali, et melius est, vel extra eam, *statuat* id est: stabiliter deputet, *quae sit ordinarius*, seu regularis *iudiciorum* exercendorum « per se vel per alium » *locus* patens fidelibus, qui iustitiae causa illum adeant, atque commode ac secure ius eorum exerceant. Sequitur dispositio aulae iure praescripta pro dignitate potestatis ecclesiasticae iudicialis, dum subdit canon: *ibique*, scilicet: in aula « ubi erigatur tribunal », *Crucifixi imago*, a quo « data est illa potestas », *emineat*, ut facile ab omnibus videatur, *et adsit* in mensa tribunalis vel alicubi patens *Evangeliorum liber*, nempe in quo illorum saltem pars scripta sit, ad usum iuramenti emittendi et veluti Codex praecipuus ac fundamentalis in societate catholicae Ecclesiae.

110. Iudiciorum locus per exceptionem. — Ex can. praec. eruitur praescriptum ipsius a iudice quoque delegato per Episcopum servandum esse, eo quod can. 201 in § 2° statuit: « iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit... extra territorium, salvis praescriptis can. 401, § 1 », loquentis de iurisdictione sacramentali ordinaria, « et can. 1637 » nunc exponendi.

Clemens V in Conc. Viennensi [1] constituit hanc exceptionem: « Quamvis sacris canonibus sit generaliter interdictum, ne quis Episcopus iurisdictionem in dioecesi exerceat aliena: Nos tamen Episcopis, qui a suis sedibus protervia impiorum expulsi non audent propter metum persequentium in suis civitatibus vel dioecesibus aut earum parte aliqua residere: nec iurisdictionem ad se spectantem per se, vel per alium inibi exercere: ne iniuria in eorum expulsione, ipsorum irrogata ecclesiis hoc praetextu remaneat impunita, duximus indulgendum, ut in dioecesibus alienis, in civitatibus videlicet, vel locis insignibus suis ecclesiis vicinio-

[1] **Cap. un. de foro competenti (II, 2) in Clem.**

ribus, in quibus poterunt secure morari, et iurisdictionem suam libere exercere, possint contra suos expulsores.... libere procedere, prout iustitia suadebit... Eisdem autem Episcopis indulgemus, ut inter suos subditos (ne ob defectum iustitiae dispendium aliquod patiantur) possint in dioecesibus alienis, in quibus moram traxerint (dummodo per se, vel per alium hoc, in suis propriis dioecesibus facere non audeant, vel non possint) iurisdictionem suam omnimodam exercere, ita tamen quod subditi, qui expulsores vel eorum fautores aut consiliarii non fuerint, ultra duas dietas a fine suae dioecesis non trahantur. Volumus insuper ut ante omnia a dioecesanis locorum in quibus moram traxerint, petant veniam in praemissis, quam si obtinere nequiverint, procedant nihilominus prout superius est expressum. Sane si praedicti episcopi asseruerint... quod in suis dioecesibus iurisdictionem per se vel per alium contra ipsos, exerceri nequeunt vel non audent, stari super his volumus assertionibus eorumdem: ipsis districtius iniungentes sub interminatione divini iudicii, ne circa praemissa contra conscientiam quidquam mendaciter aut dolose asserant vel confingant. Eorumdem autem episcoporum sententias et processus, quos in praemissis casibus, in aliis dioecesibus duxerint faciendos, denuncient seu denunciari faciant per suas dioeceses convicini episcopi, cum ab eis fuerint requisiti. Per praemissa quoque nullum ex transcursu temporis quantucumque, vel alias quoquo modo locorum dioecesanis vel aliis quibuscumque iurisdictionem habentibus in locis praemissis, in quibus praedicti episcopi sic expulsi iurisdictionem (ut praedicitur) exercebunt, praeiudicium generetur ».

« Ex hoc iure antiquo, qua congruit, aestimandus est » (can. 6, 3°) *can. 1637. Iudex* « cum potestate ordinaria iudicandi » (can. 1572, 1573, § 1), nam sequitur *e territorio suo*, eo quod in ipsum habet potestatem iudicialem exercendam iuxta can.s praec.s declarationem, a) *vi* physica, vel ut plurimum morali ob metum gravem iniuste incussum in hac parte, sive a privatis, sive a potestate laica etiamsi per decretum aliquod, *expulsus*, b) *vel a iurisdictione* iuxta etymologicam significationem, id est: iudicialem ex contextu *ibi*, seu in « territorio suo » *exercenda* « per se vel per alium » *impeditus*, quamvis non fuerit « expulsus », *potest* vi huius canonis et cit. Clementinae *extra territorium* declaratum, v. gr. in loco exempto, in aliena dioecesi, Praelatura vel Abbatia nullius, *iurisdictionem suam* prius declaratam *exercere*, idest: omnes actus iudicii ponere *et sententiam ferre*, nam de huius executione infra erit agendum in Tit. XVII, *certiore tamen hac de*

re praevie facto, quin veniam petere oporteat, *loci Ordinario*, etiamsi iudicium in casu haberetur apud locum exemptum, ubi moram « iudex expulsus vel impeditus » v. g. ut hospes habeat.

111. Dies et horas iudiciorum pro unoquoque territorio generaliter moderatur *can. 1638*. In Decretalium enim iure [1] scriptum est: « Ne vero iudicium ecclesiasticum exerceatur in tenebris, quia iuxta testimonium Veritatis: Qui male agit, odit lucem; licet etiam secundum consuetudinem et constitutiones legitimas, more Romano (in Codicem admisso), dies a medietate noctis incipiat et in medio noctis desinat subsequentis,... Nos tamen (Innoc. III) eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere quod incumbit ».

Hoc igitur prae oculis habito, en § *1. In unaquaque dioecesi*, « abbatia vel praelatura nullius » (can. 215, § 2) *Ordinarius* loci ex contextu, hinc « eorumque Vicarius Generalis, Administrator », (can. 198, § 1) Vicarius Capitularis, non autem Officialis Episcopi, nec Vicarius aut Praefectus Apostolicus, quia de obligatione agitur, videlicet: *publico* seu publici iuris faciendo per adfixionem in loco patenti, per insertionem in ephemeride officiali, *decreto* seu ordinatione generali sequens statutum continente, a) *dies*, v. gr. quot et quales in hebdomada, *et horas* diei, non vespertinas, *definiri curet* ex iuris praescripto, *pro loci* v. gr. quando cives solent negotiis vacare *ac temporum*, v. gr. in hyeme ac in aestate, quando vacant tribunalia civilia, *adiunctis* diversis secundum regiones vel successu temporum, hinc quoque statutum illud erit mutabile, b) *quibus* diebus et horis *tribunal* nempe: locum et praeseriim iudicem forsan coram notario *adiri* physice ac *regulariter possit*, quia hoc decreto non obstante, fortassis ex arbitrio officialis quandoque non patebit illud, *et* scopus adeundi adiungitur c) *ab eo* tribunali, nempe iudice aut praeside *iustitiae* tum in re contentiosa tum in re criminali *administratio exigi* pro iure, quo gaudent fideles quorum intersit qualitercumque iudicium.

Cum hoc ius sit canone praesenti limitatum in eius exercitio licito, providet aequitati § *2. Iusta tamen de causa* seu motivo proportionato, *et*, quae coniunctio disiunctivae aequipollet, b) *quoties*, idest singulis in casibus *periculum sit* notabilis damni pro iudicio *in mora* expectandi regularem diem et horam, v. gr. quia testis audiendi copia deinde non haberetur, *fas est*, nempe licet *fidelibus*, uti proprio iure, *quovis tempore*, etiam feriato ut in seq. can. et hora proportionate intempestiva, *iudicis* qua talis *mi-*

[1] Cap. 24 « de officio et potestate iudicis delegati » (II, 29).

nisterium in hunc scopum, videlicet: a) *sui iuris* stricte dicti *vel* b) *boni publici tutelam*, quatenus ad illos pertineat, *invocare*, qua invocatione eveniente iudex prudenter iudicans urgere casum tenetur ex officio agere.

112. Iudiciorum vacatio ex iure constituta est iam ab antiquo, nam ex cap. 1 « de feriis » (II, 9) didicimus a quodam Conc. apud Compendium: « Omnes dies dominicos, a vespera in vesperam, cum omni veneratione decernimus observari, ... ut in eis... neque aliquis ad mortem vel ad poenam iudicetur: nec sacramenta (nisi pro pace, vel alia necessitate) praestentur ».

Expressius autem Greg. IX illud ampliavit statutum, in cap. « Conquestus » [1] aiens: « Quamvis non prorogari, sed expediri deceat quaestiones: debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti: (et enumerat eos suo tempore vigentes, subdens): quibus utique solemnibus feriis, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat, usque adeo convenit ab huiusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari. Licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate ». Inde ortae sunt apud canonistas divisiones feriarum, quae statuerentur: *sacrae* et *profanae* ob earum causam, *ordinariae* vel *extraordinariae* iuxta ipsarum occasionem, ac denique ut in cit. cap. in *bonum privatorum* aut in *bonum publicum*. Hae divisiones per se patent.

Quoad extraordinarias et alias in bonum privatorum, dubitare non licet, nunc manere positas in Ordinariorum potestate secundum §^m 1^m can.^s praecedentis quoad ordinarias, et etiam quoad extraordinarias, quia iuxta reg^m iuris 53 in 6°: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus ».

De ordinariis autem in bonum publicum vigentibus servandus est *can. 1639* iamnam exponendus. § *1. Dies* computandi ad normam can. 32, § 1, *festi de praecepto*, tum « in universa Ecclesia » (can. 1247, § 1), nisi « aliquod festum ex enumeratis (ibidem) legitime sit abolitum vel translatum » (can. cit. § 3), tum constituti a Sancta Sede pro aliqua regione, *et* ubilibet *ultimi tres dies hebdomadae sanctae feriati* seu vacantes ab strepitu iudiciali *habeantur* a fidelibus et Praelatis; *et* prosequitur canon explicans quod *in iis* diebus a) *citationes* tum partibus tum testibus aliisve *inti-*

[1] Cap. 5 « de feriis » (I, 9).

mare, sive quoad actum iudicis subscribentis eam iuxta datam, sive quoad actum cursoris, b) *audientias* coram actuario *habere*, c) *partes et testes excutere* per illarum interrogationes et per examen horum iudiciale, d) *probationes assumere* v. gr. inspectione oculari, per documentorum receptionem aut comprobationem authenticitatis, recipiendo iusiurandum, e) *decreta* quaelibet *et sententias* etiam interlocutorias *ferre*, quas « pronunciationes » rite discernit can. 1868, f) *denuntiare* partibus quolibet ex tribus modis, quibus « publicatio sententiae fieri potest » (can. 1877) *et* demum g) *exequi* de qua exequutione tractat Titulus XVII, *vetitum est* hoc canone, *nisi* a) *necessitas*, v. gr. ne testimonium deficiat ob mortem alias superventuram, b) *christiana caritas*, ut v. gr. quam primum miserabili personae per sententiam subveniatur, *aut* c) *bonum publicum* v. gr. scandali gravis remotio *aliud* fieri, seu contra prohibitionem *postulent*.

Has causas vero declarare in particularibus circumstantiis, quamvis per canonistas casus enumerari queant, § 2. *Iudicis autem*, sive ordinarii sive delegati causam videntis *est in singulis casibus* evenientibus *statuere* cum effectu canonico atque obligatione *et denuntiare* eis quorum intersit, *an et quae acta* iudicialia ex vetitis vi §[i] praec.[is] *supra dictis* ac in eodem declaratis *diebus expleri debeant* efficaciter in iure, ut dictum est.

CAPUT V.

De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum.

Can. 1640. - § 1. Dum causae coram tribunali aguntur, extranei ab aula arceantur et ii tantummodo adsint, quos ad processum expediendum iudex necessarios esse iudicaverit.

§ 2. Omnes, iudicio assistentes, qui reverentiae et obedientiae tribunali debitae graviter defuerint, iudex, etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente in id quis peccaverit, potest censuris quoque aliisve congruis poenis ad officium reducere, advocatos praeterea et procuratores etiam iure alias causas apud tribunalia ecclesiastica pertractandi privare.

Can. 1641. - Si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et iudices ac partes linguam huius personae propriam non intelligant, interpres adhibeatur iuratus, et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit.

Can. 1642. - § 1 Acta iudicialia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu *acta causae*, ex gr., sententiae et cuiusque generis probationes, tum quae ad formam procedendi pertinent, seu *acta processus*, ex. gr., citationes, intimationes, etc., scripto redacta esse debent.

§ 2. Nisi iusta causa aliud suadeat, quoad eius fieri potest, lingua latina redigantur; sed interrogationes et responsiones testium, aliaque similia, lingua vernacula confici debent.

Can. 1643. - § 1. Singula folia processus numerentur; et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in unoquoque folio.

§ 2. Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis.

§ 3. Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio requiritur, si pars aut testis hanc facere nequeat vel nolit, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum fuisse, et partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere.

CAN. 1644. - § 1. In casu appellationis, actorum exemplaria ad normam can. 1642, 1643 conscripta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate, mittantur ad superius tribunal; si exemplaria sine gravi incommodo exscribi nequeant, mittantur cum opportunis cautelis acta ipsa originalia.

§ 2. Si eo mittenda sint ubi vernacula lingua non sit cognita, acta ipsa in linguam latinam vertantur, adhibitis cautelis ut de fideli translatione constet.

§ 3. Si acta debita forma et charactere confecta non fuerint, a iudice superiore repelli possunt: quo in casu illi, quibus culpa imputanda est, acta suis impensis denuo conficere et mittere tenentur.

CAN. 1645. - § 1. Iudicio expleto, documenta partibus restitui debent, nisi in criminalibus, bono publico ita exigente, iudex aliquod retinendum censuerit.

§ 2. Documenta omnia, quae apud tribunal manent, in archivo Curiae deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit.

§ 3. Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita.

§ 4. Anonymae epistolae quae nihil ad causae meritum conferunt, et etiam subscriptae quae sint certo calumniosae, destruantur.

Caput V. De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum	— regulariter	Can. 1640
	— per exceptionem	» 1641
	— in scriptis et qua in lingua	» 1642
	— quoad subscriptiones et sigillum	» 1643
	— ut serviant in casu appellationis	» 1644
	—	» 1645

113. Inscriptio capitis ac distributio canonum. — Considerandum occurrit *Caput V* inscriptum triplici membro. Videlicet: *De personis* physicis *ad disceptationem iudicialem*, quatenus iudicium contentionem continet, aut in criminalibus pro et contra reum oppugnantes ad invicem rationes perpendendae erunt, *admittendis* a tribunalis praeside vi ss. canonum, *et de modo quoad* praescriptas circumstantias a) materialis *confectionis et* b) *conservationis* permissae, iussae aut denegatae *actorum* in iudicio vel ad hoc deductorum.

114. Personae admittendae earumque disciplina. — De personis physicis, etiam si hae repraesentent morales personas, tractat *can. 1646*. Vetitum sic explicat § *1. Dum* seu tempore quo *causae* singulae, sive contentiosae, sive criminales et in quacumque instantia, *coram tribunali*, sive unipersonali, sive collegiali, sed ecclesiastico ut patet, idest: praesente iudice et coram notario *aguntur* per diversos actus iudiciales, *extranei* actuali causae, eo quod ipsos non respiciat, nec tamquam tribunalis officiales, nec tamquam partes in causa, vel has adiuvantes, nec ut testes ac peritos, non solum ab auditione sed *ab aula* quoque ubi sedet tribunal *arceantur*, ita ut egrediantur adstantes, non permittantur ingredi alii, et, quatenus opus sit, auctoritate iudicis vel Ordinarii loci interveniente, *et ii*, ut plurimum viri, in casu etiam mulieres *tantummodo* etiam inter adiutores tribunalis *adsint* illo in loco, *quos ad processum* seu complexum actorum *expediendum*, nempe ut rite hic progrediatur *iudex* solus, vel tribunalis collegialis praeses successive *necessarios esse iudicaverit*. Audientiae igitur publicae, quae in usu laicorum tribunalium sunt, exulant iure a iudiciis ecclesiasticis. Et iure merito, nam causae contentiosae pabulum tribuerent curiositati, criminales vero parere possent scandalum, quod cavendum est Ecclesiae, et si ageretur de huiusmodi causis clericorum dedecus quoddam status ipsius in audientibus suboriri posset.

Innoc. III sic decrevit [1]: « Ne iudicialis evanescat auctoritas, cum de litigatoris improbitate constiterit, adversus assertionem iudicis temere prorumpentis: iuxta superioris arbitrium digna poterit animadversione puniri ». Alex. VI loquens de Romana Curia sub const. « In eminenti » [2] hanc affert rationem: « qui, eamdem... liberam, immunem et securam omnibus conservare debemus... », statuit et ordinat, ut postea afferemus. — Demum in [3] Lege propria S. R. Rotae et Signaturae Apicae. Pius X s. m. condidit can. 30 de his « quae dicuntur *informationes orales ad iudicem* », et sub num. 6° ait: « qui in disputatione iniurias proferat, aut reverentiam et obedientiam tribunali debitam non servet, ius ad ulterius loquendum amittit, et si agatur de procuratore vel advocato, puniri pro casus gravitate potest etiam suspensione aut privatione officii ». Et hoc postremum sic explicatur in Regulis servandis apud S. R. Rotae Tribunal [4], sub § 77, 3: « Contra advocatum vel procuratorem qui talia committat, tribunal potest

[1] Cap. 11 « De poenis » (V, 37). — [2] 13 Apr. 1502, §§ 3, 4. Fontes Cod. I. C. Vol. I, pag. 93. — [3] 29 Iun. 1908. CO. I, 27, 28. — [4] 4 Aug. 1910. CO. II, 809.

illico, facti attenta notorietate, decretum suspensionis ad tempus, pro casus gravitate, edere, vel etiam eum deferre ad collegium disciplinae, ut ex albo S. Rotae advocatorum deleatur ».

Hanc praecedentem disciplinam sic congessit, aptavit Codici, et ad omnia Ecclesiae tribunalia extendit § 2. *Omnes*, « et singulae, ecclesiasticae, saecularesve personae, cuiuscumque qualitatis, dignitatis, status, gradus, ordinis et praeeminentiae fuerint, quae earum in causis tam beneficialibus, quam profanis, ac criminalibus, sive mixtis, ... adversarios, vel illas pro eis prosequentes, et procurantes, sive Advocatos, aut Procuratores ipsorum, aut Auditores et alios Iudices quoscumque, testes et Notarios praefatos, minis afficere, invadere, verberare, mutilare et occidere... praesumpserint », ut explicatur in cit. const. Alexandrina. Canonis vero praescripto subiiciuntur illi « omnes » aliique *iudicio assistentes*, seu adstantes in aula tribunalis, « dum causae aguntur » (§ 1), *qui* singuli *reverentiae* maiori vel minori pro iudicum dignitate *et obedientiae*, quae verba disiunctive sunt intelligenda, *tribunali* qua iurisdictionem exercenti ecclesiasticam *debitae graviter* verbo, gestu, factis *defuerint* directe contra ipsos iudices, vel indirecte propter iniurias erga alios adstantes, *iudex* seu tribunalis praeses, *etiam illico et incontinenti*, idest: non tenetur, quidquam formale iudiciorum servare, *si coram tribunali sedente in id* proindeque notorie *quis* ex supra dictis *peccaverit*, ut explicatum est, *potest* vi huius canonis, illiusque prudentiae relinquitur, *censuris quoque* ad consequendam promptam emendationem, *aliisve* sed utrisque *congruis* seu culpae proportionatis *poenis* vindicativis *ad officium*, intellige debitum reverentiae et obedientiae, *reducere*, *advocatos praeterea*, utpote ex officio magis obligatos *et procuratores*, quia hi et illi sunt magis expositi propter consuetudinem interveniendi et aestuans desiderium victoriae, *etiam iure* acquisito equidem lucrativo, sicut apud S. R. Rotam, aut in Codice eisdem attributo, *alias causas*, non solum ibidem, sed *apud tribunalia ecclesiastica* quaelibet *pertractandi privare*, vel quia « Plus semper in se continet quod est minus » (reg. Iuris 35 in 6°), etiam suspendere ad tempus, sicut omnes supradictos deficientes debito, sed non graviter, potest iudex opportune animadvertere.

115. De usu interpretis licito cavet necessitati *can. 1641. Si alicui actui processuali*, v. gr. in causa matrimoniali quoad testimonium de impedimento, vel de facto inconsummationis, *interveniat* a) *persona*, qua testis vel peritus, *linguae loci* idest: ibidem vulgaris *ignara et* b) *iudices ac partes*, quia horum interest, *linguam huius personae propriam non intelligant*, nec refert an

tertia lingua cognoscatur ab omnibus, a) *interpres* utriusque linguae gnarus seu vere peritus *adhibeatur* ex praecepto canonis ac b) *iuratus* de munere suo fideliter adimplendo, quod iusiurandum implicite continet assertionem peritiae supra dictae, *et* c) *a iudice designatus* ex consensu saltem tacito partium, vel supplente canone, dum hic ait: d) *contra quem* interpretem *alterutra pars* in contentiosa, vel promotor iustitiae defensorque vinculi, quando interveniunt, nam alterutri parti adhaerent, *legitimam* idest: iuxta ss. canones bonam *exceptionem* contra fidelitatem aut mores aut ob coniunctionem alteri parti, etc., ac saltem probabilem *non proposuerit*, quin necesse sit, ut probationes afferantur.

116. De actorum conscriptione. — Ecclesia iam a tempore Concilii Generalis (Lateran. IV) e suis iudiciis proscripsit systema orale exclusivum, nec mere scriptum adoptavit, sed mixtum, prout videre est in sequenti Decretali [1]. « Quoniam contra falsam assertionem iniqui iudicis, innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare, cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio: ne falsitas veritati praeiudicet, aut iniquitas praevaleat aequitati: Statuimus, ut tam in ordinario iudicio, quam extraordinario, iudex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribat; videlicet: citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, et interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, conclusiones, et caetera quae occurrerint competenti ordine conscribenda: loca designando, tempora et personas. Et omnia sic conscripta partibus tribuantur, ita quod originalia penes scriptores remaneant, ut si super processu iudicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari: quatenus hoc adhibito moderamine, sic honestis et discretis deferatur iudicibus, quod per improvidos et iniquos innocentium iustitia non laedatur. Iudex autem, qui constitutionem ipsam neglexerit observare, si propter eius negligentiam quid difficultatis emerserit, per superiorem iudicem animadversione debita castigetur; nec pro ipsius praesumatur processu, nisi quatenus in causa legitimis constiterit documentis ».

Per hanc constitutionem, utpote implicitam, exponendus est *can. 1612, § 1. Acta iudicialia*, quae nempe huiusmodi processum integrant, sive a iudice, sive a partibus, sive ab aliis cum iudicis interventu ponantur, « tam in ordinario iudicio, quam in extraor-

[1] Cap. 11. « De probationibus » (II, 19).

dinario » ubi ait Glossa: « idest: delegato... et etiam extraordinarium vocat quando non procedit in figura iudicii, sed iudex procedit ex officio suo in modum inquisitionis vel denunciationis... quia ex tunc omnia conscribenda sunt ». a) *tum quae meritum* id est substantiam obiectumve *quaestionis respiciunt*, *seu* verbo iuridico *acta* uniuscuiusque *causae* vocantur, *ex. gr.*, *sententiae*, tam interlocutoriae quam definitiva, *et cuiusque generis probationes*, quae ad illam definiendam ducunt et iuvant, nec taxative solae dictae comprehendantur sub illo vocabulo. b) *tum quae ad formam procedendi pertinent*, eo quod sint applicationes canonum de processus compilatione, *seu* quae proinde *acta processus* audiunt in foro iudiciorum, *ex gr.*, *citationes* sive partium, sive testium, sive peritorum, promotoris iustitiae ac defensoris vinculi, *intimationes* decretorum ac sententiarum, *etc.*, quia multa alia illis verbis enuntiantur generice: omnia praedicta *scripto redacta esse debent* ex praescripto, ita ut processus totus apud seipsum constet ac permaneat.

In Instructione edita a S. Congr. Conc. [1] de causis matrimonialibus invenimus scriptum: « Cum in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta ss. canones, cit. (ibidem) s. m. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogationibus, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur ». Hoc statutum vigebat pro causis matrimonialibus ante Codicem, et iure merito, nam hae duas semper sententias uniformes exigunt; unde faciliter in supremum Ecclesiae tribunal deducere illas oportebit. Ut ergo expensae vitentur fortassis traductionis omnium actorum in aliam linguam, cum periculo minus fidelis versionis, latina lingua fuit praeferenda, utpote quae ab omnibus tribunalium ecclesiasticorum et officialibus praesumitur cognita esse.

His rationibus, ut videtur, deferens Codex, ad omnia iudicia illud praescriptum sic extendit § 2, qui utpote novus « qua discrepat cum veteri iure, est ex sua ipsius sententia diiudicandus » (can. 6, 3°). *Nisi* a) *iusta* seu proportionata *causa*, petita fortassis ex eodem iudicio *aliud* diversum a praescripto faciendum *suadeat*,

[1] 22 Aug. 1840.

v. gr. ignorantia linguae latinae in notario, quae non deberet accidere, b) *quoad eius* singularis iudicii acta omnia vel aliqua *fieri potest, lingua latina* « scripto » *redigantur*, cum sequenti autem limitatione, *sed interrogationes et responsiones testium*, quamvis hi latinam linguam calleant, *aliaque acta similia*, v. gr. « peritorum relationes », documentorum particulae inserendae, *lingua vernacula*, id est : in usu apud incolas loci illius *confici debent*, et utraque §[1] pars sic intellecta est praeceptiva.

117. De signis authenticitatis actorum iudicialium sollicitus est *can. 1643*, et optime ut fraudibus aditus occludatur. § *1. Singula folia*, quae duabus paginis constant, velut partes materiales *processus*, etiam documentorum quae inserantur processui a) *numerentur* successive; possent tamen documenta indigitari in processu, atque separatim eidem adiungi dummodo « essent legitima forma confecta... in forma authentica, colligata in fasciculo, cum adiecto eorum indice, ne subtrahi aut deperdi possint », prout in can. 25, § 3 [1] Legis propriae pro S. R. Rota cautum est; *et* b) *actuarii subscriptio*, c) *cum sigillo tribunalis*, nempe quod hunc innuat, vel saltem officium illius propter quod iudex sit, aut praeses tribunalis collegialis, *apponatur in unoquoque folio*. Attamen parum refert, an in imo vel ad marginem, atque idem dicatur de sigillo in quacumque folii parte locando, et num siccum adhibeatur, vel humectatum vel etiam foliis impressum, quod laudandum esset.

§ 2. cavet etiam de aliis subscriptionibus apponendis, ut sequitur. *Singulis actis*, v. gr. auditioni testium, vel decretis, vel citationibus a) *completis*, atque tunc in singularum fine, etiamsi haec plura fiant in eadem sessione, *vel* b) *interruptis seu*, quod sic explicatur, *ad aliam sessionem* partialiter *remissis* quoad complementum, atque hoc in casu pro partis iam peractae authenticitate, *apponatur* duplex *subscriptio* nempe *actuarii et iudicis vel tribunalis* collegialis *praesidis*.

Insuper praescribit § *3. Quoties in certis actis iudicialibus* a) unius *partium* vel utriusque *aut* b) *testium* singulorum *subscriptio* ex praescripto ss. canonum *requiritur*, pro quibusdam circumstantiis est servandum quod sequitur : videlicet : *si* a) *pars aut* b) *testis*, ad ponendam subscriptionem obligata, *hanc* a) *facere nequeat* ob defectum physicum vel ignorans scribere, b) *vel nolit* quolibet ex motivo, a) *id* alterutrum *in ipsis actis* per actuarium *adnotetur*, id est exprimatur, b) *simulque iudex* vel in tribunali collegiali prae-

[1] 29 Iun. 1908, CO. I, 26.

ses *et actuarius fidem faciant* de his duobus nominatim a) *actum ipsum* subscribendum *de verbo ad verbum* seu integre *parti aut testi* iuxta casus diversitatem *perlectum fuisse* ab actuario vel iudice, *et* b) *partem aut testem* iuxta personam obligatam *vel non potuisse*, si ita est, quin necesse sit exprimere causam impotentiae *vel noluisse*, si hoc ultimum contingat, *subscribere*.

118. De missione actorum ius praecedens innitebatur cuidam Decretali et Decretis Conc. Trid. Illa Alex.^{m} III habuit auctorem aientem [1]: « Discretioni vestrae mandamus quatenus susceptis attestationibus utriusque partis, quae ab aliis iudicibus sunt receptae, causam ipsam fine debito terminetis ». Conc. vero Trid. sic decrevit: [2] « Reus, ab Episcopo, aut eius Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans, coram iudice, ad quem appellavit, acta primae instantiae omnino producat, et iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat ». Atque generaliter de omnibus causis, sic legitur in cap. 20 sess. XXIV de Ref.: « Praeterea, si quis in casibus a iure permissis appellaverit,... teneatur acta omnia, coram Episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre... Quod si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quae translata sunt, expensas pro portione sua, si illis uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat ».

Modum hoc praescriptum adimplendi exhibet *can. 1644*, dum sic iubet § *1. In casu* cuiuslibet *appellationis* etiam ulterioris, sed legitimae, cuius definitionem tradit can. 1879, *actorum* omnium iudicialium, quae continent « processum, (quandoque) restrictum, defensiones et sententiam [3], sed illorum *exemplaria*, quia, ut dicitur in Dec. « De appellationibus » [4] n. 11; « Acta originalia processuum primae instantiae ad iudicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incidat, quae iudicialiter obiiciatur; et tunc terminata causa remittenda sunt ad Ordinarium, ut in suo archivo conserventur ». Illa vero *ad normam can. 1642*, *1643* proxime declarati utriusque a) *conscripta*, ita ut ex eis conspiciatur omnes illorum formalitates fuisse adimpletas, *et* b) *in fasciculum* forsan duplex actorum et documentorum *religata*, ne quid defluat, c) *cum indice* forsassis duplici *omnium actorum et documentorum*, quo singula immantur et paginae in quibus inveniantur, *et* d) *cum* unica *testi-*

[1] Cap. 11 « De testibus et attestationibus » (II, 20) — [2] Sess. XIII de Ref. cap. 3. — [3] Instructio S. C. EE. RR: 11 Iun, 1880 n. XXXIX. — [4] Const. « Cum illud » Bened. XIV, 14 Oct. 1742, § 7.

ficatione scripta vel subscripta *actuarii* illius causae *seu cancellarii*, nempe: « cuius praecipue munus est acta Curiae (dioecesanae) in archivo custodire... » (can. 372, § 1), nec sufficit « testificatio » alius notarii, quae danda est *de eorum* « actorum » quae manent prius declarata, a) *fideli transcriptione et* b) *integritate*, quae praedicta *mittantur ad superius tribunal*, videlicet ad quod appellatum est, quin caveatur hic de aliis appellationis circumstantiis, quas moderantur canones positi sub tit. XIV, cap. I.

Modus transcribendi servari potest, qui pro simili appellationis casu describitur in ep. S. C. C. (10 Jan. 1721 inserta in Doc. IV adiecto Codici). « Si quis autem (ibidem legitur) hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad iudicem appellationis transferenda; mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa, et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a Cancellario concursus, atque altero notario collatum, et auscultatum coram Vicario », quod et sequentia per canonem iam sunt aliter suppleta vel disposita.

Ad acta ipsa originalia iudicii, quod attinet, sic prosequitur canon permissive: *si exemplaria* supra declarata *sine gravi incommodo*, quod transcriptioni accidentale sit, vel etiam, quia sunt acta valde mutiplicata, vel expensae supportari, proindeque *exscribi* illa *nequeant*, tunc loco exemplaris *mittantur* in canonis adimplementum, sed *cum opportunis cautelis* pro secreto, et ne deperdantur vel auferantur, v. gr. « clausa et obsignata », atque per assecurationem transmissionis, *acta ipsa* supra declarata sed *originalia*. In qua hypothesi adiungatur « index omnium actorum et documentorum », sed testimonio de fidelitate et integritate non erit locus, prout evidens est.

§ 2. *Si* « in casu appellationis » *eo* in loco *mittenda sint* acta et documenta vi can. praec.s *ubi vernacula lingua*, qua « confici debent » (can. 1642, § 2) nonnulla saltem acta causae remittendae, *non sit cognita*, cum in usu vulgari non sit, tunc ex canonis praecepto *acta ipsa* sic confecta *in linguam* praecise *latinam vertantur* ante remissionem ex contextu, *adhibitis cautelis* quoad versionem faciendam eiusque compulsationem cum originali, *ut de fideli translatione* quoad accuratum sensum *constet* cum morali certitudine.

Gregorius in cap. 1 « de fide instrumentorum » (II, 22) ait: « Si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus ». Conditionalem propositionem explicat Alex. III, dum in cap. 2 eiusdem tituli decernit: « Scripta vero au-

thentica, si testes inscripti decesserint (nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possunt probari) non videntur nobis alicuius firmitatis robur habere ». Ceteroquin si documenta authentica legi nequeant, ad usum iudicii nihili habenda erunt.

His motivis innixus § 3, secundum aequitatem statuit hanc sanctionem. *Si acta*, de quibus in hoc canone, exceptis documentis originalibus, a) *debita forma* « ad normam can. 1642, 1643 » atque forsan « in linguam latinam » non versa iuxta praescriptum §§ 2[1], *et* b) *charactere* sufficienter legibili *confecta non fuerint, a iudice superiore*, ad quem appellatum fuerit, *repelli possunt*, quin obligetur, cum tales formalitates ut plurimum validitatem non laedant, nec veritati iuridicae in casu obstent: *quo in casu* repulsae *illi, quibus culpa* defectus inventi *imputanda est*, v. gr. ut plurimum actuario, vel notario exemplaris documenti, vel scribenti translationem in lingua latina, *acta* repulsa, omnia vel aliqua, *suis impensis* ob iuridicam saltem culpam a) *denuo conficere et* b) *mittere tenentur* vi huius canonis.

119. De conservatione actorum cavet *can. 1645*, disponens quoque servandum quoad documenta in iudicio producta. § 1. *Iudicio expleto* per sententiam, quae transierit in rem iudicatam, *documenta* publica vel privata, *partibus* singulis, quae illa produxerint originalia vel in forma authentica, *restitui* per se *debent*, canone id iubente, ac proinde, si pars petat, eorum indigeat, vel non renuntiet ea saltem implicite, quia hoc in casu restitutio non intelligitur. Imo ab illo praescripto datur sequens exceptio, nolente quoque parte, *nisi* a) *in criminalibus* iudiciis, b) *bono publico ita exigente*, v. gr. status clericalis decore, ad vitandum scandalum, *iudex* ipse aut tribunalis praeses *aliquod* documentum, renuente etiam parte supra declarata, *retinendum* in actis *censuerit*. In hac hypothesi praescriptum §[1] non urget.

§ 2. *Documenta omnia*, nam de actis non est quaestio, *quae apud tribunal* idest: in eius potestate, *manent* « iudicio expleto », uti haec verba declarata sunt, *in archivo Curiae*, quod « habeant Episcopi » (can. 375, § 1, 379, § 1), *deponantur* ex canonis iussu, equidem *sive publico sive secreto* de quibus agunt illi canones eisdemque proximi, *prout eorum* documentorum *natura* secreta vel minus, *exigit*.

Quamvis ex contextu liqueat, initium canonis « iudicio expleto » applicari ad §[m] 2[m] ex ipsius verbo « manent », contrarium adnotare licet circa praescriptum, quod exhibet generalibus verbis

§. 3 *Notarii*, quorum « officium » can. 374 docet, diversi, qui « constitui possunt » (can. 373, § 1), *actuarii*, nempe « ad acta dumtaxat iudicialia, aut ad acta solummodo certae causae » (loc. cit.), et proinde actuarius apud quem illa, durante iudicio, inveniuntur, *et cancellarius*, « cuius praecipuum munus est acta Curiae in archivo custodire » (can. 372, § 1), et hinc « iudicio expleto » (can. praes. § 2), a) *sine iudicis*, vel talis causae, dum agitatur, vel « officialis qui unum constituit tribunal cum Episcopo » (can. 1573, § 2), et a fortiori ipsius Episcopi iuxta reg. iuris, non autem Vicarii generalis *mandato*, quamvis oretenus recepto, *tradere prohibentur*, quod est unum ex « servatis servandis » in notariorum officio (can. 374, § 1°, n. 3°), *exemplar* seu transcriptum *actorum*, quamvis singulorum *iudicialium et* etiam disiunctive *documentorum* omnium aut singulorum, *quae sunt* ad normam §§ 1[i] *processui* cuilibet *acquisita*. Hinc patet optimum esse, ut locus distinctus in archivo his actis et documentis deputetur.

Generaliter quoque loquitur § *4*, et nec nos distinguere debemus, *Anonymae* ob suscriptionis defectum *epistolae* proprie dictae, seu ad alium distinctum ab scribente directae, et *quae* notetur futiles esse iuridice, eo quod incidenter edicit canon *nihil ad causae meritum* seu ad controversiae dilucidationem *conferunt*, quia testis fidelitas et probitas ignorantur, *et etiam* « epistolae » a) *subscriptae* b) *quae sint certo calumniosae* in parte notabili malum morale personae falso attribuentes, *destruantur* saltem lacerando eas, ita ut usum scriptorum amittant, ut damnum ex his fortassis sequendum restinguatur, et propter vanitatem aliarum.

TITULUS IV.

De partibus in causa.

CAPUT I.

De actore et reo convento.

Can. 1646. - Quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur; reus autem legitime conventus respondere debet.

Can. 1647. - Licet actor vel reus conventus procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen tenetur in iudicio ipsemet adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.

Can. 1648. - § 1. Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti

sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores.

§ 2. Si iudex existimet ipsorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum vel tutorum vel curatorum, aut ipsos tam longe distare a parentibus aut tutoribus vel curatoribus, ut hisce uti aut minime aut difficulter liceat, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum.

§ 3. Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem, si aetatem quatuordecim annorum expleverint, etiam per seipsos; secus per tutorem ab Ordinario datum, vel etiam per procuratorem a se, Ordinarii auctoritate, constitutum.

CAN. 1649. - Nomine eorum de quibus in can. 100, § 3, stat in iudicio rector vel administrator, firmo praescripto can. 1653; in conflictu vero eorum iurium cum iuribus rectoris vel administratoris, procurator ab Ordinario designatus.

CAN. 1650. - Bonis interdicti, et ii qui minus firmae mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad praescriptum iudicis: in ceteris agere et respondere debent per suos curatores.

CAN. 1651. - § 1. Ut curator ab auctoritate civili alicui datus a iudice ecclesiastico admittatur, debet accedere consensus Ordinarii proprii illius cui datus est.

§ 2. Ordinarius potest quoque alium curatorem constituere pro foro ecclesiastico, si, omnibus mature perpensis, id statuendum esse prudenter censuerit.

CAN. 1652. - Religiosi sine Superiorum consensu non habent personam standi in iudicio, nisi in casibus qui sequuntur:

1° Si de vindicandis adversus religionem iuribus sibi ex professione quaesitis agatur;

2° Si ipsi extra claustra legitime morentur et iurium suorum tuitio urgeat;

3° Si contra ipsum Superiorem denuntiationem instituere velint.

CAN. 1653. - § 1. Ordinarii locorum possunt nomine ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis stare in iudicio; sed, ut licite agant, debent audire Capitulum cathedrale vel Consilium administrationis eorumve consensum vel consilium habere, quando periculo vertitur pecuniae summa pro qua alienanda ad normam can. 1532, §§ 2, 3 eorundem consensus vel consilium requiritur.

§ 2. Beneficiarii omnes nomine beneficii possunt in iudicio agere aut respondere; quod tamen ut licite faciant, servare debent praescriptum can. 1526.

§ 3. Praelati ac Superiores Capitulorum, sodalitatum et quorumlibet collegiorum stare in iudicio nequeunt, nomine suae cuiusque communitatis, sine eiusdem consensu ad normam statutorum.

§ 4. Adversus eos de quibus in §§ 1-3, si sine praescripto consensu aut consilio in iudicio egerint, piae causae aut communitati ius est ad refectionem damnorum.

§ 5. In casu vero defectus vel negligentiae illius qui administratoris munere fungitur, potest ipse loci Ordinarius per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum moralium quae sub eius iurisdictione sunt.

§ 6. Superiores religiosi nequeunt nomine suae communitatis stare in iudicio, nisi ad normam constitutionum.

CAN. 1654. - § 1. Excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem, ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur.

§ 2. Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt.



120. Inscriptio tituli et divisio in capita. — Considerandus est *Titulus IV* inscriptus *De partibus in causa* praesertim contentiosa, quae velut integratur ex illis, eo quod duo necessario requiruntur contendentes, ut quaestio iudicialiter dirimenda exurgat. Imo idipsum contingit, quando unus satisfactionem ob damnum sibi illatum ab altero expostulat, quando delinquens renuit illam praestare. Hae partes vocantur in iure actor et reus, qui suas rationes afferre ac urgere possunt coram iudice quandoque per se, quandoque per alium, qui melius possit idipsum perficere. Hinc titulus praesens in duo capita est distinctus.

121. Inscriptio capitis I et ordo canonum. — In cap. 10 « de verborum significatione » (V, 11) legitur ex Libro Etymologiarum: « Accusator vocatus est, quasi causator, quia ad causam vocat eum, quem appellat ». Nunc temporis iste dicitur actor, quasi iudicium promovens, dum expostulat ministerium iudicis lege innixus pro aliqua re obtinenda vel conservanda, pro aliquo iure subiectivo in exercitium vindicando: « Reus a re, quae petitur, nuncupatur; quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quamdiu in iudicium pro re aliqua petitur ». Et hoc etiam nunc valet, ad iudicium contentiosum. quod attinet, et idem verbum optime deservit, quando propter aliquod delictum in iudicium rapitur. Inde *Caput I* iure merito inscribitur *De actore* nempe: qui aliquid petit in iudicio *et reo*, videlicet: a quo alter quidquam petit in iudicium hunc trahens per iudicis ministerium, *convento*, innuens huiusmodi verbum has personas hoc in capite respici praesertim in iudicio contentioso,

quamvis nonnulli canones de iudiciis criminalibus mentionem faciant.

Porro « iudicium est contentiosum, quando personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta declaranda obiectum iudicii sunt » (can. 1552, § 2, 1°), atque eaedem personae physicae vel morales sunt obligationum subiecta, et hinc sumitur canonum distributio. Oportet quoque animadvertere legislatorem sollicitudinem apposuisse ad decernendum quandonam actor vel reus in iudicio stare per se aut per alium possit aut debeat et quisnam debeat pro personis moralibus, etiamsi nonnumquam statuat quinam habeant personam standi in iudicio, aut ab eo removeantur tanquam actor vel reus. In genere id edicit can. 1646, subiungente can. 1647 mensuram in applicanda huic materiae regula iuris 68 in 6° « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum ». Prohibitiones agendi in iudicio continent can. 1648-1652, tali ordine ut primo de minoribus et aliis qui rationis usu carent, ac statim agatur de personis, quae minoribus iure aequiparantur, videlicet: can. 1648, 1649. Quoad interdictos bonis et alios similes duo sequuntur can. 1650, 1651, atque can. 1652 de religiosis tractat. Personas morales, tum collegiales, tum non collegiales in specie moderatur can. 1653, cui ultimus subditur can. 1654 causa excommunicationis, unde temporaria prohibitio quoad personas physicas enascitur, ne agant in iudicio.

122. Norma generalis standi in iudicio, qua huius pars, edicitur *can. 1646. Quilibet*, sive vir sive mulier, « in Ecclesia Christi persona » (can. 87), clericus, laicus et religiosus, *potest* iure proprio utens *in iudicio* contentioso, vel criminali qua civiliter peracto, nam « actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae,... reservatur » (can. 1934), *agere*, id est: ius proprium vindicare vel facti iuridici declarationem petere, *nisi a sacris canonibus*, qui ius hoc subiectivum iuri divino immixum moderantur, *prohibeatur* quoad eiusdem exercitium; *reus autem*, declaratus antea *legitime* seu iuxta sacros canones *conventus* idest in iudicium vocatus *respondere* coram iudice per se vel per alium, negando actoris petitionem vel excipiendo, *debet* propter Ecclesiae iudicialem potestatem.

123. Facultas partium se repraesentandi per alium, recognoscitur ab Innoc. IV in Conc. Lugdunensi [1] his verbis: « Iuris esse ambiguum non videtur, iudicem delegatum (qui a Sede

[1] Cap. 1 « de iudiciis » (II, 1) in 6°.

Apostolica mandatum ad hoc non recepit speciale) iubere non posse alterutram partium coram se personaliter in iudicio comparere: nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniae faciendo, vel alias iuris necessitas partes coram eo exegerit personaliter praesentari ». Et his delegatis a Sede Apostolica aequiparantur iudices ordinarii quoad necessitatem specialis commissionis in hac parte a Pio IV in const. « De salute gregis ». § 3 [2].

Igitur « ex parte tantum cum veteri iure congruit » (can. 6, § 3°) *can. 1647. Licet actor vel reus conventus*, sive personae physicae sint, sive repraesentantes personam moralem ad normam sequentium canonum, *procuratorem* ad lites alterius eorum nomine peragendas, *vel advocatum*, qui praedictorum causas defendat *constituerit*, quod supponitur esse in illorum potestate secundum reg. iuris 68 in 6°: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum », *semper tamen tenetur* ex huius canonis statuto *in iudicio* idest coram tribunali illius causam vidente *ipsemet* « actor vel reus conventus », sicut est supra delegatus *adesse*, quod idem est ac « personaliter stare » *ad praescriptum* a) *iuris*, quando nempe canon hoc iubet, *vel* b) *iudicis*, in cuius potestate esse hic statuitur, et qui sine rationabili motivo praescribere tale quid non debet.

124. De minoribus et rationis usu carentibus est notabile caput 3 « de iudiciis » (II, 1) in 6°. Ibidem Bonif. VIII sic decrevit: « Si annum quartumdecimum tuae peregisti aetatis, in beneficialibus et aliis causis spiritualibus, necnon et de pendentibus ab eisdem, ac si maior XXV annis existeres, ad agendum et defendendum, per te vel per procuratorem (quem ad hoc constituendum decreveris) admitti debebis. Si vero infra quartum decimum annum existas, per te agere, aut defendere non poteris super ipsis, sed vel per tuum Episcopum vel per officialem eiusdem tibi curator dabitur ad lites huiusmodi exercendas; aut tu ipse (si maior infante fueris) cum auctoritate alterius eorumdem procuratorem ad eas poteris deputare. Delegatus etiam Apostolicae Sedis et subdelegatus ab eo, tibi (si non habeas) curatorem, dare valeant, vel auctoritatem constituendi procuratorem praestare ad illas causas, vel lites dumtaxat, quae coram ipsis fuerint ventilandae. In huiusmodi quoque litibus sive causis, quanquam in potestate patris existas, nec alias absque illius assensu in iudicio regulariter esse possis,

[1] 4 Sept. 1560. Codicis iuris canonici fontes, I, 174.

eius (cum de his se intromettere non habeat) nequaquam requiri debebit assensus ».

A regula generali in fine huius Decretalis Bonifatianae incipit *can. 1648*, § *1. Pro minoribus*, videlicet: « personis infra vicesimum primum aetatis annum » (can. 88, § 1), *et iis qui rationis usu* partiali vel totaliter *destituti sunt* habitualiter, sive ratione aetatis, sive causa amentiae alteriusve infirmitatis, *agere et respondere tenentur*, quia iura et res illorum commissa sunt *eorum* a) *parentes* ratione patriae potestatis, *aut* b) *tutores* « minoribus » dati a demortuis parentibus, vel a iure civili nationis vel a iudice laico secundum leges civiles, ad hoc ut iura et res minorum tueantur, *vel curatores* similiter constituti pro « iis qui rationis usu habitualiter destituti sunt », ad personae ipsius, iurium ac bonorum curam gerendam ex munere.

Cum sit regula iuris 61 in 6°: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum », sapienter statuit § 2. *Si iudex* in singulari causa sive delegatus sive ordinarius *existimet* prudenter a) *ipsorum*, nempe: minorum et aliorum de quibus in § 1 *iura* subiectiva *esse in conflictu cum iuribus*, quatenus illorum defensio secum trahere possit damnum « iuribus » *parentum vel tutorum vel curatorum*, prout unus vel alius ex his « agere et respondere teneatur », *aut* b) *ipsos* « minores et eos, qui » supra in §° 1° sunt declarati, *tam longe distare a parentibus aut tutoribus vel curatoribus*, qui « agere et respondere tenentur » pro diversitate singulorum illorum, *ut hisce uti* ad iudicium a) *aut minime* b) *aut difficulter* v. gr. propter expensas, ob tempus necessarium procrastinationis causae, *liceat*, id est: possit, in alterutra ergo declarata hypothesi multiplici, seu *tunc stent in iudicio* qua actor vel reus *per curatorem* ad hoc iudicium vel ad summum coram hoc tribunali et proinde *a iudice* ecclesiastico unipersonali vel collegiali *datum*, scilicet designatum pro illo munere.

« Ius vetus (antea relatum) ex integro refert » (can. 6, 2°) § 3. *Sed* adversative ad praescriptum ultimo positum *in causis* equidem contentiosis a) *spiritualibus*, v. gr. matrimoniali iuxta cap. 14 « de restitutione spoliatorum » (II, 13), aiente Innoc. III: « Quia igitur non credimus ambigendum, quin ipsa mulier, (quamvis minor) causam possit matrimonii per procuratorem tractare », *et* « in causis » b) *cum spiritualibus connexis*, quae manent declaratae ad can. 1553, § 1, 1°, triplex subditur praescriptum et primum generale, videlicet: a) *si minores* declarati initio §[i] *usum rationis* de facto *assecuti sint*, « quem, expleto

septennio, habere praesumuntur » (can. 88, § 3), *agere et respondere* qua actor et reus *queunt* per exceptionem ob naturam causae *sine patris vel tutoris*, etiamsi habeant eum ad manum, *consensu*, quin prohibeantur eisdem uti; *et* subditur *quidem* distinctio inter minores, a) *si aetatem quatuordecim annorum*, feminae quoque, *expleverint*, finito die eiusdem numeri atque mensis, « agere et respondere queunt » *etiam per seipsos*, idest personaliter iudicio adstantes; *secus*, nempe: intra septennium et decimum quartum annum aetatis expletos, alterutrum peragere « queunt » *per tutorem* ad lites, non a iudice, sed *ab Ordinario datum*, quia non ex causa petitur motivum, sed ex illorum voluntate non utendi « patris vel tutoris » habiti, *vel etiam per procuratorem* mandato ad lites *a se* id est praefato minore, *Ordinarii* ut supra interveniente *auctoritate*, in hoc consentientis et illum « procuratorem » approbantis, *constitutum* legitime.

125. De personis moralibus in genere legitur in can. 100 § 3: « minoribus aequiparantur ». Quapropter merito subditur hic *can. 1649*, cuius interpretatio iuvatur ex can. praecedentis interpretatione. *Nomine* seu gerendo repraesentationem *eorum de quibus in can. 100*, § 3, scilicet: « personarum moralium sive collegialium, sive non collegialium » quarumlibet, *stat* legitime *in iudicio* pro parte actoris vel rei conventi, *rector* personae collegialis *vel administrator* personae non collegialis, itemque bonorum personae collegialis iuxta proprii muneris limites, *firmo praescripto can. 1653* de peculiaribus personis moralibus, quod huic praescripto superaddit vel limitationes apponit, quia iuxta reg. iuris 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur ».

Non secus statutum est in Decretalium iure. Ait enim Innocentius III [1]: « Edoceri postulastis a Nobis, utrum per litteras adversus Abbates (nulla mentione habita de suis conventibus) impetratas, teneantur Abbates ipsi super causis (quae ad conventus pertinent, et eosdem) de ipsis querelantibus respondere: ac licet inhibita sit appellatio, per appellationis obiectum possint (ne respondeant) se tueri. Super quo duximus respondendum, quod (nisi alia causa rationabilis suffragetur) per appellationem se tueri non possunt, quominus debeant auctoritate litterarum huiusmodi, legitime respondere: Cum ex officio suo teneantur congregationum suarum negotia procurare: Nisi forte Abbatis et conventus negotia essent omnino discreta ». Idem asserit [2] prae-

[1] Cap. 21 « De rescriptis » (I, 3). — [2] Cap. 16 « de iudiciis » (II. 1).

laudatus Pontifex de praeceptoribus fratrum militiae templi in Italia constitutorum.

Prosequitur canon: *in conflictu vero eorum* scilicet: personarum moralium *iurium* quorumlibet *cum iuribus rectoris vel administratoris*, qui « nomine eorum stare deberet in iudicio » ut supra, et quae clausula « in conflictu » etc. fuit declarata in § 2° canonis praec.s, hos supplet *procurator* ad litem hanc *ab Ordinario* loci *designatus*, quia « loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint, nec ex eius iurisdictione fuerint subducta ».

126. Interdictorum bonis et aliorum mentis non firmae conditionem iuridicam in hac iudiciorum materia exponit *can. 1650. Bonis* temporalibus a) *interdicti*, hoc est: ab administratione propriorum bonorum per iudicem laicum legitime prohibiti, equidem ut plurimum propter causam, quae in aliis statim additis locum habet, unde *et* b) *ii qui*, rationis usu (non) destituti, *minus firmae mentis sunt* habitualiter, *stare in iudicio*, quod manet declaratum, *per se* seu personaliter *ipsi possunt* vi canonis *tantummodo*, qua rei in iudicio criminali, nam sequitur a) *ut de propriis delictis respondeant*, nam « debilitas mentis delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino » (can. 2201, § 1) *aut* in iudiciis quoque contentiosis *ad praescriptum iudicis* pro unoquoque casu et in praescripta mensura: *in ceteris*, seu praeter duplicem exceptionem declaratam *agere*, qua actores *et respondere* qua rei conventi *debent* ex obligatione hic imposita *per suos curatores*, qui apud civiles societates ipsis dantur.

127. De curatoris admissione apud ecclesiasticum tribunal, sic decernit *can. 1651, § 1. Ut curator ab auctoritate civili*, nempe: secundum uniuscuiusque societatis leges, non iam a parentibus vel familia datus, *alicui* « rationis usu destituto » (can. 1648, § 1), « bonis interdicto, vel ei qui minus firmae mentis est » (can. 1650), *datus*, quapropter in societate civili est legitimus, *a iudice ordinario* vel delegato, sed *ecclesiastico*, sive unipersonali, sive collegiali *admittatur*, qua repraesentans actorem vel reum, *debet accedere* semper *consensus* magis vel minus amplior quoad causas *Ordinarii proprii*, nempe domicilii aut quasi domicilii *illius* personae ex tribus supra relatis, *cui datus est*, etiamsi alia in dioecesi vel a delegato Sedis Apostolicae iudicium fiat.

Hunc consensum praestare vel denegare positum est in Ordinarii rationabili arbitrio. Sic enim docet praescribens § 2. *Ordinarius* supple: « proprius illius, cui datus est curator ab auctoritate civili » (§ 1), ut ibi fuit declaratum, *potest quoque* vi suae

iurisdictionis *alium* a supradicto *curatorem constituere* vi huius canonis, sed cum effectu tantum iudiciali atque *pro foro ecclesiastico* etiam in causis mixti fori, sed in illo iudicandis, sub conditione *si, omnibus*, circumstantiis personarum, causae et aliunde petitis, *mature*, quod excludit praecipitationem ac passionem, *perpensis*, *id*, seu talem constituere, *statuendum esse prudenter censuerit*. Et huic statuto acquiescendum erit, nisi certitudine morali constet non extare causas id requirentes secundum prudens iudicium.

128. De religiosis praecedentem disciplinam ab auctoribus propugnatam servat eam praescribens *can. 1652*. Eadem innititur iuri Decretalium loquenti de monachis. Nam in cap. 26 « de accusationibus et denunciationibus » (V, 1) legitur: « cum iudiciorum strepitu, maxime in hoc casu, non deceat Dei servos involvi ». Atque principale inhibitionis motivum innuit expresse cap. 11 eiusdem tituli. Ibi enim Alex. III ait Vigorien. Episcopo: « Prudentiae tuae taliter respondemus, quod monachi (nisi alia rationabilis causa impediat) eo quod de obedientia et subiectione abbatis esse noscuntur, ab eius accusatione sunt nullatenus repellendi: licet alios accusare non possint. Quibus siquidem, cum proprium non habeant, de rebus monasterii expensae debent necessariae, donec causa debitum finem accipiat, ministrari ».

Porro *can. 1652* sic incipit. *Religiosi*, « qui nempe vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), et « valet pari iure de mulieribus » (can. 490), *sine Superiorum* iuxta constitutiones determinandorum *consensu* necessario propter votum obedientiae, et quoad solemniter professos ob expensas subeundas ex bonis conventus, *non habent* qua singuli *personam* seu ius *standi in iudicio*, qua actores in contentioso iudicio vel criminali, non ita qua reus, nam in contractibus religiosus « ipse respondere debet » quandoque ad normam can. 536, §§ 2, 3, atque tum in contentiosis, tum in criminalibus, quandocumque legitime citatur ab Ordinario loci iuxta can. 1579, § 3, vel ob non vigentem in casu exceptionem.

Aliae quoque vigent exceptiones expressae verbis prosequentis canonis hoc modo: *nisi in casibus* singulis *qui sequuntur*: — Habent « religiosi personam standi in iudicio », qua actores, etiam renuentibus Superioribus: *1° Si de vindicandis adversus religionem*, qua talem, vel religionis provinciam, vel eiusdem domum, vel denique contra praedictorum Superiorem, *iuribus* v. gr. ad sustentationem, ad potiendum voce activa in electionibus, *sibi* qua singulari *ex professione* valide emissa, quamvis temporaria,

quaesitis, ac proinde supposita lege illud tribuente, *agatur*, v. gr. ne dimittatur a) sine iusta causa, « expleto votorum tempore », vel b) « ratione infirmitatis » quae professioni temporariae subsecuta fuerit.

2° *Si* a) *ipsi* « religiosi » supra declarati *extra claustra legitime morentur*, v. gr. qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, nec in aliquam suae religionis se recipiant » (can. 587, § 4), vel quando « Superioribus fas est illud permittere » (can. 606, § 2), vel « pro absentia quae sex menses excedat, cum Apostolicae Sedis venia » (loc. cit.), vel ob indultum exclaustrationis, *et iurium suorum* quorumcumque *tuitio urgeat*, quapropter nequeant « Superiorum consensum » requirere;

3° in iudicio criminali *Si contra ipsum Superiorem* proprium localem vel maiorem *denunciationem* ad normam can. 1935 *instituere velint*, forsan quia « obligatio denunciationis urget » (loc. cit. § 2). Atque non exprimitur « actio seu accusatio criminalis », quia haec « uni promotori iustitiae reservatur » (can. 1934).

129. De personis moralibus in specie agit *can. 1653*. Porro in beneficio episcopali duo distinguere oportet ad contentiosum iudicium quod attinet. Adest dos ipsius beneficii, et insuper ratione officii cum Episcopo intimam connexionem habet ecclesia cathedralis, quae in personam moralem non collegialem in se constituta est, sed eius administratio specialiter incumbit Episcopo. Hinc de his duobus cavet simul § *1. Ordinarii locorum*, scilicet: tum qui habent in titulum residentiae dioecesim, Abbatiam vel Praelaturam nullius, tum Sede vacante qui regit singulas, atque Vicarius Capitularis, etiamsi oeconomus sit persona distincta, quia hic « curam et administrationem gerit sub auctoritate Vicarii Capitularis » (can. 442). Omnes illi *possunt* vi huius canonis et ratione officii *nomine* a) *ecclesiae cathedralis* seu pro iuribus istius *aut mensae episcopalis* sub quo nomine venit dos beneficii episcopalis, abbatialis vel Praelaturae nullius, ex cuius fructibus victui, vestitui et ceteris Praelati necessitatibus providetur, *stare in iudicio* per se agendo, vel mandatum procuratori dantes, tum ad agendum tum ad respondendum, nam comparere ad hoc non decet illorum dignitati; *sed*, illo extra dubium posito in determinationem can. 1649, additur: *ut licite agant*, nam ut respondeant legitime conventi tenentur vi can. 1646, *debent audire* disiunctive a) *Capitulum cathedrale*, si « nomine ecclesiae cathedralis stent in iudicio », *vel* b) *Consilium administrationis* declaratum ad can. 1520 § 1, imo validitatem actus in iudicio attingit quod sequitur: *eorumve* disiunctive nempe: « Capituli cathedralis vel Consilii admini-

strationis » aut copulative *consensum vel consilium habere* secundum horum vocabulorum explicationem datam in can. 105, *quando periculo* amittendi vel expendendi *vertitur pecuniae summa pro qua alienanda ad normam can. 1532, §§ 2, 3, eorundem* supra declaratorum *consensus vel consilium requiritur*. Videlicet: applicando illam normam ad praesentem canonem.

« § 2. Si agatur de periculo, quo vertitur summa pecuniae non excedens mille libellas seu francos (in aurea moneta), audito administrationis Consilio », sive agat Ordinarius loci nomine mensae episcopalis, sive Ecclesiae cathedralis; quando vero agat nomine Ecclesiae cathedralis, insuper cum Capituli cathedralis consensu, quia « ipsius quoque interest ».

« § 3. Si periculo vertitur pecuniae summa intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum (monetae aureae) », alterutrius ex dictis nomine agat Ordinarius loci « accedat consensus, tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis ».

Si ergo in his casibus, non audiatur Consilium administrationis, quando requiritur, vel non audiatur imo et sequatur votum datum a Consilio eodem aut Capitulo cathedrali, quando consensus huius vel utriusque requiritur, Ordinarius loci 1° agit illicite, 2° etiam invalide ponit actum illum qua administratoris. Hoc ultimum rite intelligendum est. Judicium valet, hoc non obstante, sicut et sententia, proindeque si haec sit infausta, summa solvenda erit, ac semper iudicii expensae, ad quas damnatus fuerit, solvendae sunt; sed utroque onere non gravatur nec mensa episcopalis, nec ecclesia cathedralis. Hinc Ordinarius loci ob excessum in munere administratoris, debet eam summam et expensas solvere ex proprio patrimonio, alioquin pulsari potest etiam in iudicio actione indemnitatis alterutrius personae moralis iniuste damnificatae, vel indemnem reddere eam voluntarie, ad quod in conscientia obligatur.

§ 2. *Beneficiarii*, seu clerici « capta legitime beneficii possessione » (can. 1472), *omnes*, non attenta beneficiorum distinctione multiplici iuxta can. 1411, utpote qui « omnibus iuribus fruuntur tam spiritualibus quam temporalibus, quae proprio beneficio adnexa sunt » (can. 1472), ac tenentur peculiaria onera eidem beneficio adnexa fideliter adimplere » (can. 1475, § 1), atque « bona ad suum beneficium pertinentia, ut beneficii curatores, administrare debent » (can. 1476, § 1), *nomine beneficii* proprie dicti, prout hoc definitur in can. 1409, et est persona moralis non collegialis, *possunt* vi quoque huius canonis a) *agere*, idest gerere partem actoris *aut* b) *respondere gerendo* vicem rei conventi; *quod tamen* alte-

rutrum *ut licite faciant, servare debent praescriptum can. 1526* ibi declaratum, nempe ut praevie « licentiam obtineant scripto datam Ordinarii loci, aut saltem, si res urgeat, vicarii foranei ».

§ 3. *Praelati*, videlicet: « clerici sive saeculares sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent » (can. 110), *ac* sine illa *Superiores* ob quamcumque potestatem saltem dominativam, et qualitercumque ortam, qui propter hoc sint capita a) *Capitulorum* sive cathedralium, sive collegialium, b) *sodalitatum*, nempe: « associationum fidelium, quae ad modum organici corporis sint constitutae » (can. 707, § 1), et haec duo videntur nominari, tamquam exempla supremi et infimi, nam istae associationes « iuridicam in Ecclesia personam acquirunt propter formale erectionis decretum » (can. 687), hinc sequitur *et* c) *quorumlibet*, ob scopum, sodalium qualitatem, iurium diversitatem, distincta nomina, *collegiorum*, idest; propter allata exempla, personarum moralium collegialium: « Praelati ergo aut Superiores » ita declarati *stare in iudicio nequeunt* valide, gerentes partem actoris aut rei conventi, *nomine suae cuiusque communitatis* seu coadunationis fidelium sub auctoritate capitis, unde confirmatur antedicta interpretatio, *sine eiusdem* personae moralis, cui praeest, *consensu* dando *ad normam statutorum* quoad modum ac tempus convocandi, quoad membra convocanda, quoad numerum praesentium requisitum. Dixi « nequeunt valide », quia cum « consensus exigatur, Superior contra earumdem (personarum) votum invalide agit » (can. 105, 1°).

Juris principium est quod per reg. 76 in 6° enunciatur: « Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare ». Per eiusdem applicationem § 4 confirmat interpretationem paragrapho 1° datam, ex qua deduximus praescriptum hic traditum. *Adversus eos*, videlicet: « Ordinarios locorum, beneficiarios omnes, Praelatos ac Superiores Capitulorum, sodalitatum et quorumlibet collegiorum » quae verba omnia fuerunt prius declarata, seu *de quibus in §§ 1-3* dispositum est, *si sine praescripto*, ibidem quoad diversos, *consensu aut consilio*, nempe: « Capituli cathedralis vel Consilii administrationis » in § 1°, « Ordinarii loci, aut saltem... vicarii foranei » in § 2°, « suae cuiusque communitatis » in § 3°, et quia can.s 1526 praescriptum est: « Administratores litem nomine ecclesiae ne inchoent vel contestentur, nisi licentiam obtinuerint », sicut debent « Beneficiarii omnes », ex consequentia necessaria, « adversus eos quoque administratores » intelligere oportet praescriptum canonis praesentis: « si » canones, ut paulo ante declaratum est, transgrediendo, *in iudicio egerint*, a)

piae causae, quibus verbis et veniunt « beneficium, mensa Episcopalis atque ecclesia cathedralis », necnon verbi proprietas innuit sicut et contextus quamlibet personam moralem non collegialem, quemadmodum collegialem verbum sequens *aut* b) *communitati ius est* per eorum administratores aut rectores urgendum, etiam coram iudice *ad refectionem damnorum*, quae forsitan morali personae obvenerunt ex praefato iudicio, equidem contra singulos praedictos, qui cum praefata canonum transgressione steterunt in iudicio.

Ad urgendum hoc ius et ad supplendum administratorem segnem in agendo aut respondendo coram iudice, sequitur statim providens § 5. *In casu vero* quolibet *defectus*, quia desit muneri suo in petendo, *vel negligentiae*, quia remissus sit in agendo vel defendendo, vel iudicii initium procrastinet, alterutrum cum gravis damni periculo probabili in persona morali, *illius* etiam habentis consilium consensumve requisitum, *qui administratoris* « eorum de quibus in can. 100, § 3 » (can. 1649) *munere fungitur* legitime, *potest ipse loci Ordinarius* (can. 198, § 2), unde nascetur quandoque obligatio vi can. 1519 aientis: « Loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint nec ex eius iurisdictione fuerint subducta », v. gr. si aliter providere non sit praeferendum, « potest ipse » *per se vel per alium*, cui det mandatum ad lites *stare in iudicio nomine* a) *personarum moralium* uti agentium vel respondentium, non collegialium, et collegialium quoad bonorum administrationem, de quarum singularum administratore casus verificetur, b) *quae sub eius iurisdictione sunt*, clausula intelligenda ex interpretatione data ad can. citatum. Ad subveniendum personis moralibus collegialibus plura sunt alia remedia, quae suppetunt loci Ordinario pro eius subditis.

Cum paragraphus 5 sit generalis respiciens quoque §§ 1 et 2, postremo est insertus § 6 specialis respectu §§ 3i omnino attendendus in praxi pro communitatibus religionum. *Superiores religiosi* videlicet, tam viri quam mulieres potestatem saltem dominativam habentes, cum iidem sint religiosi, in alios religionis sodales, *nequeunt* quoad actus validitatem aut liceitatem *nomine suae communitatis*, ut declaratum fuit in § 3, *stare* personaliter *in iudicio*, gerentes partem actoris vel rei conventi, *nisi ad normam constitutionum*, quae de hac re cavent has vel illas conditiones servandas, quoad licentiam Superioris maioris, consensum Consilii aut Capituli, quoad usum procuratoris ad lites,

quoad iudicium instituendum vel secus, saltem cum limitationibus, etc.

130. Prohibitio singularum personarum, quae accidentaliter urgeat, consideratur in calce huius capitis. Agitur enim hic de prohibitione, quae constituit unum ex effectibus excommunicationis sub can. 2263 sic expressum: « excommunicatus... nequit in causis ecclesiasticis agere, nisi ad normam can. 1654 ».

De ipso, quatenus sit reus conventus, extant in iure Decretalium responsa Summorum Pontificum scitu digna, quia sunt etiam in praesentiarum practica. Innoc. III ait Paduano Episcopo [1]: « Quia postulasti a Nobis, utrum excommunicatus in iudicio stare possit: Respondemus, quod conveniri potest: et debet per alium in iudicio respondere: ne videatur de sua malitia commodum reportare ». Nunc in iure non prohibetur per seipsum respondere; saltem, quando fuerit toleratus. Idem Innoc. III [2] utitur his verbis: « Inquisitioni vestrae duximus respondendum, quod praedicto nobili (cum esset vinculo excommunicationis adstrictus) legitima defensio in iudicio reservatur, et maxime iudicis recusatio: cum periculosum sit coram suspecto iudice litigare; ac suspectis iudicibus Sedes Aplca. causam de certa conscientia non committat: unde in talibus non excommunicati favor attenditur, sed aequitas iudicantis, cum non debeat claudicare iudicium: ac satis videatur absurdum, si actore impugnante, reo defensionis copia denegetur, quia sic condemnaretur multoties absolvendus.

Porro cum excommunicato, quando in causa absolutionis existit, non sit iusta deneganda sententia, nec interdici debet eidem appellationis remedium, si contra iustitiam condemnetur: qua ratione in uno eodemque negotio ipsi alia legitima subtrahantur suffragia, non videmus. Caeterum non sic in reconventione sentimus, ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur ».

Haec retinent vim suam quatenus hac de re Codex illam solummodo continet prohibitionem, ac de cetero iuris principia in Decretalibus enunciata disciplinam praefatam expostulant.

Transeamus iam ad normam de excommunicato actore in causis ecclesiasticis. *Can. 1654.* § *1. Excommunicatis* propter incursam censuram huiusmodi sive a iure sive ab homine latam a) *vitandis* ad normam can. 2258 § 2, 2343, § 1, n. 1, *aut* b) *tolerabilis*, quae distinctio respicit communicationem ex parte fidelium ex norma huius canonis iudicialiter relaxatam, sed his *post*

[1] Cap. 7 « de iudiciis » (II, 1). — [2] Cap. 5 « de exceptionibus » (II, 25).

sententiam a iudice prolatam a) *declaratoriam* censurae illius iam incursae, *vel* b) *condemnatoriam* id est: qua excommunicatio delinquenti infligitur, *permittitur* per hunc canonem *ut* I° *per se ipsi agant* exercendo ius recognitum ac declaratum in can. 1646 *tantummodo ad impugnandam*, seu ostendendum deesse a) *iustitiam*, propterea quod delicto deerat aliqua ex notis, quae illud reddunt excommunicatione dignum, vel monitionem necessariam fuisse omissam, etc., *aut* b) *legitimitatem* undecumque proveniat *ipsius excommunicationis*, seu transgressas fuisse leges, quae ad excommunicationem valide infligendam vel declarandam sunt observandae sive ex parte iudicis, sententiae, ipsius processus, vel probationum, etc. Propter ea etiam de his excommunicatis verum est, quod statuit [1] Greg. IX: « Ipso iure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valeat, si ab excommunicato, super alio quam excommunicationis... fuerit impetratum. Sed canon addit II° permissionem ut excommunicati supra declarati agant *per procuratorem, ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum*, v. gr. in causa matrimoniali ob incontinentiae periculum III° *in reliquis ab agendo* praecise per se vel per procuratorem *repellantur* iure, non secus ac esse constitutum in Conc. Lugdunensi memoratur his verbis [2]: « Pia consideratione statuit mater Ecclesia, quod maioris excommunicationis exceptio in quacumque parte iudiciorum opposita, lites differat et repellat agentes: ut ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciae vitium reprimatur, et excommunicati (dum a communibus actibus excluduntur) rubore suffusi ad humilitatis gratiam, et reconciliationis affectum facilius inclinentur ».

Ad III^am^ paragraphi partem restricta est nunc sequens Decretalis Greg. IX [3]: « Consulti sumus, an constitutus ad impetrandum a communitate aliqua procurator, ab impetrando deberet excludi, pro eo quod maiores et iurati, per quos eadem communitas regebatur, tempore quo iniunctum fuit procurationis officium, erant excommunicationis sententia innodati. Taliter respondemus quod nisi essent illi in litteris procurationis expressi, vel alias eorum auctoritate procuratoris institutio facta fuisset, aut sciens ipsos esse tales, ipsa communitas una cum eis constituisset eundem, non est procurator huiusmodi repellendus ».

Quamvis const. « Ad evitanda » Martini V in Conc. Constantiensi an. 1418 nullum favorem vellet excommunicatis conce-

[1] Cap. 1 « de rescriptis » (I, 3) in 6°. — [2] Cap. 1 « de exceptionibus » (II, 12) in 6°. — [3] Cap. 1 « de procuratoribus » (I, 38).

dere per invectam inde distinctionem inter eos, § 2 quoad partem actoris sic decernit. *Alii excommunicati* nempe, non vitandi, nec post sententiam declarati vel condemnati qua excommunicati, *generatim* seu hac de causa *stare in iudicio* « ut per se ipsi agant vel per procuratorem » (§ 1) *queunt* etiam licite.

CAPUT II.

De procuratoribus ad lites et advocatis.

CAN. 1655. - § 1. In iudicio criminali reus aut a se electum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.

§ 2. Etiam in iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, iudex parti carenti defensorem ex officio attribuat, aut, si casus ferat, parti etiam habenti alium adiungat.

§ 3. Praeter hos casus pars libere potest advocatum et procuratorem constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.

§ 4. At Episcopus, si quando in causa est, aliquem constituat, qui eius personam, procuratorio nomine, gerat.

CAN. 1656. - § 1. Unicum quisque potest eligere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi expressa facultas eidem facta fuerit.

§ 2. Quod si, iusta causa suadente, plures ab eodem deputentur, hi ita constituantur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.

§ 3. Advocati autem plures simul constitui queunt.

§ 4. Utrumque munus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest.

CAN. 1657. - § 1. Procurator et advocatus esse debent catholici, aetate maiores, bonae famae; acatholicus non admittitur, nisi per exceptionem et ex necessitate.

§ 2. Advocatus debet praeterea esse doctor vel alioqui vere peritus, saltem in iure canonico.

§ 3. Religiosus admitti potest, nisi aliud in constitutionibus caveatur, in causis tantum in quibus vertitur utilitas suae religionis, de licentia tamen Superioris.

CAN. 1658. - § 1. Quilibet pro lubitu a parte potest eligi et deputari procurator, dummodo secundum praecedentem canonem idoneus sit, quin opus sit ut Ordinarii approbatio antecesserit.

§ 2. Advocatus autem, ut ad patrocinium admittatur, indiget approbatione Ordinarii, quae aut generalis sit ad omnes causas aut specialis pro certa causa.

§ 3. In iudicio coram Sanctae Sedis delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum, quo pars uti se velle ostenderit.

§ 4. Procurator et advocatus, in causis quae ad normam can. 1579, §§ 1, 2 aguntur in religionis tribunali, eligendi sunt ex eadem religione et ante patrocinii susceptionem approbandi ab eo, qui partes iudicis in causa agit; in causis vero quae ad normam eiusdem canonis § 3 apud tribunal Ordinarii loci pertractantur, admitti potest etiam religioni extraneus.

CAN. 1659. - § 1. Procurator ne prius a iudice admittatur quam speciale mandatum ad lites scriptum, etiam in calce ipsius citationis, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, apud tribunal deposuerit.

§ 2. Quod si mandans scribere nesciat, hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius Curiae vel duo testes loco mandantis, mandatum subsignent.

Can. 1660. - Mandatum procurationis asservari debet in actis causae.

Can. 1661. - Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, habeat necesse est a parte vel a iudice commissionem ad instar mandati procuratorii, de qua in actis constare debet.

Can. 1662. - Nisi speciale mandatum habuerit, procurator non potest renuntiare actioni, instantiae vel actis iudicialibus, nec transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre aut referre iusiurandum, et generatim ea agere pro quibus ius requirit mandatum speciale.

Can. 1663. - Tum procurator tum advocatus possunt a iudice, dato decreto, repelli sive ex officio sive ad instantiam partis, iusta tamen de causa.

Can. 1664. - § 1. Advocati et procuratores possunt ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.

§ 2. Lata definitiva sententia, ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet.

Can. 1665. - § 1. Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci.

§ 2. Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice vel ab Ordinario poterunt poena pecuniaria mulctari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, destitui et titulo privari.

Can. 1666. - Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, ab officio repellantur, et, praeterea damnorum refectionem, mulcta pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.



131. Inscriptio capitis. — Iuxta ea, quae initio huius tituli fuerunt explicata, oportet considerare inscriptionem, quam praesefert *Caput II*. In Decretalibus inveniuntur tituli XXXVII De po-

stulando, et XXXVIII De procuratoribus in L. I. Eandem priorem inscriptionem adhibebat Justinianus in Pandectis. In cuius tituli L. 1 iuxta celebrem definitionem Ulpiani ibi allatam dicitur: « Postulare autem nihil aliud est quam desiderium suum vel amici sui apud eum qui iurisdictioni praeest in iure sive iudicio exponere, vel alterius desiderio contradicere ». Talis desiderii expositionem vel alterius desiderio contradictionem, quando a parte non exercetur, dupliciter fieri posse liquet, quamvis requisita semper commissione seu mandato partis in causa. Videlicet: ut suppleat huius praesentiam, eadem perficiendo, quae per illum principalem essent adimplenda, vel ita rationes afferens, quae in facto et in iure nitantur, easque taliter disponens, ut quaestioni solvendae in favorem partis lucem afferat convincentem. Hoc ultimum est munus advocati, illud vero procuratoris ad lites. Unde inscribitur Caput: *De procuratoribus ad lites et advocatis.*

Historiam utriusque denominationis ac muneris videsis apud clar. P. Noval [1].

Procurator idem est ac pro alio curator, et Jur. Rom. (l. 1 ff. « De procuratoribus ») definitur: « qui aliena negotia mandato domini administrat ». In qua definitione mandati nomine, sicut, in iure, intelligitur: « commissio quaedam a domino facta alteri personae, quae illam voluntarie acceptat », unde contractus quidam est. De eodem ait l. 1 ff: « mandatum, nisi gratuitum, nullum est; nam originem ex officio et amicitia habet: contrarium porro est officio merces; interveniente enim pecunia res ad locationem et conductionem potius respicit », sed ex l. 6 eiusdem tituli ff.: « si remunerandi gratia honor intervenit, erit mandati actio », atque hinc deducitur: remunerationem procuratori dandam non esse contrariam naturae mandati. — Cum aliena negotia diversi generis esse queant, hinc sumitur procuratorum distinctio in procuratorem extraiudicialem seu ad negotia et in procuratorem ad lites seu iudicialem, de quo agitur in hoc Codicis capite.

Advocatus idem sonat ac vocatus ad praestandum auxilium in quod ipse potens consentit. Sed in hoc Codicis libro, qui de iudiciis agit, restringitur significatio propter naturam auxilii praestandi. Expetitur quidem ab alterutro ex litigantibus ad hoc, ut ei qua tali seu coram iudice praesto sit, allegando illa iuris testimonia, vel considerationes in facto, quae litigantem faveant in consecutionem intenti agendo vel respondendo. Hinc exigitur

[1] Commentarium Cod. Iur. Can. De Processibus, n. 266 et seqq.

in Advocato iuris praesertim canonici peritia, quapropter ita appellantur huiusmodi periti, etiam quando actu non exercent munus suum in aliquo tribunali, dum tamen illud munus profiteantur.

132. Canonum coordinatio sic procedit. Necessitas utendi advocato vel procuratore edicitur cum moderatione in can. 1655, subsequente can. 1656 de numero eorumdem permisso. Qualitates praescripto iuris possidendas a procuratore et advocato enumerat in genere can. 1657, speciales pro diversitate iudicii edicit can. 1658. Mandatum respiciunt can. 1659-1662, et quidem can. 1659 cum can. 1660 mandatum procurationis, can. 1661 mandatum advocati, atque can. 1662 mandatum speciale necessarium in procuratore ad quosdam actus. Finis eorum munerum consideratur in can. 1663 ex voluntate iudicis, et in can. 1664 ex parte eius a quo advocatus et procurator constituti sunt. Quaedam illis vetantur in can. 1665, et sanctiones edicuntur contra officii proditores in can. 1666.

133. Necessitas advocati vel procuratoris in ecclesiasticis iudiciis regitur norma multiplici, quam continet *can. 1655 § 1. In iudicio criminali*, cuius nempe « obiectum sunt delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2, 2°), apud quodlibet ecclesiasticum tribunal et in qualibet instantia, *reus* contra quem procedatur a) *aut a se* volente *electum* idest designatum inter plures, b) *aut*, se nolente vel ob personam fortassis inidoneam designatam, *a iudice datum* illi ex officio *semper* videlicet ex iuris necessitate, ac non solum in causa disciplinari iuxta Instr. S. C. EE. et RR. n. 31 [1] etiamsi reus in iure peritus sit, unde per se ipsum valeat suae defensionis sufficienter consulere [2] *habere debet* pro omnibus actibus *advocatum* iuxta datam superius notionem.

Parem necessitatem sic inducit § 2. *Etiam in iudicio contentioso*, quando videlicet « personarum physicarum vel moralium (sunt) iura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta iuridica declaranda » (can. 1552, § 2, 1°), cum limitatione: *si agatur* a) *de* illis personis, sive physicis « infra vicesimum primum aetatis annum expletum » (can. 88, § 1), seu *minoribus*, quibus « personae morales sive collegiales sive non collegiales aequiparantur » (can. 100, § 3), *aut* « agatur » b) *de iudicio*, ut in paragraphi initio, sed *in quo bonum publicum vertitur*, v. gr. « in causis respicientibus validitatem matrimonii, Sacrae Ordi-

[1] 11 Iun. 1880. — [2] Regulae servandae... 4 Aug. 1910, § 109, n. 2.

nationis et professionis religiosae » [1], *iudex*, ordinarius vel delegatus, unipersonalis vel tribunal collegiale, a) *parti*, actori vel reo, *carenti defensorem*, v. gr. « quia pars praedicti monasterii proposuit, quod habere non poterat advocatum, vestrum super hoc implorando officium » [2], vel quia negligit illum habere, aut non vult, *ex officio attribuat* pro causa illa, unde « concesso quoque, si opus fuerit, gratuito patrocinio » [3], quia est canonis praeceptum, *aut* b) *si casus ferat*, v. gr. propter expertam negligentiam advocati designati a parte, vel gravem contra illum suspicionem, unde *aprti etiam habenti alium* iam habito *adiungat*, semper subintellecta iudicii contentiosi alterutra conditione minoris vel ordinis publici quod in illo vertitur.

Innoc. IV in Gen. concilio Lugdunensi [4] ait: « Iuris esse ambiguum non videtur, iudicem delegatum (qui a Sede Apostolica mandatum ad hoc non receperit speciale) iubere non posse alterutram partium coram se personaliter in iudicio comparere: Nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniae faciendo, vel alias iuris necessitas partes coram eo exegerit personaliter praesentari ». Hoc ius de procuratoribus retinet ampliatum § 3. *Praeter hos* §§ *1* et 2 *casus*, qui de advocati statuerunt necessitate, tum « in iudicio criminali », tum « etiam in iudicio contentioso » iuxta declaratam distinctionem causarum, *pars*, actor reusque, utens reg. iuris 72 in 6°: « qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum » quoad advocatum, aut altera 68 in 6°: « Potest quis per alium quod potest facere per seipsum », seu ut prosequitur canon: *libere potest* suipsius a) *advocatum* proprie dictum *et* b) *procuratorem* ad lites, quin de hoc loquantur praecedentes paragraphi, servatis canonibus, qui sequuntur de mandato et qualitatibus illorum, *constituere* iure, *sed potest quoque in iudicio* tam criminali quam contentioso *per se ipsa* « pars » supra declarata *agere* in hoc iudicio, *et respondere* in utroque, etiam sine advocati adiumento, quando istud non praescribitur in §§ 1° et 2°, *nisi* ulterior exceptio ab homine accidat, videlicet *iudex* huius singularis causae a) *procuratoris* alias non requisiti, *vel* b) *advocati* etiam quando iure non praecipitur *ministerium necessarium* quolibet prudenti motivo *existimaverit*, v. gr. in causa contentiosa monialis non professae sollemniter. Ait enim [5] Bonif. VIII: « Ceterum foeminae religiosae,

[1] Regulae servandae in iudiciis apud S. R. Rotae Tribunal, 4 Aug. 1910, § 123, n. 2. — [2] Cap. 1 « de officio iudicis » (I, 32). — [3] Cap. 1 « de iudiciis » (I, 32) X. — [4] Cap. 1 « De iudiciis » (II, 1) in 6°. — [5] Cap. 2 « De iudiciis » (II, 1) in 6°.

praesertim quae debent sub clausura morari, extra suum monasterium vel clausuram non vocentur ad iudicium vel trahantur ex quavis causa personaliter: etiamsi ad hoc voluntas accederet earumdem ».

De procuratore constituendo iussum continet pro quodam casu § *4. At Episcopus*, « cuius nomine venit quoque Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, §2), *si quando in causa est*, sive propria ratione sive ratione « ecclesiae cathedralis aut mensae episcopalis » (can. 1653, § 1), *aliquem* iure idoneum *constituat* legitimo mandato, *qui eius* Episcopi *personam*, qua actorem aut conventum, *procuratorio nomine*, quamvis necessarius procurator aliunde non sit, *gerat*. Quod statutum est in honorem ipsius dignitatis, sicut Conc. Trid. [1] « statuit et decrevit: Episcopus, nisi ob causam, ex qua deponendus sive privandus veniret, etiamsi ex officio, aut per inquisitionem, seu denunciationem, vel accusationem, sive alio quovis modo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur vel moneatur ». Immo Pius IV [2] statuit « ut quando resederint (illi), etiam praetextu quorumcumque delictorum... per eos quomodolibet commissorum, ad comparendum personaliter in Romana Curia per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos, etiam S. R. E. Cardinales nisi vigore specialis commissionis manu... Romani Pontificis pro tempore existentis signatae, trahi, aut citari non possint... » equidem in iudicio criminali.

134. De numero procuratorum et advocatorum. — In cap. 6° « de procuratoribus » (I, 19) in 6°. legitur: « Si duo procuratores simul (non adiecto in solidum) deputentur, unus sine altero non debebit admitti ». Hoc ius de procuratore ad lites abrogat *can. 1656. § 1. Unicum* ad singularem litem, « ad plures vel ad omnes causas generaliter constitutum » (cap. 3 tit. cit. in 6°), *quisque* iuxta can. praec. *potest eligere* suipsius *procuratorem*, et hinc sequitur adhuc vigere quod « in procuratoribus diversis temporibus constitutis; dato posteriori, prioris esset procuratio revocata », ut asserit Greg. IX [3].

Bonifacius VIII sic constituit [4]: « Licet autem a procuratore post litem contestatam ab eo, possit (cum sit dominus litis effectus) dari alius procurator: antea tamen non potest, nisi in rem suam sit datus: vel a domino substituendi alium (etiam certa non expressa persona) sibi fuerit concessa potestas. Procurator datus ad negotia, potest libere quandocumque alium deputare ».

[1] Cap. 6 sess. XIII de Ref. — [2] Const. « De salute gregis » 4 Sept. 1560, § 3. Cod. Iur. can. Fontes, I, 98. — [3] Cap. 14 « de procuratoribus » (I, 38). — [4] Cap. 1 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°.

De procuratore ad lites nunc viget sine distinctione ob litis contestationem, quod prosequens canon sic praescribit: *qui* « procurator » electus *nequit* iure *alium sibimet* qua tali *substituere*, et hinc esset substitutio invalida, *nisi expressa* in mandato ipso, vel alias *facultas*, quae constet, *eidem* procuratori praedicto *facta fuerit*. Si haec data fuerit facultas, attendatur oportet cap. 3 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°, quod censemus hic implicite contentum.

En tenor ipsius: « Is, qui a procuratore super hoc a domino potestatem habente procurator extitit substitutus, non potest post mandatum susceptum, etiam si eo usus non fuerit... ulterius revocari ab illo: Nisi revocandi potestas concessa fuisset eidem. Verum si cum ad plures, vel ad omnes causas generaliter constitutus fuisset, in una tantum substituerit earundem, in aliis nequaquam prohibetur procurationis officium exercere ».

§ 2. *Quod si*, contra praescriptum praec.^{s} §^{i} absolutum, *iusta causa suadente*, quae proinde erit fallentia illius normae, *plures*, « duorum saltem numero » (reg. iuris 40 in 6°) *ab eodem*, qua actore vel reo, *deputentur*, unico vel successivo mandato, quod prioris firmitatem velit, *hi ita constituantur* tenore mandati, *ut detur inter eos locus praeventioni*, idest: ne simul in eadem causa sint admittendi, sed saltem sit applicanda regula: iuris 54 in 6°: « Qui prior est tempore, potior est iure ».

Posset deservire etiam const. Bonifatii VIII [1] sequens: « Secus (seu « unus sine altero debebit admitti ») si sint in solidum constituti: sed tunc illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primitus occupabit. Post occupationem autem huiusmodi, alter se intromittere nequibit ulterius: cum ille litis dominus sit effectus, nisi dictum in constitutione fuisset, quod non fieret melior conditio occupantis: tunc enim si eum, qui occupavit, infirmari, mori, absentari, vel alias impediri contingat, aut si prosequi forte nolit, poterit alter suscipere ac perficere negotium ab alio inchoatum: dum tamen alio non fuerit alius substitutus, nam si sit, is praeferri debebit eidem ».

Denique regulae iuris 20 in 6°: « Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur » consonat § 3. *Advocati autem* pro eorum munere defendendi partem *plures simul* admittendi quolibet in iudicio ecclesiastico *constitui* legitimo mandato unico vel successivo *queunt* « ab eodem » (§° praec.).

[1] Cap. 6 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°.

§ *4* congruit capiti 4 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°, quia huius initium est: « Qui ad agendum et defendendum, ac generaliter ad omnia, etiamsi mandatum exigant speciale, constituitur procurator ». Praescriptum vero canonis est: *Utrumque munus* in se, eosdemque designat *procuratoris* ad lites *et advocati* iuxta capitis inscriptionem, non solum simpliciter coniungi, sed *etiam* a) *in eadem causa*, subintelligendo eiusdemque instantiae *et* b) *pro eodem*, (sive physica, sive persona morali), *cliente* sic vocato veluti qui participet ministerio eiusmodi cum aliis, erga quos exerceatur per eumdem advocatum vel procuratorem, *eadem persona*, dummodo utriusque qualitatum praedita, *exercere* iure *potest*. Quod proinde a iudice vel Ordinario vetari nequit hac solum ratione.

135. De idoneitate personae ad alterutrum munus conditus est *can. 1657*. Ad procuratorem quod attinet valet adhuc principium enunciatum in cap. 1 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°: « Non indiscrete iudex censetur egisse, procuratorem laicum ad agendum vel defendendum in causis spiritualibus admittendo: Cum regulariter qui non prohibetur expresse ad exercendum procurationis officium, idoneus debeat reputari ». Porro quamvis canon positivas enumeret qualitates, implicitas prohibitiones indirecte exprimit pro persona, quae illarum unaquaque destituatur. Sic igitur erit interpretandus § *1. Procurator* ad lites vi inscriptionis capitis *et advocatus* in causis *esse debent* a) *catholici*, nempe: valide baptizati, atque professione fidei et subiectione erga Ecclesiam praediti, sive clerici, sive laici, et « nedum vero ad negotia, sed etiam ad iudicia potest filius familias absque patris assensu fieri procurator » [1], b) *aetate maiores*, idest: qui « vicesimum primum aetatis annum expleverunt » (can. 88, § 1), sicuti scriptum est in cap. cit. Decretalium: « Licet autem quis post decimum septimum annum procurator ad negotia licite deputetur (ex iure civili tunc vigente), ad iudicia tamen, nisi maior vigintiquinque annis fuerit, deputari nequibit », c) *bonae famae*, id est: « bonae existimationis quoad mores apud fideles probos et graves » (can. 2293, § 3), in canonibus enim de poenis « nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur:... partes agere... advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis » (can. 2256, 2°), et in cap. un. « de poenis » Extrav. Ioannis XXII de unoquoque ibi designatorum dicitur: « perpetuo sit infamis: ut nec ad testimonium vel alios actus legitimos admittatur »; atque canon

[1] Cap. 5 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°.

subiungit quamdam praescripti exceptionem sequentibus verbis: *acatholicus*, vel quia non valide baptizatus, vel quia defecit a fide aut a subiectione saltem erga Romanum Pontificem, et alterutrum ex inaequivoca professione externa schismatis vel doctrinae contra dogma definitum, *non admittitur* iure ad alterutrum munus, *nisi* a) *per exceptionem* in casu *et* b) *ex necessitate* physica vel morali ad illum admittendum.

Aliam qualitatem requirit § 2. *Advocatus*, pro isto ergo solo munere, *debet* ex praescripto iuris *praeterea*, seu ultra requisita §[i] praec.[is], *esse* a) *doctor vel* b) *alioqui vere peritus*, licentiatus sit necne non refert, sed praecise ac *saltem in iure canonico*, verbo « saltem » innuente praeferendum esse illum qui et ius civile patrium, vel ius romanum, calleat.

Ad hunc locum pertinet can. 44 Legis propriae [1]: « § 1. Advocati proprii ac nativi Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae sunt advocati consistoriales. § 2. Admittuntur tamen et alii sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in canonico iure instructi, post triennale tyrocinium vel qua adiutores penes aliquem ex Auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint, a Sacrae Rotae decano et ab uno ex notariis subsignatum, ac iusiurandum coram rotali Collegio dederint de munere ex conscientia implendo ».

Innoc. III Compostellano rescribit: [2] « Ex parte tua nobis fuit propositum, quod quidam canonici regulares, non solum in ecclesiasticis, verum etiam in forensibus causis, praesumunt advocati officium exercere. Cumque obiicitur eis quod non debent esse forensis vel ecclesiastici negotii susceptores vel exequutores, nisi forte id monasterii exposcat utilitas, abbate nihilominus imperante, ad suam proponunt insolentiam excusandam, quod capitulum illud per quod praedicta prohiberi videntur, de monachis non de canonicis regularibus loquitur manifeste. Unde consultationi tuae taliter respondemus, quod idem iudicium de canonicis regularibus, quod et de monachis, quantum ad supradicta credimus observandum, licet de monachis in canone specialiter sit expressum ».

Clemens V in Conc. Viennensi [3] constituit: « Religiosus procurator, etsi per alium religiosum sui vel alterius monasterii fuerit constitutus, sicut non potest sine sui superioris licentia procurationis officium suscipere, nisi pro suo in eadem lite consorte,

[1] 29 Iun. 1908. — CO. I, 32. — [2] Cap. 2 « de postulando » (I, 37) X. — [3] Cap. 3 « de procuratoribus » (I, 10) in Clem.[6]

ita non potest alium procuratorem constituere seu substituere, etiam si per constituentem hoc sibi expresse fuerit commissum ».

Huic iuri veteri plane congruit § 3. *Religiosus*, seu « qui vota nuncupavit in aliqua religione » (can. 488, 7°) *admitti* in foro iudiciali, qua « procurator et advocatus » (§ 1) *potest* ad ius quod attinet, *nisi* aliud contrarium vel diversum pro alterutro vel utroque munere *in constitutionibus caveatur*, quae proinde vim suam servant, *in causis* agitatis « in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae » religionis (can. 139, § 3, 592), sed *tantum* a) *in quibus vertitur utilitas suae religionis*, etsi propter bonum ipsius religiosi, b) *de licentia tamen Superioris* cuiuslibet proprii.

136. Approbatio necessaria est obtinenda quandoque ab Ordinario vel a iudice. Id explicat cum distinctione *can. 1658*. Attamen de procuratore ad lites in genere agit § *1. Quilibet pro lubitu* eligentis *a parte*, actore aut reo convento, etiam antequam lis moveatur, sive viro sive femina, laico aut clerico, *potest* iure *eligi* inter plures *et deputari* per legitimum mandatum *procurator* ad lites, eo quod canon loquitur de « parte » et iuxta capitis inscriptionem, a) *dummodo*, ut valeat deputatio, *secundum praecedentem canonem* in §§ 1 et 3 *idoneus sit* ad tale munus gerendum, quapropter aliae qualitates naturales ex munere praesupponuntur, b) *quin opus sit* iure *ut Ordinarii* ad normam can. 198, § 1 *approbatio* de persona *antecesserit* electioni et deputationi. Quod non obstat, quin iudex ob causam iustam illum non admittat.

§ 2. *Advocatus autem*, eo quod canon adversative ad §^{i} 1^{i} praescriptum disponat, etiamsi « idoneus sit » et huic ministerio se devoverit, *ut ad patrocinium* in exercitio illius muneris *admittatur* apud tribunal primae instantiae sive ordinarium, sive ab Episcopo delegatum, *indiget approbatione Ordinarii* loci ad normam can. 198, § 1, quin sufficiat approbatio Officialis, *quae* approbatio a) *aut generalis sit ad omnes causas* fori ecclesiastici, *aut* b) *specialis pro certa causa* contentiosa aut criminali. Posset esse quoque peculiaris ad quasdam causas, v. gr. matrimoniales, solas contentiosas, aut solas criminales, quia iuxta reg. iuris 53 in 6°: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus ».

§ 3. *In iudicio* contentioso aut criminali cuiuslibet instantiae *coram Sanctae Sedis* ad normam can. 7 *delegato, ipsius delegati est*, quod implicite continetur in rescripto illius delegationis, *approbare* quoad idoneitatis recognitionem *et admittere* ad exercendum munus in illa singulari causa, *advocatum* praeditum forsitan

« approbatione Ordinarii » de qua in §° prec.[1], *quo pars* actor vel reus conventus *uti* velut defensore *se velle ostenderit* verbotenus vel scripto.

§ *4. Procurator et advocatus* iuxta capitis inscriptionem I° *in causis* contentiosis *quae ad normam can. 1579*, §§ *1*, scilicet: « inter religiosos exemptos eiusdem religionis clericalis » *et 2*, nempe: « inter duas provincias », vel « inter duo monasteria », *aguntur in religionis tribunali*, videlicet: coram Superiore provinciali, vel a constitutionibus dato, aut Abbate locali ex « § 1 », et coram supremo religionis Moderatore vel supremo Moderatore congregationis monasticae propter « § 2 », a) *eligendi sunt* ob canonis praeceptum *ex eadem religione*, in quam partes vota nuncuparunt, *et* b) *ante patrocinii susceptionem*, seu muneris alterius utrius exercitium, *approbandi* « sunt » tamquam idonei *ab eo*, Superiore supra declarato vel eiusdem delegato, *qui partes* seu officium *iudicis in causa* illa singulari *agit;* II° *in causis vero* etiam contentiosis, *quae ad normam eiusdem canonis* § *3*, hoc est: « inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut etiam inter religiosos eiusdem religionis non exemptae vel laicalis, aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum », *apud tribunal Ordinarii loci* ad normam can. 198, § 2, sed excluso Vicario generali, et econtra comprehenso « officiali qui unum constituit tribunal cum Episcopo loci » (can. 1573, § 2), *pertractantur*, *admitti potest*, tanquam « procurator et advocatus, dummodo secundum precedentem can. idoneus sit » ex eadem religione, aut *etiam religioni* unius vel utriusque litigantis *extraneus*, idest non religiosus, clericus vel laicus.

137. De mandato procuratoris ad lites sunt plures Decretalium textus, quos praenoscere oportet. Et primus sit cap. 5 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°. Bonif. VIII inquit: « Qui generaliter constituitur ad negotia procurator, agere ac experiri potest, exceptis his casibus, qui mandatum exigunt speciale ». Idem Pontifex in cap. 4 cit. tit. haec habet: « Qui ad agendum et defendendum, ac generaliter ad omnia, etiam si mandatum exigant speciale constituitur procurator: ex vi generalitatis huiusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed si aliquis vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, adiecta clausula generali: tunc ad non expressos etiam admittetur. Procurator quoque absque speciali mandato iuramentum deferre, transigere vel pacisci non potest: nisi ei bonorum, vel causae administratio libere sit concessa ».

Insuper Greg. IX episcopo Lexonen. rescribit [1] de quodam Priore, « qui recepto libello illicentiatus recessit, quemdam procuratorem dimittens solummodo ad agendum, quem cum Auditor ipse per mandatum procuratorium sibi datum, ad defendendum Priorem sufficientem non viderit, eum ex hoc reputans contumacem, ipsum.... condemnavit... et infra. Nos autem finem litibus imponere cupientes, et quod ab auditore praefato factum esse dignoscitur approbantes... ». E converso Honorius III hoc promit iudicium [2]: « Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum Mutinensis episcopus in Livoniam profecturus, vos vicarios suos et procuratores constituerit generales, vobis volentibus agere contra detentores bonorum Episcopi Mutinen. vel contra illum agentibus respondere, frequenter opponitur quod hoc facere non potestis, pro eo quod in instrumento vicariae, sive procurationis huiusmodi non exprimitur quod episcopus ipse constituerit vos syndicos vel actores: et infra. Nos igitur ex tenore ipsius instrumenti liquido cognoscentes quod intentio fuerit ipsius episcopi, dare vobis agendi et respondendi pro ipso liberam potestatem, exceptionem huiusmodi penitus reprobamus ».

De procurationis vero tenore servando haec edixit Gregorius in cap. 1 cit.[1] tit.[1]: « Quia ergo hoc (ibidem relatum) cautiores nos esse praemonuit, instructam personam cum mandato legaliter facto, et presbyterorum seu diaconorum, testiumque subscriptionibus roborato gestisque ex more indicto transmitte, ut quidquid cum ea actum fuerit, iure subsistat ».

His praesuppositis accessus facilis patet, ut rite sit *can. 1659* interpretatus. — § *1. Procurator* ad lites, eo quod additur *ne prius a iudice* cuiuslibet iudicii ecclesiastici *admittatur* ad agendum vel respondendum, etsi alioquin idoneus, *quam* a) *speciale* verbis saltem sufficienter exprimens munus in singulari causa, et an ad agendum vel ad respondendum etiam, b) *mandatum ad lites*, nec sufficit illud quo « generaliter constituitur ad negotia procurator » (cap. 5, I, 19, X), c) *scriptum*, ut « ex tenore ipsius instrumenti liquido cognoscatur intentio constituentis » (cap. 9, I, 38, X), et permissio est: *etiam in calce ipsius citationis*, « quae remittitur reo convento » (can. 1716), d) *mandantis subscriptione munitum, et* e) *locum subscriptionis, diem, mensem et annum referens*, haec omnia ad mandati sufficientis validitatem requisita sunt, f) *apud tribunal* coram quo agitandum est iudicium *deposuerit*.

[1] Cap. 12 « de procuratoribus » (I, 38) X. — [2] Cap. 9 « de procuratoribus » (I, 38) X.

Necessitati supplendi quoddam requisitum providet § 2. *Quod si mandans scribere nesciat*, vel quod in idem redit, nequeat, a) *hoc ipsum ex scriptura constet*, qua exprimitur mandatum, *et* distiunctive b) *parochus* loci, ubi fit scriptura, *vel notarius Curiae* dioecesanae « ad quaelibet acta, aut ad acta iudicialia dumtaxat, aut ad acta tantummodo haec conficienda constitutus » (can. 373, § 2), *vel duo testes* cum naturalibus qualitatibus ad fidem de contento faciendam, *loco mandantis* in casu, *mandatum* per quemcumque scriptum modo in § 1 praescripto *subsignent*.

138. De tali mandato servando, est *can. 1660. Mandatum procurationis* quod bene determinavit can. praecedens ut legitimum sit, *asservari debet in actis causae*, « quae meritum quaestionis respiciunt » (can. 1642, § 1), nam vi ipsius mandati procurator est in iudicio idem ac ipse mandans.

139. De commissione advocato danda. — Lex propria [1] S. R. Rotae et Signaturae Apostolicae continet can.^{m} 18^{m} cuius § 3 talis est: « Advocatus, aut qua consultor et adsistens, aut qua patronus, cui causa defendenda ex integro commissa maneat, a parte eligi potest: in utroque casu tradi ei debet mandatum in scriptis, quod exhibendum est tribunali, et servandum in actis ».

Generaliter loquitur *can. 1661. Advocatus* iuxta inscriptionem capitis, *ut causae* cuiuslibet pro actore aut reo *patrocinium* pro munere suo *suscipiat* cum effectu, *habeat necesse est* ex canonis praescripto *a parte* patrocinanda *vel a iudice* coram quo causa singularis agitatur, *commissionem* ad hoc *ad instar mandati procuratorii*, cuius sollemnitates recensentur in can. 1659, quae servandae proinde sunt in legitima commissione praedicta, *de qua* existente atque exhibenda *in actis constare debet* testimonio actuarii, quin necesse sit ut illa commissio scripta « apud tribunal deponatur », sicut in cit. can. iussum fuit de mandato procuratorio.

140. Limitationes mandati procuratoris recenset *can. 1662* concinens et explicans in materia iudiciali reg. iuris 81 in 6°: « In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus ». Secundum veteris iuris disciplinam, etiam nunc recenset illas limitationes quoad procuratorem legitimo mandato ad lites munitum *can. 1662. Nisi speciale* ad unumquodque sequentium expressum *mandatum habuerit* a parte procuratorem constituente, « sed si aliquis vel aliqui de articulis huiusmodi specificati fuissent, adiecta clausula gene-

[1] 29 Iun. 1908. CO. I, 24.

rali: tunc ad non expressos etiam admittetur » (cap. 4, I, 19 in 6°), quae interpretatio iuris veteris, « quod ex integro refert canon » (can. 6, 2°), valet, *procurator* rite constitutus ad lites iuxta can. 1659, *non potest* « speciali mandato ad lites » solo propter canonis vetitum, *renuntiare* a) *actioni* ad quam exercendam constitutus fuit, et quae est ius petendi in iudicio aliquam rem vel ius, quae sint propria mandantis vel ab eodem possessa, b) *instantiae*, cuius « initium fit litis contestatione, finis autem omnibus modis, quibus iudicium terminatur » (can. 1732), *vel* c) *actis iudicialibus*, id est: « processus actis... sive omnibus sive nonnullis tantum » (can. 1740, § 1) nomine sive actoris sive rei, cuius sit procurator, et quidem « ut valeat renunciatio » alterutra (can. cit. § 2), *nec* potest d) *transigere* cum altera parte, ut « lis componatur (can. 1625, § 1) de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt » (can. 1927, § 2), e) *pacisci* de iisdem rebus litigiosis vel de actibus iudicialibus, quin transactio proprie fiat, f) « nec » *compromittere* in arbitros de quo actu agit caput II, ti.[1] XVIII, g) *deferre aut* sibi delatum *referre* alteri parti *iusiurandum* sive « suppletorium » in can. 1829 declaratum (can. 1830, § 3, 1831, § 1), sive « decisorium », quod explicatur in can. 1834, et « referri in adversarium » permittit can. 1836, § 1, *et generatim* h) *ea agere* « procurator non potest » ut supra declaratus est, *pro quibus ius* Codicis aut particulare, scriptum vel consuetudinarium, uno verbo obiectivum obligans *requirit* expresse, tum explicitis verbis, tum implicite sub alio praescripto *mandatum* ad illud peragendum *speciale*.

141. De reiectione procuratoris et advocati. — Canones 1658 et 1659 loquuntur de admissione huius et illius per iudicem aut Ordinarium, etiam quando iidem sunt idonei et mandatum obtinuerunt. Modum agendi praescribit iudici *can. 1663. Tum procurator* ad lites vere talis ob mandatum procuratorium *tum advocatus* cum commissione ad instar illius mandati, *possunt a iudice*, sive quando tractatur de admissione alteriustrius, sive postquam fuerunt admissi, sed a) *dato decreto*, ut istud definitur in can. 1868, § 2, *repelli* sub disiunctiva sequenti b) *sive ex officio*, quin talis repulsio expetatur, *sive ad instantiam partis* oppositae mandanti, in alterutro vero casu c) *iusta tamen de causa*, seu ad illam repulsam proportionata ex rationabili iudicis mente, quin necesse sit eam in decreto exprimere, quia quando Codex contrarium voluit, idipsum expressit.

142. De revocatione procuratoris et advocati optimam doctrinam invenimus in decisione Sacrae Rotae [1] « Romana manutentionis et solutionis » coram de Petro (15 Martii 1847): « Quaeritur, num Piorum Locorum Causidici seu ad lites Procuratores valeant ab eorum munere pro arbitrio deiici, seu potius sint in eodem perpetuo reservandi... At non multis quidem opus erat ut evinceretur eorum officium revocabile prorsus esse. Siquidem cum Procurator ad lites in omnibus, ac per omnia habeatur ad instar Mandatarii cumque ad textum expressum in l. 22 § 16 ff. mandati, extinguatur mandatum immutata Mandantis voluntate, sequitur profecto ut quotiescumque Mandator existimet non esse amplius fidem praestandam Mandatario vel Procuratori, possit ille mandatum sua voluntate arbitrioque revocare. Bonis namque moribus, et naturali rationi repugnaret ut propriae familiae arcana, negocia, et lites ab eo exercerentur quem Procuratorem amplius esse nolumus, et cuius fides suspecta nobis evasit. Hac itaque de causa prudentes inter invaluit, ut precaria haberetur quasi possessio, qua versatur Procurator quoad mandati exercitium, proptereaque ad tradita per Rotam in Romana Manutentionis 11 Iun. 1792, n. 2 coram Resta, Procuratori nunquam manutentio impertiri soleat, dum de revocato mandato, et immutata Mandantis voluntate legitime constat ». Eaedemque rationes urgent de Advocato « qui habeat necesse est commissionem ad instar mandati procuratorii » ex can. 1661.

His rationibus et secundum reg. iuris 1 « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », atque sublata distinctione inter tempus ante et post litem contestatam, quae invenitur in cap. 2 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°, statuit *can. 1664. § 1. Advocati et procuratores* ad lites rite deputati a parte vel a iudice *possunt* semper *ab eo a quo* in causam tales *constituti sunt* per mandatum etsi asservatum in actis, vel in eis constans, a) *removeri* per actum expressum revocationis mandati, b) *salva obligatione* illius, cui favebat eorum ministerium, *solvendi honoraria* iuxta vigentes taxas in eodem tribunali *ipsis*, nempe alterutris *debita* propter servitium praestitum. Attamen cavendum fuerat, cum agatur de foro externo iudiciali, ut removeantur inconvenientia, quae ex tali remotione qualitercumque facta enasci possent. Et hoc habetur in secunda eiusdem paragraphi parte. Videlicet: *verum ut remotio*, tum advocati, tum procuratoris pro arbitrio mandantis peracta *effectum* iuris in

[1] Bizzarri: Collectanea. S. C. EE. et RR. Anagnina 13 Sept. 1861 in nota.

praedicto foro *sortiatur*, *necesse est* quandocumque a) *ut ipsis* procuratori advocatoque remoto *intimetur* tali modo, ut constare possit, proinde remotio sit expressa, nec sufficit tacita, quam interpretatur cap. 8 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°, *et* b) sub conditione: *si lis iam contestata fuerit*, quam moderatur tit. VII, *iudex* pro cuius tribunali praedicti fuerant constituti, *et adversa pars* in eadem singulari causa, quorum praecipue interest cognitio, *certiores facti sint* modo sufficienti *de remotione* peracta.

In cap. 14 « de procuratoribus » (I, 38) X ait Greg. IX: « Potuit quoque is (procurator rite constitutus) et debuit a sententia, in eo quod lata extitit contra ipsum, nostram audientiam appellare, vel (si iusta causa excusabat eundem) saltem domino contestari, ut ad appellationis beneficium convolaret. Licet appellationem prosequi non tenetur invitus ». Hoc « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) § 2. *Lata definitiva sententia*, vel interlocutoria, quae vim habeat definitivae, eo quod ea « iudex principalem causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit » (can. 1868, § 1), *ius* ex mandato procuratorio ad lites, *et officium* ratione muneris, *appellandi* proprie a sententia, quemadmodum definitur appellatio in can. 1879, sed veluti procurator, *si mandans non renuat* fieri appellationem, *procuratori*, sive pro actore sive pro reo gerat munus, *manet* utpote contentum implicite in supradicto mandato.

143. De pactis partes inter et advocatos ac procuratores agit *can. 1665*, qui propter additam sanctionem est vere poenalis.

Greg. IX haec edixit [1]: « Cum igitur cessiones et emptiones litium legitimae prohibeant sanctiones, ita quod iactura causae afficiant illos, qui sibi potentiorum patrocinium taliter advocare praesumunt, et ex eo sint etiam odiosae, quod ex fonte cupiditatis videntur procedere ». Merito igitur [2] Lex propria S. R. Rotae et Signaturae Apostolicae sic statuit in can. 15, § 3: « Nefas eisdem (advocatis) est emere litem, aut de extraordinario emolumento vel immodica rei litigiosae parte sibi vindicanda pacisci. Quae si fecerint, praeter nullitatem pactionis, a Sacra Rota congrua poena multari possunt, iuxta sequentem canonem », ubi dicitur: « qui (advocati), ex voto eiusdem Collegii (disciplinae, quod ibidem designatur), a S. Rota reprehensionis nota inuri, poena pecuniaria mulctari, suspendi, vel etiam ex albo advocatorum expungi poterunt ».

[1] Cap. 2 « de alienatione iudicii mutandi causa facta » (I, 43) X. — [2] 29 Iun. 1908. CO. I, 32.

Hanc disciplinam ad omnia tribunalia ecclesiastica, quoad procuratores pariter et advocatos extendit Codex. § *1. Vetatur* per hunc canonem *uterque*, idest: « advocatus et procurator » (can. 1664, § 1) in quolibet tribunali ecclesiastico, a) *emere litem*, videlicet: pacta pecunia proprias facere res adhuc litigiosas aut iura adhuc controversa, « ne actionis iudicialis turpe fiat commercium... [1] Inde fluit, prohibitum non esse cedere alicui, etsi advocato, causas sive actiones, quando fiat ex aliqua obligatione, puta ex testamento, vel cedere causas omnino liquidas, ex gr. cedere creditum quod ipse debitor confessus est ». Reprobatur quoque « pactum de palmario (nempe victoriae gratia initum) *aut*, prosequente canone, *sibi* « advocato et procuratori » b) *de immodico* seu extraordinario *emolumento* ultra taxam debitam tribuendo a parte, *vel* c) *rei litigiosae parte vindicata*, quod dicitur in foro « pactum de quota litis » in casu victoriae, utpote praemium *vindicata pacisci* cum parte, ante litem contestatam vel postea.

Hoc praescriptum respicere bonum publicum iustitiae in foro cavendae, ostendit § 2, dum ait: *Quae* « pacta » supradicta singula *si fecerint*, uti vetita sunt, a) *nulla est pactio* vi huius saltem canonis, ac proinde nulla obligatio etsi ex conscientia oritur in cliente, qui consensit in illud, *et* b), ut urgeatur praescriptum in singulis casibus, disiunctive *a iudice* competente et exercente in illam singularem litem, *vel ab Ordinario* illius loci, qui supponitur quoque proprius ad normam can. 94, § 1, vel Superiore maiore religionis clericalis exemptae, si huic subiiciatur advocatus vel procurator, *poterunt* hi propter illud pacti delictum *poena* proprie dicta *pecuniaria* et gravi *mulctari*, de quibus mulctis alibi disponetur iure, nempe iuxta can. 2297, hanc « Ordinarii locorum erogare debent in pios usus ».

Prosequitur canon sic: *advocatus*, propter delictum pacti contra §[i] 1[a] vetitum, *praeterea* idest: ultra pactionis huius nullitatem et mulctam pecuniariam, « a iudice vel ab Ordinario poterit » a) *tum ab officio* « advocati » *suspendi* equidem « ad tempus » ut sit poena vindicativa (can. 2291, 10°), quam interpretationem restrictivam suadet altera, quae sequitur: b) *tum etiam*, sed hoc *si recidivus sit* proprie ad normam can. 2208, § 1, *destitui* qua advocatus, ita ut hoc munere in perpetuum non fungatur *et titulo*, potiusquam academico, advocati recognito auctoritative,

[1] Clar. Card. Lega. Praelectiones in Textum I. Can. I, n. 111, 1) 2) 3).

v. gr. in illa Curia vel apud S. Rom. Rotam, ut constat ex huius Lege propria.

144. De horum munerum proditione agit *can. 1666* huius capitis postremus. *Advocati ac procuratores* ad lites secundum capitis inscriptionem, *qui singuli* a) *ob dona* recepta vel sibi promissa, notabilia eo quod munuscula amicitiae vel comitatis gratia ad rem non pertinent, *aut* b) *pollicitationes* v. gr. favorum sibi vel coniunctis, aliarumque gratiarum, *aut* sine alterutris c) ob *quamlibet aliam rationem*, quae excogitari possit influens in eos *suum* respective auterutrum *officium prodiderint*, quod non est solum « grave aliquid admittere » ex ignorantia vel negligentia, sed ex voluntate deliberata contra muneris debitum de facto agere, v. gr. mendacium proferentes damnosum, praetermittentes fatalium tempus, etc. sive inde favor sive damnum proprio clienti obveniat, a) *ab officio* illo advocati vel procuratoris *repellantur* ex canonis praescripto, tam in eadem quam in aliis causis, ad quod iudicium non requiritur, *et* b) *praeter damnorum refectionem*, ad quam in conscientia tenentur, et quae iudicialiter ab eodem exigi potest, c) *mulcta pecuniaria*, quae in can. 2291, 12° enumeratur inter poenas communes vindicativas *aliisve congruis* pro casibus *poenis* huiusmodi *plectantur;* quod est verbum praeceptivum de poena illa determinata hisque indeterminatis, (can. 2223, § 3).

TITULUS V.

De actionibus et exceptionibus.

Can. 1667. - Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua.

Can. 1668. - § 1. Qui ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum in iudicio persequendum titulo agit iuris auctoritate subnixo, actione dimicat quae *petitoria* dicitur.

§ 2. Si vero rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat, eius actio *possessoria* vocatur.

Can. 1669. - § 1. Actor pluribus simul actionibus, quae tamen secum ipsae non confligant, sive de eadem re, sive de diversis, reum convenire potest, si aditi tribunalis competentiam non egrediantur.

§ 2. Reus non prohibetur pluribus exceptionibus etiam contrariis uti.

Can. 1670. - § 1. Actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio ex adverso opponatur.

§ 2. Pariter fas est reo convento in petitorio, actorem reconvenire in possessorio; et viceversa, nisi res sit de spolio.

Can. 1671. - § 1. Item fas est actori, antequam conclusum fuerit

in causa, ab instituto iudicio petitorio regredi ad possessorium adipiscendae vel recuperandae.

§ 2. Imo ex iusta causa iudex etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permittere potest.

§ 3. Iudicis est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaestionem unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis expedire ipsi videatur ad celeriorem et pleniorem iurium tuitionem.

145. Inscriptio Tituli et distributio in capita. — Postquam Codex ordinavit tribunalia sub omni respectu, in quibus iudicia fiunt, et non solum personas ipsa constituentes sed partes in causa cum earum adiutoribus legibus disciplinatas ostendit, iam fit transitus ad materiam seu obiectum iudicii contentiosi, in quo interveniunt actor et reus conventus.

Cum illis cognationem nominis habent verba inscriptionis, quam praesefert *Titulus* V. Videlicet: *De actionibus et exceptionibus*. Haec nomina repetunt originem ex antiquo iure Romanorum, ubi quamplures distinguuntur hae et illae diversis nominibus. Inde transierunt quaedam actiones et exceptiones in Ius canonicum, atque sunt expressae in Codice. Consequens erit, ut utraeque eisdem verbis ac in veteri iure appellatae, ex illo mutuentur sensum ac interpretationem, quatenus canones illud ius referant, cum animadversione prae oculis semper retinenda, praeferenda esse canonum praescripta. Idipsum requirit natura iuriam, quae fori ecclesiastici erunt propria, ita ut etiam sit nunc verum, quod Alex. III monuit [1]. « Provideatis attentius ne ita subtiliter, sicut a multis fieri solet, cuiusmodi actio intentetur inquiratis, sed simpliciter et pure factum ipsum et rei veritatem, secundum formam canonum et Sanctorum Patrum instituta, investigare curetis ». Quicumque ampliorem doctrinam de actionibus et exceptionibus desideret, praesertim « ad antiqua documenta ecclesiastica recte interpretanda », illam potest legere apud Commentarium... de Processibus a P. Noval O. P. conscriptum in hunc Codicis locum.

Actio est qua actor iure talis est, nempe: « ratio seu motivum a lege humana recognita et concessum congruenter iuri naturali societatis, propter quod civis potest agere coram iudice ad obtinendum vel vindicandum proprium ius », seu ut exprimitur in can. 1668, simul cum can. 1552, § 2: « titulus iuris auctoritate subnixus, quo persona physica vel moralis in Ecclesia agit coram tribunali ecclesiastico ad ius suum persequendum vel vindican-

[1] Cap. 6 « de iudiciis « (II, 1) X.

dum ». Hinc actiones sunt diversae pro diversitate iurium huiusmodi, quae sunt obiectum iudicii contentiosi. — Porro cum propter illum « titulum » fidelis potest iure expostulare iudicis ministerium, haec facultas moralis-iuridica potest denominari actio et hoc sensu actio definitur communiter: « ius persequendi in iudicio quod nobis debetur vel nostrum est ». — Actiones quaedam in Codice nomen proprium sortiuntur, aliae vero innominatae relinquuntur, quamvis obtineant fortassis ex iure veteri vel Romanorum nomen peculiare, quod in scholis servari possit. Praeter actiones ad iudicium contentiosum, datur etiam actio criminalis promotori iustitiae reservata, et quae non est ab inscriptione tituli exclusa, ut patebit.

Exceptio per se pertinet ad reum conventum, et innuit defensionem ad eludendam actoris vim, etiamsi illa quoque ordinetur indirecte ad vindicanda propria rei iura.

Canones praeliminares agunt de actionibus et exceptionibus in genere ac de actionum suprema sed maximi momenti divisione, cuius occasione spolii exceptio consideratur. Postea sequuntur, quinque capita de actionibus specialibus, et *Caput I* de actionibus, quae subsidiariae appellari possunt et sunt ad praeveniendum malum, et appellantur iuxta inscriptionem: *De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris. Caput II* etiam speciales actiones considerat de malo vitando, et hinc inscribitur *De actionibus*, quae secundum usum vocantur *ex novi operis nunciatione et damno infecto*. Post easdem duo sequuntur capita, videlicet: *III. De actionibus ob nullitatem actorum* ipso facto et *IV. De actionibus rescissoriis* et de alia, quae similitudinem habet cum illa nempe: *de restitutione in integrum*. Quaedam actiones peculiarem merentur notitiam propter earum frequentiam et legislationem ampliorem, quas moderantur *Caput V. De mutuis petitionibus seu de actionibus reconventionalibus et Caput VI. De actionibus seu remediis possessoriis*. Complementum huius tituli exposcit *Caput VII. De exstinctione actionum*.

146. Canones praeambuli sunt quinque ab invicem dispositi, ita ut de actionibus et exceptionibus in genere normam contineat can. 1667, cui generalem divisionem subdit can. 1668. De cumulatione actionum ab actore et exceptionum a reo agunt can. 1669 1670, et can. 1671 considerat regressum a iudicio petitorio ad possessorium.

147. Generalitas actionis et exceptionis admittitur congruenter iuri antiquo. Sic enim legitur de nudis pactis, quae actione

civili non gaudebant [1]. « Antigonus episcopus dixit: et infra. Aut inita pacta suam obtineant firmitatem aut conventus (si se non cohibuerit) ecclesiasticam sentiat disciplinam. Universi dixerunt, pax servetur, pacta custodiantur ». Et in cap. 3 eiusdem tituli, iuxta summarium dicitur iudici: « Studiose agendum est, ut ea quae promittuntur, opere compleantur ».

Porro *can. 1667* universaliter decernit. *Quodlibet*, sed praesertim quod est erga alterum, *ius* subiectivum, nempe: « facultas moralis aliquid agendi, exigendi, recipiendi vel omittendi proveniens ex lege divina vel ecclesiastica, quae facultas personae in Ecclesia competit », *non solum* a) *actione*, seu facultate morali per hunc canonem concessa vindicandi exercitium illius iuris *munitur* adversus nocentes illud vel impedientes praefatum exercitium, *nisi aliud expresse* in ss. canonibus *cautum sit*, v. gr. de exstinctione actionis ob lapsum temporis, *sed etiam* « munitur quodlibet ius » ex parte rei conventi *exceptione* ad excludendam actoris intentionem, *quae* facultas defendendi ius proprium *semper competit* ei, *et*, quia conveniri et consequenter se defendere non est in arbitrio cuiuslibet, sicuti est in actore persequi ius proprium in iudicio, hinc aequitas prorsus exigit, quod « exceptio » *est suapte natura perpetua*, seu non extinguitur, quamvis aliunde inefficax in casu existat.

148. De generica divisione actionum sufficiat recolere cap. 3 « de probationibus » (II, 19) X in quo Lucius III sic exordiatur: « Ex litteris tuis intelleximus, te et archidiaconum confines habere praebendas in villis, quas singuli singulas possidetis: et praetextu terminorum inter vos controversiam agitari, eo quod dicas eum antiquos fines egressum, partemque tui fundi occupasse; illo in contrarium asserente, se partem eandem fundi possedisse quadraginta annorum spatio inconcusse: tu autem quod per idem tempus quiete illam possederis asseveras: quare utrum incumbat petitori vel possessori probatio, quaesivisti ».

Ad faciliorem canonis interpretationem opportunum erit quamdam divisionem praemittere sub qua comprehendantur omnia humana iura. Fundamentum eius est obiectum, quod respiciunt. Quaedam enim referuntur directe ad propriam personalitatem, quae illis conflatur, et recte vocantur propter hoc *iura personalia*, alia se referunt ad actum vel rem ab alio praestandam vel ponendum, et queunt vocari *iura praestationum*, alia denique res-

[1] Cap. 1 « de pactis » (I, 35) X.

piciunt rem directe personae aliquo iuridico modo devinctam, quae proinde *iura realia* rite appellantur.

His iuribus consequens est illorum exercitium, quod si agatur de iuribus realibus, ostenditur possessione, si vero loquamur de aliis iuribus vocatur quasi-possessio. Nam possessio est proprie detentio rei corporalis, corpore et animo exercita, quae si respiciat rem propriam, quae non habetur, dicitur possessio adipiscenda, si legitima deturbetur, vocatur retinenda, si demum ab ea quis deiectus fuerit, dicitur recuperanda. Verumtamen cum in facto et animo consistat possessio, consideratur multoties in seipsa, faciendo abstractionem de ipsius connexione cum iure reali, cuius sequela deberet illa esse. Alia vero iura tum personalia, tum praestationum, potius quam detentione, actuum repetitione ostenduntur, quae prout apparet vocatur quasi-possessio huius vel alterius iuris.

Nunc facilis cognitu evadit *can. 1668.* § *1. Qui* fidelis vel persona moralis in Ecclesia a) *ad rem* sive spiritualem, sive spirituali adnexam, sive temporalem, *sibi* iure aliquo in ea adstrictam *vindicandam* adversus alterum, *seu* b) *ad ius suum* proprie dictum et quaesitum seu legitime obtentum *in iudicio* « contentioso » (can. 1552, § 2, 1°) *persequendum* idest: ut sibi adiudicetur auctoritate iudicis, *titulo*, (seu motivo) quem pars iudici afferens, *agit iuris* sumpti pro lege, tum divini, sive naturalis, sive positivi, tum ecclesiastici *auctoritate* idest: vi *subnixo*, quatenus actor supponit conditiones lege praescriptas fuisse adimpletas, ut illud ius subiectivum revera oriretur, *actione* hac in alterutra hypothesi *dimicat* adversus alteram partem, *quae* « actio » *petitoria* ex forensi usu ac proprie *dicitur*, quo nomine discernitur ab altera statim declaranda.

§ 2. *Si vero* a) *rei* declaratae in 1° §° *possessionem* proprie dictam, ut supra fuit explicatum, *vel* b) *iuris* declarati in §° citato *quasi-possessionem* sic vocatam ad possessionis verae similitudinem, sicut manet expositum, *postulat* in iudicio, tum adipiscendam ab eo, qui tenetur eam conferre, vel ab altero, qui consecutioni affert impedimentum, tum retinendam contra illam personam quae factis turbat quietam possessionem, tum recuperandam, quando iniuste fuit ab eadem postulans spoliatus, *eius* partis actio *possessoria* proprie *vocatur* propter ipsius obiectum.

149. De cumulatione actionum et exceptionum in eodem iudicio sapienter statuit *can. 1669.* Et primo de actionibus § *1. Actor*, quicumque ille sit, a) *pluribus*, saltem duabus, *simul* propositis in eodem libello litis introductorio, ac propterea in eodem

iudicio, *actionibus* seu titulis diversis, qui iuris auctoritate subnitantur; sed quia non debet agere temere, ac proinde rationabiliter censere debet actionem pro se habere, additur: b) *quae tamen* actiones « simul » adductae *secum ipsae non confligant*, quatenus mutuo elidantur, eo quod si una sit fundata, altera vel alia esset falsa, quia esset prioris negatio, vel illae coexistere iure non concipiuntur, vel comprobatio unius per sententiam ex consequenti praeiudicaret aliam, nec refert c) *sive* actiones cumulatae sint *de eadem re*, *sive* singulae *de diversis* rebus tanquam obiecto, *reum* unum seu eamdem partem, *convenire potest*, ex canonis concessione, qui diminutionem litium et expensarum intendit, salvis legibus, quae bono communi faventes obstare possent, propter quod subiungitur ultimo: d) *si aditi* quoad unam causam legitimi *tribunalis competentiam* seu amplitudinem ipsius iurisdictionis, tum absolutam secundum can. 1558 tum relativam, quae ex can. 1560-1568 et 1579 eruenda est, *non egrediantur* aliae actiones cumulatae.

§ 2. *Reus* conventus *non prohibetur* lege, quod proinde iudex revereri debet, *pluribus exceptionibus*, et quia istae sunt propriae defensiones ad excludendam actionem, additur: *etiam contrariis uti*, quia reus experitur quidquid sperat sibi profuturum esse.

150. De speciali cumulatione actionum possessoriae ac petitoriae datur *can. 1670* iuri veteri congruens. Etenim Coelestinus III [1] sic respondit: « Ad ultimum interrogati fuimus, si iudices deputati, ut de possessione et de proprietate cognoscant, gravibus partium sumptibus parcere cupientes, de utraque commixtim audiant allegationes pariter et testes admittant:... Nos autem (cum hoc sit in iure civili expressum) quod licite possit fieri, respondemus ». Attamen Clemens V in Conc. Viennensi constituit: [2]: « Causa beneficiali per appellationem ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, tam appellanti, quam appellato licere decernimus nedum petitorium, sed et possessorium intentare. Et in spoliantis odium ante causae conclusionem suspendere petitorium a se et ab adversario intentatum, in solo possessorio procedendo ».

En hodiernus canonis textus. § *1. Actor* quilibet *potest* ex iuris concessione *una instantia*, sive prima, sive ulteriori, *cumulare* per libellum in uno iudicio *actiones possessorias* singulas, adipiscendae, retinendae aut recuperandae simul *et petitorias* « sive de eadem re sive de diversis » ad normam can. praec.[s],

[1] Cap. 2 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X. — [2] Cap. un. « de causa possessionis et proprietatis » (II, 3) in Clem.

cum hac limitatione: *nisi spolii exceptio ex adverso* id est: a reo convento *opponatur*, quia hoc in casu « in solo possessorio » hoc recuperandae procedendum est.

In reg. iuris 32 in 6° legimus: « Non licet actori, quod reo licitum non existit ». Ut igitur hoc principium vigeat, paragrapho praecedenti additus est § 2. *Pariter fas est*, seu iure licet, « una instantia » supra declarata, *reo* cuilibet *convento in petitorio* iudicio, *actorem* eiusdem *reconvenire* in litis contestatione ad normam canonum cap. V « de mutuis petitionibus », *in possessorio*, ut videtur circa eandem rem. Ita constat in iure Decretalium. Sic enim legitur in cap. 3 « de probationibus » (II, 19) X, in quo Lucius III doctrinam de quadam actione optimam sic exponit: « Ex litteris tuis intelleximus, te et archidiaconum confines habere praebendas in villis, quas singuli singulas possidetis: et praetextu terminorum inter vos controversiam agitari, eo quod dicas eum antiquos fines egressum, partemque tui fundi occupasse; illo in contrarium asserente, se partem eandem fundi possedisse quadraginta annorum spatio inconcusse: tu autem quod per idem tempus quiete illam possederis asseveras: quare utrum incumbat petitori vel possessori probatio, quaesivisti. Ad quod scire debes, quod iudicium finium regundorum tale est, ut in eo utraque persona vices duorum habeat, videlicet actoris et rei. Unde hinc inde testes produci possunt ad cognitionem iudicis instruendam: quibus examinatis, iudex quos praecellere intellexerit, ad fidem sibi faciendam admittat. Quod si ambarum partium testes sint aeque idonei, possessoris testes praeferentur: cum promptiora sint iura ad absolvendum, quam ad condemnandum: praeterquam in liberali causa, in qua si utriusque partis testes aequales fuerint, pro libertate sententia proferetur, nam possessori probationem aliquando dari, iuris manifesti est: cum iure cautum sit, quod qui obiecerit praescriptionem longissimi temporis (quam nemo recte obiicit, nisi qui possidet) et eam probaverit, in causa debeat obtinere ».

Prosequitur canon: *et viceversa*, quod sic interpretandum est cum verborum declaratione supra posita. « Pariter fas est reo convento » in possessorio « actorem reconvenire » in petitorio, cui praescripto additur exceptio: *nisi res*, nempe actio possessionis *sit de spolio*, nempe agatur de possessione recuperanda.

Normae huius exemplum sit cap. 3 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X in quo Innoc. III sic loquitur archiepiscopo et canonicis Sutrinis: « ... Verum clerici conventualium ecclesiarum civitatis eiusdem, consequenter suam deposuere que-

relam: quod cum in episcoporum electionibus ipsi ac praedecessores eorum consueverint interesse, vos eis renitentibus et exclusis, ad electionem procedere praesumpsistis: quam ob hoc non confirmari, sed infirmari potius postulabant. Partibus igitur apud Sedem Apostolicam constitutis, in auditorum praesentia testes utrinque producti fuerunt: et eorum depositionibus publicatis, pars canonicorum per testes a se productos, intentionem suam, quod ad eos tantum spectaret electio, sufficienter dicebant esse probatam: Parte clericorum nihilominus asserente, quod per dicta testium quos produxerant, et ipsi assertionem suam (quod electioni pontificum interesse deberent) plenius probavissent: per quae constare dicebant, eos electionibus trium episcoporum (qui ecclesiae Sutrinae ultimo et immediate praefuerant) cum canonicis cathedralis ecclesiae affuisse, vocemque habuisse cum aliis eligendi.

Nos igitur (quoniam deprehendimus...) ...quod per testes fuit sufficienter ostensum, quod in trium episcoporum electionibus, de quibus praemissum est, clerici praesentes affuerint, et vocem habuerint eligendi, praemissam electionem factam eis contradicentibus et exclusis, decrevimus irritandam, clericos saepedictos in eam quasi possessionem (quam ante controversiam motam habuerant) reducentes.

Verum quoniam in quaestione praedicta, quidquid iuris utraque pars in electione habebat, deductum in iudicium videbatur, cum iure civili sit cautum, id venire in iudicium non solum de quo actum est, ut veniret; sed id non venire, de quo nominatim actum est, ne veniret: et secundum statuta canonica electiones episcoporum, ad cathedralium ecclesiarum clericos regulariter pertinere noscantur, nisi alibi secus obtineat de consuetudine speciali: nec ex eo quod clerici antedicti se inter eligentes Sutrinos episcopos probaverunt tertio extitisse, ius eligendi propter brevitatem temporis usque ad praescriptionem legitimam non producti, sibi adquirere potuerunt: et actore non probante, qui convenitur, et si nihil praestiterit, obtinebit: ab eorum impetitione super electionibus faciendis vos duximus absolvendos, saepedictis ecclesiarum clericis super hoc perpetuum silentium imponentes ».

De exceptione vero canonis testis sit Greg. IX in cap. 1 « de restitutione spoliatorum » (II, 14) X sic aiens: « ... Conquaestus est nobis Philasius coecus eius campum ab Ecclesiae hominibus irrationabiliter occupatum. Quod si ita est, quamquam ante omnem contentionem possessio ei debuerat violenter ablata restitui,

tamen quia Eventus diaconus ipsius ecclesiae, consentiente illo constituit se legitime probaturum, dictum campum eiusdem ecclesiae iuris esse, veritatem inquire: et si hoc probatum fuerit, huic dicendum est, ut a sua intentione discedat: Alioquin res ei ablata reddatur ». Quae redditio nunc vi exceptionis in canone semper est facienda.

151. De regressu a petitorio ad possessorium et de sententia utriusque causae, « ius vetus ex integro refert » (can. 6, 2°) *can. 1671.* Porro [1] Clem. V in Concilio Viennensi haec constituit: « Et in spoliantis odium (licere decernimus) ante causae conclusionem suspendere petitorium a se et ab adversario intentatum, in solo possessorio procedendo ». De « iudicio petitorio ab adversario intentato » in can. praec. fuit retentum hoc caput per exceptionem « de spolio ». Petitorium ab spoliato intentatum reservatur huic canoni. Verumtamen ad perspiciendam omnimodam eiusdem canonis consonantiam Decretalibus, placet nobis aliam pleniorem hic per extensum referre.

Talis est Decretalis Innoc. III episcopo Novioniensi [2]. Pastoralis officii. et infra. Sane (sicut intimasti) contingit aliquando, ut cum is qui se asserit spoliatum, suum trahat spoliatorem in causam, inter ipsa iuris auspicia requisitus, quo malit experiri iudicio litem proprietatis ingreditur, de illata sibi violentia nullam faciens mentionem: cum autem fuerit in causa processum, novum iudicium super possessorio nititur inchoare: et infra. Consultationi tuae taliter respondemus, quod possessorio quidem iudicio, quod (notetur bene) de recuperanda seu adipiscenda possessione proponitur, antequam renunciatum sit, aut conclusum in proprietatis iudicio primitus instituto, agi potest ab eo, qui rem ceperit vindicare: Cum legali sit provisione statutum, eum qui fundum vendicaverit, ab eo cum quo interdicto (unde vi) potuit experiri, pendente iudicio interdictum posse nihilominus intentare: Aliis possessoriis iudiciis in suo robore duraturis, quae vendicationem dominii sui natura praecedunt. Si vero renunciatum fuerit vel conclusum, ut iam possit causa proprietatis diffinitivae sententiae calculo terminari (ne lites litibus inculcentur, et via possit fraudibus aperiri) causa non decisa, possessorio non erit utendum: Nisi iudex qui de causa cognoscit, hoc ipsum ex iusta causa viderit expedire: Puta cum ex perspicuis indiciis facile arguitur iniquitas invasoris, et spoliato casu seu malitia probandi dominium subtraxerit facultatem. His igitur et aliis causis

[1] Cap. un. « de causa possessionis et proprietatis » (II, 3) in Clem. — [2] Cap. 5 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X.

inspectis (quae continent aequitatem, aut iuste moverint animum iudicantis) postquam etiam conclusum fuerit, posse agi possessorio iudicio non negamus ».

His patefacta est via ad facilem canonis interpretationem. § *1. Item fas est*, sicut fuit assertum in can. praec., *actori* cuilibet, semper *antequam conclusum fuerit in causa* eiusdem uno ex tribus modis recensitis in can. 1860, § 2, dummodo « iudex decretum ferat » (can. cit. § 3), *ab instituto iudicio* equidem contentioso, sed *petitorio* iuxta declarationem can.s 1668, § 1, *regredi*, relinquendo illud saltem per suspensionem, *ad possessorium* iudicium instituendum etiam de novo, eo quod illius « nullam fecit mentionem » actor, sed alterutrum, nempe: *adipiscendae vel recuperandae*, ut in Decretali, non iam retinendae, quae vendicationem dominii, saltem utilis, vel aliud ius, v. gr. ex praescriptione implicite praesupponit, ut illa sit iusta.

§ *2. Imo ex iusta causa*, « (quae contineat aequitatem, aut iuste moverit animum iudicantis) » de qua exemplum dedit Decretalis relata, *iudex* in petitorio a) *etiam post conclusionem in causa*, velut exceptio facultatis actoris, *sed* b) *ante sententiam definitivam*, idest ut in Decretali: « causa non decisa », propter quod interpretanda clausula antequam sententiam vel « unicus iudex exaraverit » (can. 1872), in tribunali vero collegiali, antequam « constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae » (can. 1871, § 3), *hunc regressum* in §° 1° declaratum *permittere potest*, quin ad hanc permissionem obligetur, nec proinde id iure possit exigi ab actore.

Antequam ulterius procedamus reminisci oportet aliquas iuris decisiones. Et primo regula generalis datur ab Innoc. III [1]: « Ad quartum breviter respondemus, quod cum super possessorio et petitorio simul est actum, utrumque una sententia debet terminari ». Attamen Celestinus III ait [2] :« Ad ultimum interrogati fuimus, si iudices deputati, ut de possessione et de proprietate cognoscant, gravibus partium sumptibus parcere cupientes, de utraque commixtim audiant allegationes pariter et testes admittant: deinde prius audiant attestationes de possessione, et pronuncient secundum tenorem illarum, utrum licite hoc agatur. Nos autem (cum hoc sit in iure civili expressum) quod licite possit fieri, respondemus ». Innoc. vero de eadem cumulatione causarum sequentem decisionem dedit [3]. « Cum causa quae vertitur

[1] Cap. 6 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X. — [2] Cap. 2 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X. — [3] Cap. 36 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X.

inter abbatem et monachos sancti Dionysii ex una parte ac abbatissam et moniales de Forcellis ex altera, tam super proprietate, quam super possessione Prioratus de Argentolio iudicibus a nobis commissa fuisset: et moniales super causa proprietatis prius litem ingressae, testes produxissent in illa, postmodum possessionis iudicium, suspenso petitorio intentarunt, et infra. Unde in causa possessionis, quam moniales petebant, ea ratione quod illae quibus ipsae successerant, inde fuerant violenter eiectae, testes fuerunt ab utraque parte producti, et eousque processum, ut publicatio fieri iam deberet, et infra... Et nisi adeo sit in petitorio iam processum, ut plene possit de proprietate liquere, vos causam possessionis, ad quam de iuris beneficio abbatissa et moniales habuere recursum, primitus terminetis, in causa proprietatis postmodum processuri: alioquin quaestionem terminetis simul utramque ».

Praedicta complectens § 3 edicit. *Judicis est*, videlicet eius prudentiae remittitur, a) *attentis partium allegationibus*, quae ut declarabuntur in titulo « de probationibus », sunt rationes, testes, instrumenta in proprium favorem adducta, alterutram viam sequi, videlicet: b) *aut utramque quaestionem* scilicet: possessionis adipiscendae vel recuperandae et alteram in petitorio, sive cumulatim propositae, sive unam ab actore alteram a reo, *unica sententia definire* congruenter principio supra enunciato, animadvertendo haec verba quae ibi sequuntur: « Sed licet in pronunciatione sit possessio praemittenda, in executione tamen debet proprietas praevalere », b) *aut prius uni*, nempe: in petitorio « si adeo sit in eo iam processum, ut plene possit de proprietate liquere », alioquin quaestioni possessionis prius satisfiat, *postea alteri* debet *satisfacere* per successivas sententias, ita ut alterutram supra declaratam viam sequatur, *prout magis expedire ipsi videatur* c) *ad celeriorem et pleniorem iurium* possessionis et proprietatis *tuitionem*, quae a iudice ratione officii expectatur.

CAPUT I.

De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris.

Can. 1672. - § 1. Qui ostenderit super aliqua re ab alio detenta ius se habere sibique damnum imminere nisi res ipsa custodienda tradatur, ius habet obtinendi a iudice eiusdem rei sequestrationem.

§ 2. In similibus rerum adiunctis obtinere potest ut iuris exercitium alicui inhibeatur.

§ 3. Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris a iudice decerni potest ex officio, instante praesertim

promotore iustitiae aut defensore vinculi, quoties bonum publicum id postulare videatur.

Can. 1673. - § 1. Ad crediti quoque securitatem sequestratio rei admittitur, dummodo de creditoris iure liquido constet et servata norma de qua in can. 1923, § 1.

§ 2. Sequestratio extenditur etiam ad res debitoris quae depositi causa aut quolibet alio titulo apud alias personas reperiantur.

Can. 1674. - Sequestratio rei et suspensio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum quod timetur, possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur.

Can. 1675. - § 1. Ad custodiam rei sequestrationi subiectae idonea persona, proponentibus partibus, a iudice designetur, quae sequester dicitur; si partes inter se dissentiant, iudex ex officio sequestrem deligat.

§ 2. Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, eamque postea, cui iudex decreverit, reddere tenetur cum omni causa.

§ 3. Iudex congruam decernat mercedem sequestri, si eam petat.

152. Inscriptio capitis. — Incipit titulus in cuius divisione canones recensentur, qui moderantur illas actiones, quae specialibus normis in iure Codicis subiiciuntur, ita ut ceterae simul ac exceptiones aliae relinquantur sub normis generalibus iudiciorum. Hoc non impedit, quominus iudex queat recursum habere de aliis actionibus et exceptionibus ad Decretalium capita et alia documenta iuridica, utendo eis veluti normis directivis. Attamen illa, veluti iuris praecepta, « vim omnem amisisse dicenda sunt » ad normam can. 6, 6°, quando « nec explicite nec implicite in aliis ss. canonibus contineantur, vel legem contineant iuris divini ». Insuper possent illa quoque deservire ad supplendum ius, quatenus referant « generalia iuris principia cum aequitate canonica servanda » ad normam can. 20, vel manserint « in stylo et praxi Curiae Romanae et in communi constantique sententia doctorum ».

Caput I. continet illas actiones, quae a Codice parti alterutri conceduntur in tuitionem proprii iuris, dum illud manet sub lite, vel sententiae de illo latae executio differtur quolibet ex motivo, ac fortassis propter interpositam appellationem. Inscriptio sic sese habet. *De rei* sub controversia versantis *sequestratione*, id est: « iudiciali deposito apud tertiam personam custodiae causa », *et inhibitione* per iudicis decretum *exercitii* ob legitimam causam suspendendi *iuris* certi ant controversi. Illa inhibitio est species depositi, et ad hanc inhibitionem reducitur sequestratio personae, pro more loquendi auctorum.

153. Canones huius capitis sunt quatuor. Can. 1672, et 1674 de utraque actione simul agunt, qua de causa nempe sequestratio et inhibitio locum habere possint, quod edocet can. 1672, et quando « decerni nullatenus possunt », dicit can. 1673. Ad sequestrationem rei restringitur can. 1673, uti ampliationem

praescripti canonis immediate praecedentis, dum can. 1675 de idonea persona plene ius tradit.

154. De iure petendi atque decernendi sequestrationem vel inhibitionem iudicialem iuri praecedenti Codicem congruenter statuit *can. 1672*. De obiecto nempe harum provisionum sunt tria capita in Decretalibus. Primum respicit rem ipsam sequestrationi subiectam, secundum et tertium eiusdem tituli [1] fructuum sequestrationem. His addere convenit aliud de inhibitione iuris. Igitur referamus singula: Innoc. III sic rescripsit [1]:... « Sed iudex actorem in possessionem (quae fuerat per ipsum Archiepiscopo adiudicata) propter eiusdem contumaciam (in causa proprietatis) mitti decrevit, a qua tamen Archiepiscopus violenter monasterium eiecit: et infra. Celestinus Papa praedecessor noster, sic suum interpretatus fuit rescriptum, quod tam causa possessionis, quam proprietatis, fuerat iudici delegata: cum absolute et indistincte commissa fuerit, et eius continentia dividi non deberet, praelibatam quoque possessionem pro suo arbitrio sequestrari praecepit, iniungens Reginen. et Mutinen. episcopis, ut de causa possessionis et proprietatis plenius cognoscentes, eam debito fine deciderent: et possessionem ei parti postmodum resignarent, quae obtineret de proprietate triumphum ».

Honorius III [1] ait: « Dilectus filius R. rector ecclesiae de Bethusia, sua nobis petitione monstravit, quod cum inter ipsum, ex parte una, et abbatem et conventum de Cisteria ex altera, super eadem ecclesia, coram Abbate de Sibiton. et eius collegis quaestio verteretur, et iudices ipsi praedictos abbatem et conventum in possessionem ipsius ecclesiae, causa custodiae induxerunt, qui fructus medio tempore perceptos, pro suae distrahunt libito voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, facientes fructus sequestrari praedictos, si quid de ipsis per eos distractis inveneritis, in statum pristinum revocetis ».

Demum Gregorius IX [1] simile quid constituit: « Ab eo qui a sententia provocavit, fructus possessionis (si dissipentur ab ipso) possunt lite pendente rationabiliter sequestrari ».

Item Honorius III [2] sic decrevit: « Causam matrimonii, quae inter V. iuvenem et G. puellam Senon., quae se virginem et monacham profitetur, noscitur agitari: et infra. Mandamus, quatenus eandem puellam ponatis interim in illo monasterio quod intravit, ut ibi secure valeat commorari, donec iudiciali senten-

[1] Cap. 1, 2, 3, Tit. « De sequestratione possessionum et fructuum » (II, 17) X. — [2] Cap. 14 « de probationibus » (IV, 19) X.

tia quid agi debeat decernatur: recepturi postmodum... probationes » in causa inconsummationis matrimonii.

Ex praedictis facile intelligitur quod legitur in Regulis servandis apud S. Rom. Rotam, [1] § 85: « 1. Ponentis est in favorem litigantium eas cautiones... praescribere, quae opportunae videbuntur: a) vel ad rem litigiosam conservandam durante appellationis iudicio, quando executioni provisoriae non detur locus. — b) vel ad cavendum parti, cuius interest de restitutione rerum aut summarum pecuniae, quae debentur, quoties sive sententia executioni provisorio modo demandata sit, sive sententia, praevia petitione restitutionis in integrum seu querela nullitatis, revocata fuerit aut nulla declarata, c) vel ad consequendam, uti par est, decisionis executionem, quam tribunal iuxta diversas actiones forte erit editurum in iudiciis possessoriis aliisque, quae ad alimenta aut mercedes spectant.

2. Cautio executione facilis, praeter fideiussionem personae solvendo idoneae, est depositum iudiciale in favorem litigantis. . » sic vocatum, quale revera est, de quo loquitur § *1* sic se habens. *Qui ostenderit* sufficienter probationibus iudicialibus, ita ut saltem vere probabile sit dum quaestio iudicialiter agitatur, a) *super aliqua re* immobili, huic aequiparata, mobili vel se movente *ab alio detenta*, sive haec detentio sit legitima v. gr. possessio, depositum, locatio, etc. sive illegitima v. gr. furto nondum probato, *ius* proprie dictum, v. gr. in re quoad beneficium, proprietatis vel aliud sub eo comprehensi, sicut est ius fructuum, aut usus, aut possessionis *se habere sibique* b) *damnum* ex deminutione fructuum, ex nocumento rei vel eiusdem dissipatione, *imminere*, sub conditione ad illud vitandum *nisi res ipsa* in seipsa vel quoad eiusdem fructus *custodienda* tertiae personae in depositum *tradatur*, ipso facto illa duo ostendendi *ius* huic canoni subnixum *habet obtinendi a iudice*, proindeque actionem circa *eiusdem rei* supra declaratae *sequestrationem* ad sensum inscriptionis iam explicatae.

Aliis ex sacris canonibus patet in Ecclesia fideles habere ius ad electionem status matrimonialis aut religiosi cuius violatio prudenter timetur gravis, atque pluries in causis matrimonii iam contracti periculum damni spiritualis aut corporalis imminere facile iudicatur probabile a viro prudenti. Pro his et similibus casibus est quoddam remedium in usu fori ecclesiastici, ac depositum personae nuncupatum, sed magis proprie vocat illud

[1] 4 Aug. 1910. CO. II, 811.

§ 2. statuens. *In similibus rerum adiunctis* de iure aliquo personali aut status, quod fidelis « ostenderit se habere sibique damnum (violationis contra illud) imminere, nisi propriae securitati provideatur », *ille obtinere potest* « a iudice » vi huius canonis *ut iuris* alterius personae, a qua violatio timetur probabilis, v. gr. parentis, Superioris, mariti saltem putativi, *exercitium alicui* eorum pro casuum diversitate *inhibeatur* publica iurisdictionis potestate.

Ex modo loquendi canonis hucusque, actio fidelibus adiudicatur, veluti providendo privatorum indemnitati, sed § 3 decernit: *Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris* iam sub inscriptione declaratae, quamvis a parte non petantur, ac sicut remedia iudicii petitorii aut possessorii in praesidium sequuturae sententiae, proinde *a iudice* quolibet ecclesiastico *decerni potest*, quin sententia proprie dicta requiratur, nec ille obligetur, *ex officio*, quatenus iudicis est protegere plene iura ad suum tribunal deducta, etiamsi non praecesserit expostulatio ex parte sequentium, qui iudicio forsan intersint, sed addit canon: *instante praesertim* alterutro interessente *promotore iustitiae aut defensore vinculi*, tum matrimonii, tum sacrae ordinationis, quia tunc obligatur quoque ad alterutrum supradictum decernendum, *quoties bonum publicum*, v. gr. ne quis coacte statum clericalem amplectatur, aut ne sub matrimonii specie scandalum praebeatur, ne orbatus sacerdotio sacramenta ministret, *id* nempe « sequestrationem rei vel inhibitionem exercitii iuris » *postulare videatur* ratione saltem probabili.

In huius exemplum afferri potest Clementina unica « de sequestratione possessionum et fructuum » (II, 6). Sic enim legitur: « Ad compescendas litigantium malitias, diffinimus ut una contra possessorem diffinitiva sententia super beneficio apud Sedem Apostolicam dumtaxat in petitorio vel possessorio promulgata, beneficium ipsum, etiamsi dignitas vel personatus existat, et curam habeat animarum, a possessore huiusmodi (dum tamen triennio pacifice antea ab eo possessum non fuerit) per loci Ordinarium apud aliquam personam idoneam sequestretur, quae plenam de ipso et debitam curam gerens, id quod de fructibus ipsius (debitis eiusdem supportatis oneribus) superesse contigerit, illi restituat, qui finalem in causa victoriam obtinebit... Non obstante si contra praefatam sententiam de nullitate forsan opponatur ».

155. Aliud iuridicum sequestrationis motivum proponit ac moderatur *can. 1673*. Videlicet § *1. Ad crediti quoque*, eo quod verum ius constituit erga aliam personam in suis rebus obliga-

tam, *securitatem* quoad debiti solutionem *sequestratio* rei alicuius debitoris intellecta secundum capitis inscriptionem *admittitur* vi huius canonis, unde actio habetur, *dummodo* ad illam sequestrationem consequendam a) *de creditoris iure liquido*, seu quolibet dubio sublato, *constet* positivis probationibus, *et* b) *servata norma* aequitatis naturalis *de qua* circa sententiae exequutionem fit sermo *in can. 1923, § 1*, cuius praescriptum extenditur ad hanc rei sequestrationem fortassis decreto factam. Norma illa sic erit aptanda praesenti canoni: « In sequestratione (propter hanc debiti causam) decernenda iudex caveat ut quam minimum debitori noceatur, eaque de causa sequestrationi tradat incipiens a sequestrandis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salva honesta eiusdem sustentatione ad normam can. 122 » ibi declaratae.

Quamdam provisionem practicam et fraudibus obstantem decernit § 2. *Sequestratio* tantum « ad crediti securitatem », eo quod *extenditur etiam ad res* quaslibet, sed proprias *debitoris* praecise, quod verbum significat proprie cum relatione ad creditorem, *quae res* a) *depositi* proprie dicti, prout in contractu intelligitur illud, *causa*, *aut* b) *quolibet alio titulo* v. gr. locationis, emphyteusis, *apud alias personas* a debitore distinctas *reperiantur* de facto, quamvis legitime.

156. Quandonam sequestratio aut inhibitio decerni nequeant. Cum illae provisiones iuridicae scopum habeant tuitionem efficacem iuris unius ex contendentibus, sed prae se ferant aliquod damnum vel incommodum alterius partis, aequitati plene consonum est, ut si praefata tuitio aliter secura maneat, hoc damno vel incommodo excluso, ita fiat. Huiusmodi praescriptum fert *can. 1674. Sequestratio rei* quaelibet declarata in praecedentibus, *et suspensio* propter inhibitionem *exercitii iuris decerni* etiam a iudice *nullatenus possunt* vi quoque huius canonis, ita ut saltem revocanda sit utraque, *si* a) *damnum quod timetur*, et erat conditio necessaria, *possit aliter* quam per illa remedia praeventiva *reparari* casu quo de facto superveniat illud, *et* b) *idonea cautio* v. gr. depositae pecuniae, fideiussionis, securae promissionis, etc. *de eo reparando* equidem sufficienter *offeratur* ante vel post minatum alterutrum remedium aut intentatam actionem praesuppositam.

Hac de causa explicatur Decretalis Innoc. III Mediolanen. Archiepiscopo [1]: « In eum statum continentiam causae reduci-

[1] Cap. 1 « de sequestratione possessionum et fructuum » (II, 17) X.

mus in quo fuerat, cum praedictus praedecessor noster causam proprietatis et possessionis Reginen. et Mutinen. episcopis commisit: mandato sequestrationis penitus revocato: et infra. Ne autem monasterio videamur in suo iure deesse, moderatas expensas (ex quo episcopus Veronen. ipsum in possessionem induci decrevit, usque ad satisfactionis tempus oblatae) propter hoc factas, sibi restituendas esse censemus: et a te sufficientem praeberi standi iudicio cautionem ».

157. De persona, quae sequester dicitur in iure agit *can. 1675* per partes explicans praescriptum de illa in Clem. prius citata. Huius verba, quae ad rem faciunt sunt haec: « beneficium ipsum... per loci Ordinarium apud aliquam personam idoneam sequestretur, quae plenam de ipso et debitam curam gerens, id quod de fructibus ipsius (debitis eiusdem supportatis oneribus) superesse contigerit, illi restituat, qui finalem in causa victoriam obtinebit ».

En igitur canonis iussa. § *1. Ad custodiam* supradictam in § 1° can.s 1672 *rei* ibidem declaratae et *sequestrationi subiectae* iudicis decreto, a) *idonea* ad hoc in particularibus casibus *persona* ceu juris huiusmodi capaci, b) *proponentibus* unanimiter *partibus* contendentibus, quae proinde sunt de illa sciscitandae, c) *a iudice* auctoritative *designetur*, *quae* propter illam custodiam *sequester dicitur* in foro iudiciali, apud Auctores, significatione admissa in Codice; solummodo *si partes* ut supra circa unam proponendam personam *inter se dissentiant*, *iudex ex officio* seu proprio iure sibi per canonem concesso *sequestrem deligat* personam.

Obligationes huius muneris exponit § 2. *Sequester* iudicialis, sicut et depositarius ex iure naturae, *in re* a) *custodienda*, ne damnum aliquod ab extrinseco patiatur, b) *curanda*, quatenus indigeat reparatione, substentatione, aliisque curis, v. gr. supportatis eiusdem oneribus, *et* c) *servanda*, ut integra maneat atque in promptu tradenda, quando tempus adveniet, *non minorem* a) *diligentiam*, quae mentis attentionem et voluntatis executionem continet, *adhibere debet* vi canonis ob susceptum munus, *quam suis* ob proprietatem *adhibet rebus* eiusdem speciei, seu ac si res custodienda esset sua, b) *eamque* ipsam *postea*, *cui iudex* idem causam videns *decreverit* per specialem de hoc pronunciationem, *reddere* velut depositam *tenetur* eadem vi ac supra *cum omni causa*, idest: cum omnibus instrumentis, ratione fructuum, his qui superfuerunt, etc. rem sequestratam attingentibus.

Sequestri vero ius innuit § 3 eo quod, nisi quidquam obstet iudici parere debuit. *Iudex*, qui rei sequestrationem decernens illam personam designavit vel delegit, *congruam* labori et interesse *decernat* obligatoriam parti *mercedem sequestri*, sed tantum *si eam petat*, quia illa forsan dedeceat ipsi.

CAPUT II.

De actionibus ex novi operis nunciatione et damno infecto.

CAN. 1676. - § 1. Qui ex aliquo novo opere damnum timet suae rei obventurum, potest illud iudici nuntiare ut opus interrumpatur, donec utriusque partis iura, iudicis sententia, definiantur.

§ 2. Is cui intimata fuerit prohibitio, continuo ab opere cessare debet, sed, dummodo idonee caveat se in pristinum omnia restituturum si absoluto iudicio victus discesserit, poterit a iudice continuationem eiusdem impetrare.

§ 3. Nuntianti novum opus ad ius suum demonstrandum duo menses praefiniuntur; qui ex iusta et necessaria causa a iudice, audita altera parte, prorogari vel reduci poterunt.

CAN. 1677. - Si vetus opus magna ex parte immutetur, idem ius esto quod de novo opere can. 1676 constitutum est.

CAN. 1678. - Qui grave damnum rei suae imminere pertimescit ex alieno aedificio quod ruinam minatur, ex arbore aut ex alia re quacunque, actionem habet *de damno infecto* ad obtinendam periculi remotionem, aut cautionem de damno vel avertendo, vel compensando, si forte evenerit.

158. Inscriptio capitis et huius canones.— Sequitur *Caput II* loquens *De actionibus* in sensu inscriptionis Tituli praesentis, quae conceduntur in praeviam tuitionem iuris quaesiti, nam secundum l. ult. Cod. « Ex quib. caus. rest. » « melius est intacta iura servari quam post causam vulneratam remedium quaerere ». Illae actiones sunt quoque frequentis applicationis, hinc una earum sortita fuerat in Decretalibus titulum 5 « de novi operis nunciatione », cui altera valde connexa simul hic considerantur. Actio illa denominatur, sicut in Iure Romano, unde fuit in Ius canonicum derivata, *ex novi*, large sumpto hoc verbo, *operis* cuiuslibet, etsi non materialis, illudque Ulpianus firmavit hac sententia [1]: « Opus novum facere videtur qui aut aedificando aut detrahendo aliquid, pristinam faciem operis mutat »; sed ex illius *nunciatione* iudici facienda. Actio vero altera sub inscriptione posita dicitur ob Romanam denominationem *et* oritur ex *damno infecto*, quod sic definitur a Paulo in l. 3 [2]: « Damnum infectum est damnum nondum factum quod futurum veremur ».

[1] L. 1, § 11, ff. « De novi operis nunciatione ». — [2] Titulus ff. « de damno infecto ».

Canones tres solummodo has materias absolvunt. De novi operis nunciatione sunt duo priores, de altera vero actione can. 1678.

159. Partes in hoc iudicio propter novum opus, illius effectum ab initio ac temporis praefinitionem ad ius probandum comprehendit *can. 1676* sub totidem paragraphis.

Oportet originem iuridicam huius actionis cognoscere, utpote utile praeambulum ad sanam interpretationem, prout refertur a Lucio III in cap. 1 huius tituli (V, 32) X. Sic adloquitur Paduanum episcopum: « Intelleximus ex litteris tuis, quod cum causa, quae vertitur inter Priorem S. Cipriani et clericos de Rodigio super capella, quae in praeiudicium baptismalis ecclesiae de Costa, ab eisdem clericis est constructa, fraternitati tuae delegata fuisset. et infra. Quia vero sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adiuvantur. Fraternitati tuae mandamus, quatenus diligenter considerans, quod post denunciationem novi operis, sive iure sive iniuria aliquid construatur, legalibus debet constitutionibus demoliri: et quia nulla ecclesia in praeiudicium est alterius construenda, negotium ipsum secundum legum et canonum statuta non differas terminare ».

Actionem hanc sic explicat § *1. Qui*, sive persona physica in Ecclesia, sive moralis, a) *ex aliquo novo* cum propria significatione propter eius recentem conditionem *opere*, tum materialis aedificationis, tum instituti iuridici, ut patet ex cap. 2 cit.[1] tit.[1], b) *damnum* cuiuslibet gravitatis et naturae *timet* iuxta praevisionem rationabilem *suae rei*, cuius nempe habet proprietatem, vel ius in ea re, *obventurum*, *potest*, quatenus de actione privata sermo est, « titulo canonis huius auctoritate subnixo » (can. 1668, § 1) *illud* declaratum « damnum » singulare *iudici* qua tali *nuntiare* seu per libelli praesentationem, cum hoc effectu immediate intento expresse *ut* a) *opus* praefatum *interrumpatur* potestate publica, vel quoad aedifitii prosequutionem, vel circa exercitium instituti iuridici, b) *donec utriusque partis*, nempe nuntiantis et condentis opus novum, *iura* relate ad alterutrum, novum opus perficiendum vel e contra destruendum aut supprimendum, *iudicis* eiusdem *sententia* in hoc iudicio contentioso *definiantur* pro alterutra parte. Hinc actio ex novi operis nunciatione diffiniri potest: « ius cuilibet personae in Ecclesia competens nuntiandi iudici damnum, quod ex novo alterius opere timet suae rei obventurum, ut opus interrumpatur, usque ad finem iudicii hac de causa incoepti ».

Ex hac iuridica nunciatione sequitur, quod si verificentur conditiones declaratae quoad damni probabilitatem ex novo opere, « sive iure sive iniuria aliquid construatur », erit intimanda per iudicem operis interruptio. Id praesupponit § 2. *Is cui intimata fuerit* auctoritate iudicis *prohibitio* per decretum, a) *continuo ab opere cessare debet*, ita ut prosequutio, si iuridicum sit institutum, nullitate laboret iuxta cap. 2 huius tit. Decretalium, *sed*, quia de iniuria nondum constat et potest interesse operis prosequutionem, a) *dummodo idonee* seu sufficienter secundum iudicis prudentiam *caveat*, tum pecuniae deposito, tum hypotheca aliorum bonorum, tum fideiussione alterius, etc. *se in pristinum* statum ante operis conditionem *omnia restituturum* sub conditione *si absoluto iudicio*, quod vi §[1] 1[1] incoeptum est, *victus discesserit*, quia ius actoris sententia est firmatum, b) *poterit a iudice* prohibitionem intimante *continuationem eiusdem* operis *impetrare*, idest expostulare ac obtinere. Ita immutatum est ius praecedens, quod constituit Greg. IX [1]: « Is, cui opus novum te nuntiasse proponis, non obstante cautione, quam offertur ab ipso de opere destruendo, si non iure aedificatum exsistat, tenetur te per trium mensium spatium expectare, iuris tui praeiudicium probare volentem ». Quod in Codicis iure non obstat iudicis potestati supradictae.

Immo spatium illud probatorium immutat quoque § 3. *Nuncianti novum opus* vi §[1] 1[1], quia ex altera parte « Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet » (reg. 194 Iur. Rom.), et « Non debet aliquis alterius odio praegravari », merito *ad ius suum* ne tale opus existat *demonstrandum*, quod est necesse ad illud auctoritate publica destruendum, vel supprimendum, *duo menses* illius stadii probatorii *praefiniuntur* per hunc canonem loco « trium » ex iure Decretalium. Additur vero propter multiplices casus, qui evenire queant, *qui* « menses » a) *ex iusta* seu proportionata rei de qua agitur *et necessaria*, eo quod impossibilitati potius quam negligentiae tribui debeat defectus probationum usque nunc habitarum, a) *a iudice*, b) *audita altera parte*, cuius interest proprii operis prosequutio, *prorogari* v. gr. ad tertium mensem, vel reduci, si v. gr. inutilitas spatii iure concessi appareat, *poterunt*, quatenus pendet a iudicis prudentia alterutrum, etiam contradicente parte in cuius dispendium redundat.

[1] Cap. 4 « de novi operis nunciatione » (II, 32) X.

Antequam sequens canon declaretur, inserendum est caput Decretalium 2 citatum in Commentario §[i] 1[i]. Innoc. III ait Cantuarien. archiepiscopo. « ... Fraternitati tuae mandamus, quatenus quidquid aedificatum est in ecclesia de Lamech, post novi operis nunciationem, expensis tuis facias penitus demoliri, eo non obstante, si etiam absens extiteris: cum cautum sit legitima sanctione, ut si is, cuius opus novum fuerat nunciatum, ante remissionem aedificaverit, deinde agere ceperit ius sibi esse ita aedificatum habere, sibi debeat actio denegari: reducens prorsus in irritum quidquid de instituendis ibi canonicis, et aliis ad ipsam ecclesiam pertinentibus, a te vel praedecessore tuo cognoscitur ordinatum, eorum redditibus ad statum pristinum revocatis: quos ab obligatione praestiti iuramenti, pro eo quod ibidem instituti fuerunt, auctoritate nostra, per te denunciari praecipimus absolutos: cum enim amodo non teneat principale, quidquid ex eo, vel ob id secutum est, praemissa districtione decernimus irritandum ».

160. Ampliatio praecedentis canonis fuit necessaria propterea quod « leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem » (can. 18), ibidem namque actum est de « novo opere », prout hoc fuit definitum. In. c. Bononien. [1] « Ex adverso Monasterii S. Christinae... cuiusdam Pauli domus exurgebat, in qua idem Paulus quasdam peregerat innovationes... simulque duas fenestras tam late fuerunt ampliatae, ut ex iis facillimus pateret aspectus non modo in internum Monasterii pratum, sed etiam in interiora penetralia, ubi Sacrae Virgines operibus communibus intendebant, atque adeo complures in cellas, et ipsum novitiatum. — Itaque propositum fuit Dubium: An et quomodo auferendus sit prospectus in Monasterium S. Christinae in casu de quo agitur? Emi Patres rescripserunt: Affirmative, et omnia in pristinum statum restituantur ».

Praesuppositum axioma iuridicum enuntiat *can. 1677. Si vetus*, nempe iam prius existens seu quod novum proprie dici nequeat, *opus* declaratum in can. praec. *magna ex parte* idest notabiliter respectu ad damnum inde proveniens *immutetur*, sive per aedificationes aut restaurationes vel quoad esse instituti iuridici, *idem ius* nuntiandi opus et cum omnibus declaratis sequelis, *esto* vi huius praescripti *quod* expresse *de novo opere* iuxta propriam verbi significationem *can. 1676* in omnibus eius paragraphis *constitutum est.*

[1] S. C. EE. et RR. 21 Sept. 1838.

161. Actio de damno infecto moderata est per sequens ac ultimum capitis II praescriptum. *Can. 1678. Qui*, persona videlicet physica vel moralis personae administrator, *grave damnum* materiale *rei suae* vel dictae personae moralis propter ius in ea quaesitum *imminere* probabiliter *pertimescit* a) *ex alieno aedificio quod ruinam* saltem partialem *minatur* secundum eius vetustatem, vel stillicidia multiplicata, etc. b) *ex arbore*, cuius radices vel qualitas sit nociva viciniori plantationi, *aut* c) *ex alia re quacumque* sive materiali sive instituto iuridico, *actionem* sumptam pro iure petendi a iudice, ut supra, *de damno infecto* prius definito, atque innuit canon hanc esse intelligendam « ex veteris iuris auctoritate » (can. 6, 2°) et praecise in sequentem scopum disiunctive *ad obtinendam* ab eo, ex cuius re « damnum imminet » a) *periculi remotionem* quolibet modo sufficienti, *aut* b) *cautionem* realem vel fideiussionis *de damno* quod timetur eventurum, a) *vel avertendo* si remotum fieri queat, *vel* b) *compensando* plene, *si forte evenerit*, eo quod solummodo sit probabile. Propter disiunctivam clausulam sequitur valere reg. iuris 70 in 6°: « In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri », nisi ob circumstantias a iudice prudenti unum prae altero modum esse servandum per sententiam edicatur.

CAPUT III.

De actionibus ob nullitatem actorum.

CAN. 1679. - Si actus aut contractus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis.

CAN. 1680. - § 1. Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu conditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis.

§ 2. Nullitas alicuius actus non importat nullitatem actorum qui praecedunt aut subsequuntur et ab actu non dependent.

CAN. 1681. - Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam.

CAN. 1682. - Nullitas actus a iudice declarari non potest ex officio nisi aut publice id interesit, aut agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve qui minorum iure censentur.

CAN. 1683. - Iudex inferior de confirmatione, a Romano Pontifice actui vel instrumento adiecta, videre non potest, nisi Apostolicae Sedis praecesserit mandatum.

162. Inscriptio Capitis ordoque canonum.— De aliis maioris momenti agit *Caput III.* Videlicet: *De actionibus* sensu tituli habentibus hunc titulum *ob nullitatem* iuridicam *actorum*, sive iudicialium, sive extraiudicialium, qui positi sint a persona physica

vel morali contra « leges irritantes vel inhabilitantes ». Harum enim proprium est ut actus, per quos transgrediuntur nullam habeant firmitatem quoad effectus ipsorum ex iure, seu ut dicitur in cap. 4 « de his quae vi metusve causa fiunt » (I, 40) X: « carere debent robore firmitatis ». Haec ipsorum nullitas quandoque liquido patet, unde quilibet fidelis potest se gerere, tanquam si talis actus non fuerit positus coram Ecclesia. Aliquando vero, potest alicui interesse ut potestate publica edicatur nullitas, quae vel obscura est, vel contraria actus validitas propugnatur.

Propterea can. 1679 attribuit actionem huiusmodi, adiuncto can. 1680, qui obiectum eiusdem apte deffinit. Ad quid teneatur efficiens actum nullum cognoscitur ex can. 1681, quem subsequuntur duo postremi can. 1682, 1683 de potestate iudicis respectu declarationis nullitatis actorum.

163. Cuinam competit actio illa praescribit *can. 1679. Si* personae cuiuslibet in Ecclesia a) *actus* solummodo positivus *aut* b) *contractus* cum altera persona *sit ipso iure* hoc statuente « expresse vel aequivalenter » (can. 11) *nullus*, v. gr. « actus, quos illa posuit ex vi extrinseca, cui resisti non potest » (can. 103, § 1), *datur* hoc canone *ei* non solum agenti seu contrahenti, sed *cuius interest* ut ille « actus aut contractus » non subsistat in foro externo Ecclesiae, sive privata persona sit, sive Superior, sive promotor iustitiae, *actio* proprie dicta, cuius scopus sic designatur *ad obtinendam a iudice* competente sententiam, quae praeseferat *declarationem* authenticam *nullitatis* ceteroquin existentis antea, sed ex tunc obligatorie ab omnibus et quoad omnes effectus attendendae. Tales declarationes legi possunt in capp. 2-4 « de his, quae vi metusve causa fiunt » (I, 40) X, utpote praecipuae causae nullitatis in iure Decretalium.

164. De nullitate actorum differentias exponit *can. 1680*, nam in can. 11 Codex nullitatis causam enunciavit, alii vero canones in illius decursu continent solummodo plures leges irritantes vel inhabilitantes. Sic ergo praescribit § *1. Nullitatis* quoad iuridicos effectus *actus* cuiuslibet, quamvis contractus sit, *tunc* in singulis casibus *tantum habetur*, unde exclusi manent alii excogitandi modi hoc in loco non contenti, *cum*, a) *in eo* actu iam declarato et posito *deficiunt* seu desunt, quando debuerant concurrere singula, *quae actum ipsum* diversum *essentialiter* secundum ss. canones vel ex eorum natura morali *constituunt* in seipso ac ratione habilitatis in eorum auctore, *aut* b) « deficiunt », ut manet hoc declaratum, singula *sollemnia* quoad societatem, prout discernunt actus hos ab aliis, qui mere privati sunt, *seu conditiones*, tum loci,

tum temporis, etc. *desiderantur* in actu consequenter nullo, quia illa et hae sunt *a sacris canonibus* irritantibus vel inhabilitantibus *requisitae* ex praescripto equidem *sub poena nullitatis*. Vi huius paragraphi videtur excludi actuum nullitatem per alia statuta et constitutiones, quae implicite saltem non sit admissa per aliquem canonem, vel parem legem ecclesiasticam, idest: iuris communis.

Notanda bene norma sequens de vi nullitatis antedictae. § 2. *Nullitas alicuius actus* in §° 1° comprehensa *non importat*, nisi ergo expresse extendatur, *nullitatem actorum*, tum iudicialium tum extraiudicialium, *qui* a) *praecedunt*, quamvis sint necessario praevii, *aut* b) *subsequuntur et* inter hos excluduntur solummodo, qui *ab actu* nullitate infecto *non dependent* iuridice vel ex morali eiusdem natura. Et sic salva manet quoad leges irritantes aut inhabilitantes reg. iuris 39 in 6°: « Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo ».

165. De iuridico nullitatis actus effectu additus est *can. 1681* confirmans ad forum Ecclesiae externum quod attinet, ius naturae ad restitutionem cogens iniustos damnificatores. Proinde *Qui actum posuit* iudicialem vel extraiudicialem qci forsitan erit etiam contractus, *nullitatis* ex iure naturae vel ecclesiastico provenientis *vitio infectum*, quatenus perfectione caret iuridica et vi producendi effectus eius proprios coram Ecclesia, *tenetur* in huius foro externo, sicut in conscientia, proindeque « ex culpabili negligentia aut dolo !» (can. 1625, § 1) vel saltem ex ignorantia probabiliter culpabili, a) *de damnis* respondere quae inde promanarunt *et* b) *expensis* factis ad illum actum consequendum, aut sustinendis ad obtinendam declarationem nullitatis *erga partem* aliam sic dictam ratione contractus sic initi cum ea, vel actus nulli qui relate ad eam fuit positus *laesam* modo declarato. Huius ergo canonis auctoritate subnixus est titulus actionis de damno dato, in qua enucleanda opus erit dare sententiam ad minus interlocutoriam, quae contineat praefatam nullitatis declarationem.

166. De iudicis officio relate ad hanc actionem, considerare oportet, aliquando declarationem nullitatis actorum parere utilitatem solum privatae personae, et sic est ea moderata hucusque ac specialiter in praec.[1] canone. Aliquando in bonum commune derivatur eiusdem declarationis utilitas, vel in eos, qui, utpote infirmioris iudicii, non assurgunt ad hoc remedium amplexandum. In hypothesi priori est habendum prae oculis iuris principium: unusquisque potest iuri suo pro libitu renuntiare, ac proinde in Ecclesiae foro actum nullitate infectum revereri, dum haec nullitas non est publica. Immo poterit gratuita renunciatione eius,

quod ei debetur, vel donatione supplere iure actus defectus ex nullitate provenientes. Talis vero facultas restringenda est, quando bonum publicum obstat actui nullo sustinendo, tanquam si esset iure positus, vel non est praesumenda exerceri ab eo, cuius iudicium aliquantum non est firmum.

Propterea aeque prorsus decrevit *can. 1682. Nullitas actus* vere existens *a iudice* secundum eius auctoritatem *declarari* per sententiam *non potest* vi huius canonis eam limitantis *ex officio*, seu deficiente actionis praefatae exercitio per eum, qui ea fulcitur, *nisi* a) *aut publice id intersit*, v. gr. quoad matrimonii nullitatem pluribus notam, b) *aut agatur* inter habentes actionem, ut obtineant declarationem ex can. 1679, a) *de pauperibus*, qui expensas iudicii sustinere nequeunt, nec fortassis obtinere consiliarium, *vel* b) *minoribus*, idest: « infra vicesimum primum aetatis annum expletum » (can. 88, § 1), *aliisve* personis tum physicis tum moralibus *qui minorum iure censentur*, illae vi can. cit.[1] § 3°, hae « sive collegiales, sive non collegiales », ut dicitur in can. 99, § 3°.

167. De nullitate confirmationis per Romanum Pontificem peractae sunt memoranda Decretalium capita duo in huiusmodi titulo 30 « de confirmatione utili vel inutili. Caput 1 duplicem distinguit confirmationem respectu habito ad iudicis officium, nempe ait Alex. III Evonen. Episcopo: « Si quis rei litigiosae confirmationem impetravit ab Apostolica Sede, non minus potest iudex de causa cognoscere, et causam fine debito terminare. Sed si rem tunc pacifice possidebat, cum inde confirmationem obtinuit, non est licitum iudici de quaestione postea exorta decernere, aut eam diffinire absque Sedis Apostolicae mandato ».

Confirmationis autem firmitatem sic decernit idem Pontifex in cap. 2: « De confirmationibus autem Romani Pontificis, volumus te tenere, quod contra illas (nisi novum Apostolicae Sedis procedat mandatum, aut certum sit quod sint per falsi suggestionem elicitae) non est aliquatenus iudicandum ».

Parem confirmationi iudicandam esse Papae assertionem quamdam Clemens V in Conc. Viennensi sequentibus verbis constituit: « Litteris nostris, quibus nos dignitates quaslibet seu beneficia collationi nostrae, vel sedi Apostolicae reservasse, aut resignationem beneficii alicuius recepisse, seu recipiendi potestatem alii commisisse, vel aliquem excommunicasse, seu suspendisse, seu aliquem cappellanum nostrum vel familiarem fuisse, vel alia similia, super quibus gratia vel intentio nostra fundatur,

fecisse narramus, censemus super sic narratis fidem plenariam adhibendam... ».

Praescripto capiti 2[1] congruit saltem ex parte *can. 1683. Iudex* unipersonalis vel collegialis *inferior* Romano Pontifice paulo post exprimendo, proindeque ipsa Tribunalia S. Rotae Romanae ac Signaturae Apostolicae, et Sacrae Congregationes, quando iudicant, *de confirmatione*, quae sic communiter deffinitur: « Iuris prius habiti seu quaesiti per legitimum Superiorem facta corroboratio », equidem in canone *a Romano Pontifice* in propria persona, vel per aliquod Romanae Curiae documentum speciali mandato redactum, *actui* iuridico, sive iudiciali v. gr. sententiae, sive extraiudiciali v. gr. electioni, *vel instrumento*, videlicet scripturae continenti aliquod ius acquisitum, v. gr. contractui, transactioni, decreto, quae confirmatio alterutri *adiecta* est de se in forma specifica, et confert vim ex auctoritate confirmantis, *videre* et a fortiori motivo contra eam iudicare *non potest licite* nec valide, *nisi Apostolicae Sedis*, ut in iure Decretalium, propter quod « ex rei natura et sermonis contextu » (can. 7), nomine illo non veniunt Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet », nisi ex speciali commissione Illius *praecesserit* concedens facultatem iudici *mandatum* ad cognoscendum et hinc iudicandum. Ad hoc praerequiruntur rationes graves adversus confirmationis praedictae validitatem, quae nunc perpenduntur a Sede Apostolica in sensu can. 7, et consequens erit ut per hanc prodeat illud mandatum. Et hoc videtur innui per canonis verba reapse interpretanda, ut diximus, ad quam Sanctam Sedem putamus recurrendum, etiam quando « certum sit quod (confirmationes) sint per falsi suggestionem elicitae », eo quod canon hanc omisit clausulam.

Ad complementum et confirmationem interpretationis datae transcribimus ex Decisione S. R. R. in Tranen.[1] Conventionis. « Circa cuius canonis (1683) intellectum, haec notanda sunt:

a) Iudex inferior, in citati canonis sensu, est quilibet iudex S. Pontifice inferior, hinc ipsa S. Rota, utut Tribunal S. Sedis, prout ipsae SS. Congregationes, quae ad valide videndum actum vel instrumentum sic confirmatum, mandato indigent S. Pontificis, quod pragmatici *aperitionem oris* appellant.

b) Citatus canon cum ius novum non constituat, sed vetus ex integro referat, « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex

[1] 30 Ian. 1923. CO. XV, 126.

receptis apud probátos auctores interpretationibus aestimandus est (can. 6, n. 2). Iamvero Alexander III in cap. 2, tit. 30, l. 2, X, haec praestituit: « de confirmationibus Romanorum Pontificum tuam volumus cognitionem tenere, quod contra illas, nisi novum Apostolicae Sedis mandatum procedat, aut certum sit quod ipsae confirmationes per falsam sint suggestionem obtentae, non est aliquatenus iudicandum ».

c) Confirmatio, de qua canon, intelligenda est in forma *specifica*, haud vero communi, nam, prout scribit Emus. Lega, « res confirmata in forma communi, nullum praestat impedimentum cognitioni iudicis inferioris » (*De iudiciis*, I, n. 383). Insuper ab uno Romano Pontifice facta sit oportet, non a SS. Congregationibus, nisi actum vel instrumentum hae confirmaverint potestate non ordinaria, sed specialiter ab Eo delegata, ut planum est. Demum confirmatio *subsequi*, haud praecedere debet actum vel instrumentum, ad effectum inhibendi iurisdictionis exercitium in inferiore iudice, nam confirmatio, stricte sumpta, fit ex certa scientia et cum perfecta cognitione causae, omniumque circumstantiarum negotii, hinc actum iam perfectum supponit, eique *adiecta* intelligitur, iuxta canonis verba ». Haec ex praefata sententia.

CAPUT IV.

De actionibus rescissoriis et de restitutione in integrum.

Can. 1684. - § 1. Si quis motus metu gravi iniuste incusso, vel dolo circumventus actum posuerit vel contractum inierit qui ipso iure non sit nullus, poterit, metu vel dolo probato, obtinere actus vel contractus rescissionem actione quae vocatur *rescissoria*.

§ 2. Eadem actione intra biennium uti potest, qui gravem ex contractu laesionem ultra dimidium ex errore passus est.

Can. 1685. - Institui haec actio potest:

1º. Contra eum qui metum intulit aut dolum patravit, quamvis ipse non in suum, sed in alterius commodum talia peregerit;

2º. Contra quemlibet malae fidei possessorem, qui res metu vel dolo extortas possidet, salvo iure regressus contra quemlibet usque ad ipsum metus vel doli auctorem.

Can. 1686. - Si is qui metum intulit aut dolum patravit urgeat actus vel contractus exsecutionem, parti laesae seu deceptae competit exceptio metus vel doli.

Can. 1687 - § 1. Minoribus vel minorum iure fruentibus graviter laesis eorumque heredibus et successoribus, ad laesionem reparandam ex negotio seu actu valido rescindibili, praeter alia ordinaria remedia, suppetit remedium extraordinarium restitutionis in integrum.

§ 2. Hoc beneficium maioribus quoque conceditur quos deficit rescissoria actio aut aliud ordinarium remedium, dummodo iustam subesse causam et laesionem sibi imputandam non esse probaverint.

Can. 1688. - § 1. Restitutio in integrum peti debet ab ordinario

iudice, qui competens est respectu illius, contra quem petitur, intra quadriennium ab adepta maioritate computandum, si agatur de minoribus, a die laesionis factae et cessati impedimenti, si de maioribus aut personis moralibus.

§ 2. Minoribus vel minorum iure fruentibus restitutio concedi potest a iudice etiam ex officio, audito vel instante promotore iustitiae.

CAN. 1689. - Restitutio in integrum id efficit ut omnia revocentur in pristinum, idest restituantur in statum quo erant ante laesionem, salvis iuribus quae alii, bona fide, ante petitam restitutionem quaesiverint.

168. Inscriptio Capitis. — Actionibus ob nullitatem actorum valde affines sunt aliae de quibus agit *Caput IV*. Inscribitur enim *De actionibus*, quae definiri possunt iura legibus innixa petendi aliquid in iudicio, equidem *rescisoriis*, quia scopus illarum est, ut actus vel contractus iuridice factus et valide ita scindatur auctoritative quod sine effectibus iuris remaneat in posterum. Etenim can. 103 distinxit inter « actus, qui pro infectis habentur » (§ 1) et alios, qui « valent, nisi aliud iure caveatur », v. gr. in can. 572, § 1 « ad validitatem professionis religiosae requiritur ut: 4° Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur », sed quoad illos actus « positos ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo » validos, additur « possunt ad normam canonum (nunc interpretandorum) per iudicis sententiam rescindi » (§ 2) seu annulliari. Et hoc praescriptum currit de actibus iure tum divino tum canonico validis, dummodo non obstet rescissioni praevalens ius divinum v. gr. quoad sacram ordinationem semel receptam valide.

Facultas haec tum civilis tum ecclesiasticae societatis seu Ecclesiae ad rescindendos actus vel contractus, innititur naturae utriusque potestatis publicae, quae in bonum commune tum naturali tum positivo iure divino ordinata, habet sibi subordinatos subditorum actus quantum opus sit ad illud bonum cum effectu curandum. Porro commune bonum exposcit, ut quidam actus necessario debeant exerceri sub tali vel tali conditione, praesertim in tutelam libertatis civium adversus pravorum hominum voluntatem. Hoc efficaciter nequit obtineri quandoque, nisi actus contra legem positus validitate orbetur, quandoque autem iudicat legislator esse sufficiens, si per auctoritatis interventum actus contra legem initus iuridice annulletur, et hinc exurgit ius, quod actio rescissoria vocatur.

Praedictus libertatis defectus semper ac rationabiliter praesumitur adesse in eis fidelibus, qui minores sunt aetate, ac inde possunt damnum pati in contractibus sine voluntatis propriae sufficienti acceptatione, qua sibi plene imputari queant. Idipsum argumentari posset de aliis personis, quae hac de causa minorum

iure gubernantur. Illi defectui succurrere solent leges per beneficium illorum peculiare, quod inscriptio capitis complectitur addens *et de restitutione in integrum.*

169. Ordo canonum duas ipsorum series habet iuxta distinctionem supra declaratam. Prima se extendit per tres canones, quorum primus seu can. 1684 statuit actionem rescissoriam simul eam diffiniens atque extendens, can. 1685 edicit contra quas personas institui possit actio illa, dum exceptionem eidem innixam fundamento exhibet can. 1686. Quibus faveat beneficium restitutionis in integrum decernit can. 1687, dum sequens competentem iudicem ad hoc assignat sub duplici huiusdem munere, atque effectus iuridicos concessae restitutionis nos edocet can. 1689.

170. Definitio et fundamentum diversae actionis rescissoriae. In iure Decretalium extat titulus « de his, quae vi metusque causa fiunt » (I, 40) in cuius textibus inveniuntur haec duo principia iuris, quae ad decisiones suas stabiliendas Romani Pontifices invocarunt. Sic Innoc. III in cap. « Ad audientiam » 4: « Quia vero quae vi metusque causa fiunt, carere debent robore firmitatis ». Atque Alex. III in cap. « Abbas » 2: « Unde quia quae metu et vi fiunt, de iure debent in irritum revocari », seu actione rescissoria personas illum passas muniri oportet.

Attamen, eo quod can. 103 § 1 praescripsit: « Actus, quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca, cui resisti non possit, pro infectis habentur », non est mirandum quae vi fiunt in subsequentibus Capitis canonibus omitti, cum ad Caput praecedens illa sint referenda, secundum illam Innoc. III assertionem in cap. 5 cit. tit.: « In primo casu, talem (videlicet: « qui communicat excommunicatis invitus ») non credimus excommunicatione teneri, *cum magis pati quam agere convincatur* ».

Quoad ea vero quae metus causa fiunt, referre libet sententiam eiusdem Summi Pontificis, in cap. 6, ubi aliud eiusdem actionis fundamentum considerat in Codice acquiparatum primo. Ait ille: « Non obstante violentia, quam proponebant illata, cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, et ideo non debuerat cadere in constantes. — Nec obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos: cum talis dolus non tam ad circumventionem praedictorum Cistercien. quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri: Super restitutione petita silentium ei duximus sententialiter imponendum ».

Porro iam Codex multo antea edixit: « Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dólo, ... possunt ad normam can. 1684-1689 per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem

partis laesae sive ex officio » (can. 103, § 2), quae ultima clausula est in his canonibus praesupponenda. Adeatur igitur commentarium in illum canonem, ubi est interpretatum plene idem praescriptum.

Igitur ad interpretationem transeamus. *Can. 1684* de illis duabus causis agit in § *1. Si quis*, « verbum hoc tam masculos quam feminas complectitur » [1], tum clericus, tum laicus, aut religiosus, nec refert an proprio vel alieno nomine agat, a) *motus* velut ex actus causa *metu* antecedente *gravi* ratione tum mali imminentis vel futuri, tum minarum quae huius inflictionem probabiliorem suadent, *iniuste* quoad substantiam vel quoad modum *incusso* equidem a causa libera, *vel* b) « si quis », ut supra, *dolo*, quod est « omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita », et sic *circumventus* a) *actum* iuridicum *posuerit* equidem libere, *vel* b) *contractum*, quo maneret obligatus *inierit qui*, tam actus quam contractus *ipso iure non sit nullus*, quia « eodem aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter (non) statuitur » (can. 11), *poterit*, quin vi huius canonis obligetur, a) *metu* declarato *vel* respective b) *dolo* apud tribunal ecclesiasticum *probato* legitime, *obtinere* per iudicis ad hoc tunc obligati sententiam *actus vel contractus* huiusmodi *rescissionem* seu annullationem pro futuro quoad iuris effectus etiam in conscientia, *actione* sic descripta suffultus, *quae vocatur* in omni iure et apud auctores proprie *rescissoria*, eo quod actum contractumve scindit aut destruit apud societatem.

Libertatis laesio accidere potest non solum illis causis usque nunc declaratis, sed etiam propter errorem, nam pro modo errantis non est in eo voluntas. Cum ergo eadem est ratio, par debet esse legis dispositio, Codex ampliavit sic praescriptum iuxta aequitatem. § 2. *Eadem* quoad effectum, nempe « rescissoria » *actione*, seu iure ad obtinendam in iudicio rescissionem contractus, a) *intra biennium* solummodo et computandum a die initi contractus excluso quoad supputationem temporis ad normam can. 34, § 3, 3°, *uti potest* libere, quatenus illa concessa est solum in privatorum utilitatem singulorum, *qui* b) *gravem* provenientem *ex contractu* per se vel per alium inito *laesionem* in bonis propriis c) *ultra dimidium* obligationis inde procedentis d) *ex errore* propter quem contractum illum inivit *passus est* cum effectu. Huius praescripti aequitas praesupponitur in decisione

[1] l. 1, t. XVI, L. 50, D.

Alex. III, quae conservata est sub cap. 2 « de arbitris » (I, 43). Rescissio praefati contractus ex errore non potest fieri ex officio, cum actione uti posse decernatur damnum passus, nec aliunde contrarium, quod sciam, probetur.

171. Diversos huius actionis reos edocet *can. 1685. Institui* legitime *haec actio* « rescissoria », sed ex contextu ob metum vel dolum, *potest* contra unum vel alterum ex sequentibus pro libitu actoris.

1° *Contra eum*, qua reum vocandum, *qui* a) *metum intulit aut* b) *dolum patravit*, alterutrum declaratum in § 1° canonis praec.is, *quamvis ipse* metus vel doli auctor *non in suum* forsan partiale, *sed in alterius* personae physicae aut moralis *commodum* seu utilitatem inde provenientem *talia peregerit* cum effectu actus vel contractus. Nec obiici potest, quod ex contractu valido exurgat ius quaesitum et naturali lege probatum in ea persona, cui contractus favet. Supposita enim lege positiva, quae talis contractus rescissionem permittit, implicita manet haec conditio resolutiva contractui inito, et quam conditionem in bonum commune sancitam privati pacto excludere nequeunt;

2° *Contra quemlibet* subiectum, videlicet: personam physicam vel moralem, *malae fidei* ob conscientiam illius defectus in actu vel contractu, *et etiam bonae fidei possessorem*, eo quod illa talem nesciat defectum, *qui* alteruter *res* quaslibet temporales vel adnexas spiritualibus *metu vel dolo* actionis rescissoriae causis *extortas possidet* apud se vel apud alium; sed quod audit ius evictionis per alium contractum eidem possessori forsan competens memoratur in canone, dum hic subiungit: *salvo iure regressus* propter contractum ex quo immediate res acquisivit *contra quemlibet*, qui fuerit pars in hoc contractu, et hic contra alium similiter *usque ad ipsum metus vel doli* causarum actionis rescissoriae *auctorem*.

172. Dubium ex dictis in mente exurgit. Videlicet: quare actio rescissoria, vi §i 2i cans 1684 concessa non exprimatur in praecedenti canone. Respondeo dicendum hoc provenire in diversitate fundamenti actionis. Nam quando intervenit metus aut dolus, per illam actionem legislator intendit subvenire libertati laesae, ita ut amissa sic bona recuperare possit; in casu vero erroris, iste non est substantialis vel recidens in conditionem *sine qua non*, nam talis « error actum irritum reddit » (can. 104), est ergo accidentalis, cui coniungitur passum damnum ultra mensuram. Istud ergo damnum reparare pertinet ad illam solum personam, cum qua fuit initus contractus, hunc irritando auctoritative, vel ad aequitatem reducendo. Ceteri autem ad quos res fortassis per-

venerunt per successivos contractus, potuerunt easdem valido ac firmo contractu obtinuisse.

173. Actioni rescissoriae correlativa exceptio. — Quamvis canon 1667 dixerit loquens de actione, « quodlibet ius ea munitur, nisi aliud expresse cautum sit », absolute addit: « sed etiam exceptione, quae semper competit ». Applicationem ipsius canonis exhibet praesens *can. 1686* praescribens. *Si is qui* per se vel per alium a) *metum* ut supra « gravem iniuste » *intulit aut* b) *dolum* circumveniendo alterum *patravit*, ut hic actum poneret vel contractum inierit equidem validum, et *urgeat* in iudicio illius *actus vel contractus exsecutionem* quoad iuris obligationes inde provenientes, *parti* solummodo *laesae* inde saltem quoad libertatem suam *seu deceptae* in circumventione *competit* iure *exceptio* huic canoni innixa, quae respective vocatur *metus vel doli*. Redit similis dubitatio quoad actionem rescissoriam vi can. 1684. § 1. Quare scilicet de correlativa exceptione non fiat mentio hoc in loco. Revera exceptio asserenda est vi can. 1667, sed eidem locus esse non videtur, quia in casu « laesionem ultra dimidium ex errore passus est ex contractu » (can. 1684. § 2) ac propterea supponitur hunc exsequutum fuisse.

174. Quibus conceditur beneficium restitutionis in integrum exponit *can. 1687* congruens iuri antiquo, quod invenitur in authenticis Collectionibus sub tit.° Lib. I. « de in integrum restitutione » (I, 41) X. — § *1. Minoribus*, personis physicis « infra vicesimum primum aetatis annum » (can. 88. § 1), *vel*, quae particula uti copulativa sumatur velut aequipollentiam indigitans, *minorum iure* ex qualibet causa *fruentibus*, sicuti ex can. 100, § 3 « personae morales sive collegiales sive non collegiales », iisdemque b) *graviter laesis*, non solum a personis aliis, sed etiam ab eorum administratoribus, et ex motivo harum laesionum *eorumque* « minorum » *heredibus et* quoad personas morales, *successoribus* in officio regendi vel administrandi eas, praecise *ad laesionem reparandam*, quae illis personis obvenit a) *ex negotio*, quod contractus sit vel non, *seu actu* praesertim iudiciali, v. gr. sententia, transacto termino fatalium, sed extra iudiciali quoque, v. gr. ex facta ab Ordinario loci concessione alicuius beneficii, quod pertineret ad monasterii collationem, alterutro autem b) *valido*, secus enim non aderit locus effectui, quem « restitutio in integrum efficit » (can. 1689), faciliorque adesset actio ob nullitatem actorum, imo et c) *rescindibili*, quatenus actus vel negotii validitas non sit iure divino firmata, et hinc nec in matrimonio nec in sacra ordinatione semel validis potest dari resti-

tutio proprie dicta: In negotiis vero seu actibus sic declaratis, *praeter alia ordinaria remedia* pro casuum diversitate, v. gr. actio rescissoria paulo ante declarata, appellatio contra sententiam, etc. *suppetit*, etiam his deficientibus, *remedium* illi damnui reparando *extraordinarium*, quia non omnibus datur personis, *restitutionis* quoad ius et obligationes inde profluentes *in integrum* quoad priorem conditionem personae.

Exempla sub hoc praescripto comprehensa utiliter hic adducentur. Alex. III in cap. 1 respondet: « Noveris itaque, quod si Ecclesia laesa est (de possessionibus laicis sub modico censu concessis), et manifeste apparet detrimentum ipsius (cum Episcopo eiusdem Ecclesiae conditionem facere deteriorem non liceat, et Ecclesia iure minoris debeat semper illaesa servari) quae in damnum eius data constiterit, ad ipsius convenit ius proprietatemque redire ». Item in re iudiciali Innoc. III sic ratiocinatur sub cap. 2: « Nos igitur inspectis privilegiis praedecessorum nostrorum Leonis, Gregorii, et Clementis, quod monasterium illud ad ius et proprietatem indicant Sedis Apostolicae pertinere, intelligentes quod monasterii procurator, et si eadem privilegia coram praedictis iudicibus exhibere omiserit negligenter, ius tamen non tam suum quam nostrum fuerit protestatus: videlicet quod monasterium ipsum ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertineret, ne ipsius negligentia in damnum tam nostrum quam monasterii redundaret, ad audientiam restituimus monachos Rothon. »

Atque notandum in cap. 3, quod etiam nunc valet ex Decretali eiusdem Pontificis Innocentii: « Licet autem utrinque sit in causa conclusum: quia tamen utraque pars necessariam (ut asserit) probationem omisit: Nos attendentes quod utraque ecclesia fungatur iure minoris, aequitate pensata, utramque restituimus contra reliquam, ad probandam rationem omissam: ne alterutra pars propter huiusmodi negligentiam gravi iactura laedatur ».

§ 2. *Hoc* iuris *beneficium*, quod nempe facit vel tribuit bonum, *maioribus quoque*, idest: « personis quae vicesimum primum aetatis annum expleverunt » (can. 88, § 1), *conceditur* legitime, a) *quos deficit* copulative *rescissoria actio* ad normam priorum canonum Capitis huius, *aut aliud ordinarium remedium* quo, pro diversitate negotii vel actus eorum indemnitati iuridice provideant, *dummodo* insuper b) *iustam subesse causam* illud exposcentem secundum aequitatem, *et* c) *laesionem*, quam inde sustinent, *sibi imputandam non esse*, secus enim non merentur indulgentiam hanc extraordinariam, *probaverint* sufficienter, idest plene, vel in causa favorabili semiplene.

Ita decisum est ab Innoc. III in cap. 4 huius tituli: « Licet autem de fraude taliter perpetrata (videlicet: « quod quidam ad eum et filiam eius accedens, fraudulenter sub ipsius abbatis nomine falsas eis litteras praesentavit, quibus mandabatur eidem, ut quia iudex ad diem quam assignaverat venire non poterat, post octo dies termino constituto, ipsius se conspectui praesentaret ») per huiusmodi iuramentum non constet ad plenum, in favorem tamen matrimonii de benignitate canonica, contra fraudem propositam, supplicationem mulieris admisimus, et ad audientiam restituimus eam pro matrimonio postulantem ».

175. Tres quaestiones solvit *can. 1688*. Prima est designatio iudicis a quo restitutio in integrum petenda sit. Caput 9 « de in integrum restitutione » (I, 41) X distinguendo sic respondebat: « Causa restitutionis in integrum, coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis tractari poterit et finiri, sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, » et hucusque praescriptum certo viget post Codicem, « sive in commisso eis negotio contingat incidere huiusmodi quaestionem. — Delegati vero ab Ordinariis qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem iudicandi, » quoad hos correctum est caput. « seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeunt, » quod etiam nunc valet atque sine exceptione sequenti, « nisi coram eis mota fuerit incidenter ».

Quod monuimus patet, dum praescribit § *1. Restitutio* quaelibet *in integrum*, ut supra in can. praec. *peti debet* per supplicem libellum ad normam horum canonum a) *ab ordinario iudice*, nempe: « iudex primae instantae est loci Ordinarius » (can. 1572, § 1) atque « officialis electus cum potestate ordinaria iudicandi, (regulariter) a Vicario Generali distinctus » (can. 1573, § 1), b) *qui competens est* ad normam Tituli I « de foro competenti » *respectu illius, contra quem* « restitutio » illa *petitur*, unde aliquando poterit esse tribunal superius antea dicto, et prosequitur canon loquens de secunda quaestione, videlicet: intra quod tempus peti debeat.

De hoc tempore sic loquitur Bonif. VIII in cap. 2 « de restitutione in integrum » (1, 21) in 6°: « Si adversus confessionem in iudicio a se factam, laesa ecclesia beneficium restitutionis in integrum infra quadriennium ab ipsius confessionis tempore computandum petere negligenter omittat: non est (nisi aliquid rationabile appareat, quod aliud suaserit faciendum) ad hoc petendum ulterius admittenda. Ubi vero per viam communem revocationis erroris, quem in facto praetendit, vult adversus suam

confessionem ecclesia se iuvare: hoc quandocumque poterit, donec negotium sit finitum ».

Hoc spatium temporis adhuc sufficiens visum est digerenti Codicem, sed in supputando initio, facta est opportuna distinctio haec: « peti debet restitutio » *intra quadriennium* equidem ad normam can. 34 § 3, 1°, 2°, quia a) *ab adepta maioritate* « explendo vicesimo primo aetatis anno » (can. 88, § 1), *si agatur de minoribus* « graviter laesis, » nam commode poterunt interim, cognitis laesione ac proprio iure, agere in iudicio, b) *a die laesionis factae* sequentibus, simul *et cessati* ad petendum *impedimenti*, *quia* v. gr. rector ecclesiae seu administrator beneficii fuit in culpa, unde ab eo expectanda non est postulatio illius beneficii, vel quia laesus graviter infirmitate vel absentia petere impedicbatur, scriptum est enim: *si* « agatur » *de maioribus* dum laederentur, *aut personis moralibus* « sive collegialibus sive non collegialibus » (can. 100, § 3).

Tertiam quaestionem de modo procedendi ex parte iudicis, etiam sub distinctione decernit § 2. Inter omnes, qui obtinere possunt beneficium restitutionis in integrum, *Minoribus vel minorum iure fruentibus*, prout hi omnes fuerunt ad can. 1687 sub § 1' declarati, *restitutio* praefata *concedi potest a iudice* iuxta can. 1688, § 1 competente *etiam ex officio*, videlicet: quamvis illi vel horum administratores non petant, interest enim societatis, ne pravi homines abutantur talium personarum absque timore, *sed audito*, quando ille vult motu proprio ad illud elargiendum procedere, *vel instante promotore iustitiae*, atque tunc iudex etiam debet suum officium praebere.

176. Effectus iuris ex tali beneficio sic enunciat *can. 1689. Restitutio in integrum* legitime concessa ad normam praecedentium canonum *id efficit ut* auctoritative omnia, quae ex negotio vel actu valide posito processerunt iure, *revocentur in pristinum*, quae verba statim explicantur; *idest restituantur in statum* iuridicum *quo erant ante laesionem*, unde retrotrahitur effectus quandoque ultra quadriennium, quod memorat can. 1688, § 1, *salvis iuribus quae alii, etiam* illi contra quos obtinetur beneficium, *bona fide*, videlicet: tanquam in re propria propter actum in se validum, *ante petitam* a parte vel a promotore iustitiae *restitutionem* praefatam *quaesiverint*, non igitur alia sic quaesita post iudicialem petitionem.

Huiusmodi exemplum habemus in decisione, quam sub cap. 11 huius tituli (1, 13) X dedit Coelest. III: « Quocirca mandamus, quatenus si praedictum monasterium propter hoc invene-

ritis enorme dispendium incurrisse, dictum laicum ut (pecunia quam pro exoneratione feudi, seu etiam pro utilitate ipsius monasterii expendisse noscitur, ab eisdem Abbate et conventu recepta, cum sibi, fructus percepti sufficere debeant pro labore) praefatum feudum eidem monasterio dimittat liberum et quietum, appellatione postposita compellatis ».

177. Notio restitutionis in integrum sic ex dictis congrua dari potest: « Est nempe iuc. competens minoribus graviter laesis (can. 1687, § 1) et aliquando, ex iusta causa, maioribus (can. cit. § 2) petendi ab ordinario iudice, (can. 1688, § 1), restitutionem omnium in statum, quo erant ante laesionem » (can. 1689).

CAPUT V.

De mutuis petitionibus seu de actionibus reconventionalibus.

CAN. 1690. - § 1. Actio quam reus coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem ad submovendam vel minuendam eius petitionem, dicitur *reconventio*.

§ 2. Reconventio reconventionis non admittitur.

CAN. 1691. - Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spolii ; in criminalibus vero non admittitur, nisi ad normam can. 2218, § 3.

CAN. 1692. - Proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi sit absolute incompetens.

178. Inscriptio capitis et canonum ordo. — Considerandum est *Caput V*, cuius inscriptionis pars est eadem rubrica tit. 4 Lib. II Decretalium. « De mutuis petitionibus ». Haec innuit utramque partem in iudicio vices actoris assumere erga alteram, eo quod in eo agere idem est ac petere. Ad cuius elucidationem sciendum est reum audientem coram tribunali libellum iudicii introductorium, posse adversario contradicere tripliciter. Nam sufficeret negare intentum actoris, cui incumbit illud probare, sed quandoque reus utitur exceptione curans eludere actionem propositam, et tunc habet locum axioma iuris: « reus excipiendo fit actor », quod sane intelligendum est, quatenus huic excipienti onus incumbit eam exceptionem probandi. Tali autem modo nihil revera petit reus, sed manet in propria conditione. Ait enim Clemens III (cap. I, tit. X, L. II, X): « cum exceptione probata, quaestio principalis perimatur, ante est cognoscendum de ipsa, quam ad diffinitionis articulum procedatur ». Accidere autem posset ut conventus in iudicium gauderet erga partem alteram actione, quam simul vellet experiri, dum petitionem iudicialem reiicit, quo modo fieret directe actor.

Datur enim aliqua causa, quae ex natura sui hanc mutuam petitionem secumfert, sicut testificatur Lucius III [1]: « Ad quod scire debes, quod iudicium finium regundorum tale est, ut in eo utraque persona vices duorum habeat, videlicet actoris et rei ». Item vidimus in can. 1567, quod « ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae », quod evenire posset inter easdem partes, dum earum agitatio ab invicem una peteret adversus alteram. In prima et secunda hypothesi extaret revera mutua petitio, sed cum has non consideret legislator in hoc Capite, sic complevit determinans inscriptionem, *seu de actionibus* vere ac proprie *reconventionalibus*.

Per tres canones, 1690-1692 res absolvitur, exponens primo earum notionem ac praescribens limitationem. Alter canon edicit causas in quibus reus possit uti reconventione, ac denique postremus canon extendit, quatenus opus esset, iudicis potestatem.

179. Notio reconventionis optima est, quam offert *Can. 1690*. Sic se habet § *1. Actio* proprie dicta, nempe exercitium iuris petendi quidquam a iudice cum canonis fundamento, et *quam reus* propter conventionem coram tribunali *coram eodem iudice* equidem *in eodem iudicio* a momento litis contestatae usque ad sententiam *instituit contra actorem* eundem et praecise *ad submovendam*, eo quod si vincat reconventionem nihil praestare actori teneatur, *vel minuendam eius petitionem*, ita ut actor infra hanc consequatur intentum, et quae inducunt ad proponendam hanc actionem statim in contestatione litis, *dicitur* in iure Codicis ac in usu forensi *reconventio*, tanquam simultanea conventio per diversum actorem.

Haec notio fulcitur capite 6 « de arbitris » (I, 43) X, dum Lucius III ad quaestionem: « Utrum coram arbitris reconventioni sit locus, postulasti per Sedem Apostolicam explicari », subiungit: « Nos igitur respondemus, quod licet in iudicio convenientem reconvenire valeat, is qui coram iudice convenitur: coram arbitris tamen reconvenire non potest: cum arbitri iudicare non valeant, nisi de his tantum, super quibus in eos extiterit compromissum ».

Simultaneitatem supra dictam constituit Clem. « Saepe contingit » (V, 11), « de verborum significatione » quoad hoc servanda ob legis rationem ibi adductam. « Verum, quia iuxta petitionis formam pronunciatio sequi debet, pro parte agentis, et

[1] Cap. III « de probationibus » (II, 19) X.

etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda, sive in scriptis, sive verbo (ut super quibus positiones et articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, et ut fiat deffinitio clarior) inserenda ».

Attamen Greg. IX « de rescriptis » (I, 3) in 6°, sub initium capitis 3 haec habet: « Dispendia litium aequitatis compendio volentes, qua possumus industria coarctare », haec infra constituit: « Reus quoque si eodem durante iudicio, actorem sibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficio vel conventionis (si contra eum litteras impetrare maluerit) de iure suo debet apud eosdem iudices experiri: nisi eos ut suspectos poterit recusare ». Qua de causa etiam nunc excusaretur a reconventione proprie dicta instauranda.

Demum cavet § 2. *Reconventio* in §° definita sed ex parte principalis actoris adversus eumdem reum, quia est additum: *reconventionis* enunciatae antea *non admittitur* a iure, cui conformari debet iudex.

180. Extensio reconventionis adhibendae certis circumscribitur limitibus. De quo tractat *can. 1691. Actio reconventionalis*, uti supra definita est, *locum habere potest*, sicut ex regula generali, *in omnibus causis contentiosis*, quando nempe agitur directe de privatorum iure vindicando aut persequendo, *exceptis causis* reapse, seu cognoscendis ac sententia finiendis, quales dici nequeunt sententiarum exequutiones aliquatenus controversae, *spolii* etiam proprie dicti, secundum ius anterius in cap. 3 « de ordine cognitionum » (II, 10) X.

Sic enim decrevit Greg. IX: « Super sploliatione conventus, adversus restitutionem petentem non est (nisi super quaestione spoliationis) si eum reconveniat, audiendus: Cum restitutionis petitio in hoc privilegiata noscatur, ut ipsam intentans, non cogatur ante restitutionem, spoliatoribus respondere. — Quamquam ab agendo (spoliatione ab eis in modum exceptionis proposita) repellatur ».

His causis exceptis non putamus adnumerandam petitionem restitutionis depositi, cum haec denegatio multis ex rationibus queat esse iusta exponendis per exceptionem aut reconventionem depositarii.

181. Competentia iudicis circa reconventionem necessario fuit exprimenda ad normam Iuris Decretalium, ut patebit. Sic enim loquitur Alex. III in cap. « Ex litteris » 1, « de mutuis petitionibus » (II, 4): « Quoniam rationis ordo exigit, ut plebanus et clerici Maturenses abbati et fratribus Maturensis monasterii, de iis quae adversus eos proponunt, debeant in vestra praesentia

respondere: cum sibi ex ipsis coram vobis a Sede Apostolica delegatis iustitiam postulant exhiberi. — Mandamus, quatenus actione plebani et clericorum proposita, et responsione facta: monitione praemissa, compellatis eosdem, memoratis abbati et fratribus, incontinenti coram vobis super suis quaestionibus respondere: et vicissim postmodum rationes partium audientes, concordia vel iudicio utriusque negotium terminetis ».

Huic congruit *can. 1692. Proponenda est* (quo exprimitur praeceptum) supple ex can. praec. « actio reconventionalis » ibi declarata *iudici* tam ordinario quam delegato, quod Coelestinus III praesupponit, quando ait Ro. decano [1]: « Sane consuluisti nos, utrum cum causa appellatione remota committitur, et reus coram eodem iudice actorem reconvenerit, et actor super reconventione appellationis obstaculum interponit, an sit huiusmodi appellationi deferendum? Nos vero ita sentimus, quod cum actoris et rei eadem sit conditio: et uno eodemque iure circa appellationis remedium debeat uterque censeri: sicut desiderat actor, ut sibi iuxta mandatoris rescriptum iustitia fiat appellatione remota: eodem modo reconvenienti debeat in sua iustitia respondere ».

« Proponenda est » igitur reconventio « iudici » ut supra *coram quo actio principalis* nempe actoris prima *instituta est*, quae verba innuunt reg. 42 iuris in 6°: « Accessorium (sicut censenda est reconventio in ordine ad actionem, qua reus vocatur in iudicium) naturam sequi congruit principalis ». Et prosequitur canon confirmans superius dicta, *licet ad unam* illam *causam dumtaxat delegato* a Sede Apostolica vel ab Ordinario, qui sit ea inferior, immo *vel alioquin incompetenti* respectu actionis reconventionalis, quia desit quodlibet « unum ex titulis qui in can. 1560-1568 determinantur », quia excipitur *nisi sit absolute incompetens* ad normam can. 1558. — Hinc sequitur vi canonis competentiam relativam extendi causa reconventionis.

CAPUT VI.

De actionibus seu remediis possessoriis.

Can. 1693. - Qui ad possessionem alicuius rei adipiscendam, vel ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, petere potest, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur.

Can. 1694. - Non solum possessio, sed etiam simplex detentio praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam.

Can. 1695. - § 1. Qui annum integrum in possessione rei vel in

[1] **Cap. 2 « de mutuis petitionibus » (II, 4) X.**

quasi-possessione iuris manserit, si molestiam patiatur quominus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat, habet actionem *retinendae possessionis*.

§ 2. Haec actio non admittitur nisi intra annum ab illata molestia adversus molestiae auctorem ut a molestiis desistat.

CAN. 1696. - § 1. Etiam qui vi, clam vel precario possidet, actione *retinendae possessionis* uti potest adversus quemlibet deturbatorem; non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit.

§ 2. In causis quae ad bonum publicum spectant, iustitiae promotori ius est opponendi vitium possessionis adversus eum qui vi, clam vel precario possidet.

CAN. 1697. - § 1. Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in possessione praeferendus est qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit.

§ 2. In dubio iudex possessionem pro indiviso utrique parti attribuat.

§ 3. Si rei vel iuris indoles aut contentionum et rixarum periculum non patiantur ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur, iudex rem apud sequestrem deponi, aut iuris quasi-possessionem suspendi iubeat usque ad iudicii petitorii exitum.

CAN. 1698. - § 1. Qui vi aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi-possessione iuris deiectus est, adversus quemlibet spolii auctorem vel rei detentorem habet actionem *recuperandae possessionis* vel de spolio et spolii exceptionem.

§ 2. Haec actio non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit; exceptio, contra, perpetua est.

CAN. 1699 - § 1. Spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium, non tenetur respondere, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus.

§ 2. Spoliatus ut in possessionem restituatur, nil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam.

§ 3. Sed si in restitutione rei vel exercitii iuris aliquod occurrat periculum (ex. gr. saevitiarum, cum vir contra uxorem postulat restitutionem coniugalis consortii), iudex, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, pro diversis personarum causarumve adiunctis decernat aut restitutionem suspendi, aut rem vel personam apud sequestrem custodiri, donec causa petitorio iudicio definiatur.

CAN. 1700. - Iudicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte in iudiciis retinendae vel recuperandae; citatis vero omnibus iis quorum interest, in iudiciis adipiscendae.

182. Inscriptio capitis et canonum coordinatio. — Hucusque in hoc quinto Titulo tractatum est de diversis actionibus petitoriis cum relativis exceptionibus. Deest ergo considerare alias actiones, quas enuntiavit can. 1668 sub §° 2, dicens: « si vero (fidelis exercens ius auctoritate legis subnixum) rei possessionem vel iuris quasi possessionem postulat (in iudicio), eius actio *possessoria* vocatur.

Propterea *Caput VI* nunc exponendum habet pro inscriptione *De actionibus seu remediis possessoriis*, et remedia vocantur ab antiquo, veluti iuris subsidia, quibus factum possessionis vel quasi possessionis civilis urgeri potest. Hae actiones appellatae sunt quoque ex more Romanorum interdicta, quasi « inter duos dicta » contendentes circa rem aliquam habendam de facto uti

propriae activitati rite subiectam, cum alterius utrius exclusione.

Possessio secundum simplicem notionem definitur: « physica rei detentio per quam homo suam in eadem re activitatem exercet ». Dicitur *physica*, quatenus in facto consistit, quod oculis percipitur, *rei detentio*, quia requiritur ut eam rem non solum conspiciat ut possidere dicatur, sed manu vel sensibili actione illam apprehendat vel teneat, et quidem per talem actionem *homo suam in eo activitatem exerceat*, sive colendo, si sit ager, sive inhabitando, si sit domus, sive percipiendo fructum eiusdem rei, sive utendo ea. Haec omnia suadent rem esse corporalem saltem partialiter, ut accidit in beneficio ecclesiastico, sive immobilem, sive mobilem. Propterea, quando agitur de iuribus tantum, quae incorporalia sunt, loco verbi possessionis appellatur quasi-possessio iuris, eo quod homo ponit actus, qui constituunt exercitium praedicti iuris.

Illa notio primitiva possessionis et quasi possessionis, si amplietur qua iuridicis effectibus munita, solet definiri: « Rei detentio corporis, animi, iuris adminiculo suffulta », quae postrema verba sic accipienda sunt, quod ipsum possessionis factum sub quibusdam conditionibus per ss. canones sufficit ad quosdam effectus canonicos obtinendos.

Haec *possessio* solet vocari *civilis* respectu alterius, quae huiusmodi fulcimento orbata vocatur *naturalis*.

Aliae possessionis divisiones convenit ut exponantur. Possessio alia est *cum bona fide*, alia *cum mala fide*, quatenus possidens rem detinet iudicans prudenter nulli ab eodem ea de causa inferri iniuriam, vel contrarium probabili ratione cognoscit. — Item possessio alia est iusta, alia iniusta seu vitiosa. Prima est quae nec vi, nec clam, nec precario est obtenta. Secus est iniusta seu vitiosa.

Ampliores notitiae haberi queunt apud probatos Auctores antiquos ad Tit. 12 Lib. II Decretalium « De causa possessionis et proprietatis ».

183. Ordo canonum. — Factum possessionis habet quandoque fundamentum in iure, quod alicui competit in re possidenda, vel quam de facto possidet. Quandoque autem merum legitimae possessionis factum per sacros canones protegitur saltem adversus deturbare intendentes illud, ac demum ab illa possessione quis deiectus est, quin constet de iure legitimo deiicientis, vel is taliter egit propria auctoritate. Hinc sumitur distinctio actionum possessoriarum, quae dicuntur obtinendae seu acquirendae, retinendae, atque denique recuperandae possessionis. Quae divisio pariter obtinet, quando agitur de quasi-possessione iuris, idest: de acti-

bus positis ad normam ss. canonum, qui ex his praesupponunt ius in exercente ipsos.

Illa distinctio tam in possessione quam in iuris quasi-possessione praebuit ordinem canonum, nam de adipiscenda possessione tractat can. 1693, quem sequitur can. 1694 generalis de aliis duabus actionibus cum relativis exceptionibus. Quoad retinendam possessionem vigent can. 1695-1697, ita vero ut duo priores determinent personas, quibus haec actio competat, et can. 1697 dat iudici normas sequendas in quadam retinendae possessionis hypothesi. Postea can. 1698 edicit adversus quas personas et intra quod tempus exerceri queat actio recuperandae possessionis, et can. 1699 enuntiat et explicat de hac actione vel exceptione favores iuris, dum ultimus can. 1700 exprimit citandos iure iuxta diversitatem possessionis in toto Capite consideratam.

184. De actione possessionis acquirendae hoc tenendum esse praescribit can. 1693. *Qui* propter capacitatem iuridicam « possit in rerum possessionem induci », ut loquitur Innoc. III in cap. 3 [1] Lib. II Decretalium, X, v. gr. clericus in beneficii possessionem, quod subintelligitur in sequentibus, a) *ad possessionem* proprie dictam atque civilem sub inscriptione definitam *alicuius rei* corporalis, v. gr. agri empti, officii ecclesiastici, consortii coniugalis, *adipiscendam*, quia illa nondum gaudet, *vel* ad quasi-possessionem rei incorporalis, quod sic proprie enunciatur: b) *ad alicuius iuris* subiectivi *exercitium*, seu actus, ex quibus quasi-possessio constat, *obtinendum* cum iuridico effectu, *munitur titulo legitimo*, videlicet: fulcitur ratione, quae procedit ex quodam facto iuridico, idest: iuxta leges posito, v. gr. contractu emptionis-venditionis, institutione in officium, matrimonio valido, *petere* in iudicio *potest*, seu habet actionem possessionis acquirendae, nempe: *ut* a) *in rei* praefatae *possessionem* sibi ex titulo iure consequentem, v. gr. agri empti, uxoris consortium coniugalem, b) *vel iuris* supra declarati v. gr. eligendi ex aliquo privilegio apud collegium, cui sit ille extraneus, *immittatur* per iudicis auctoritatem. Hoc supponit adesse contradictores, nam secus idem petendi ius habet a Superiore competente, qui administrativo modo procedat.

185. Significatio iuridica verbi possessionis in sequentibus canonibus, qui agunt de remediis possessionis retinendae aut recuperandae. *Can. 1694. Non solum*, quia expressa in sequentibus, *possessio* stricte dicta, prout in praec. canone, quae « munitur

[1] « Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam ».

titulo legitimo », *sed etiam simplex detentio* seu factum possessionis naturalis, cuius notio fuit exposita sub inscriptione capitis, *praestat* seu tribuit ex iure, *ad normam canonum* de hac detentione proinde interpretandorum, *qui sequuntur*, « retinendae vel recuperandae possessionis » *actionem*, idest: ius petendi relativum auctoritatis fulcimentum, *vel exceptionem* « quae semper competit et est suapte natura perpetua » (can. 1667) adversus actorem in petitorio, utramque *possessoriam*.

Hoc ultimum constat ex iure Decretalium. Innocentius enim III hanc dedit sapientem decisionem [1]. « Sane, (sicut intimasti) contingit aliquando, ut cum is qui se asserit spoliatum, suum trahit spoliatorem in causam, inter ipsa iuris auspicia requisitus, quo malit experiri iudicio, litem proprietatis ingreditur, de illata sibi violentia nullam faciens mentionem: cum autem fuerit in causa processum, novum iudicium super possessorio nititur inchoare: et infra... Consultationi tuae taliter respondemus, quod possessorio quidem iudicio, quod de recuperanda seu adipiscenda possessione proponitur, antequam renunciatum sit, aut conclusum in proprietatis iudicio primitus instituto, agi potest ab eo qui rem ceperit vendicare: Cum legali sit provisione statutum, eum qui fundum vendicaverit, ab eo cum quo interdicto (unde vi) potuit experiri pendente iudicio interdictum posse nihilominus intentare. Aliis possessoriis iudiciis in suo robore duraturis, qui vendicationem dominii sui natura praecedunt. Si vero renunciatum fuerit vel conclusum, ut iam possit causa proprietatis diffinitivae sententiae calculo terminari, (ne lites litibus inculcentur, et via possit fraudibus aperiri) causa non decisa possessorio non erit utendum: Nisi iudex qui de causa cognoscit, hoc ipsum ex iusta causa viderit expedire: Puta cum ex perspicuis indiciis facile arguitur iniquitas invasoris, et spoliato casu seu malitia probandi dominium subtraxerit facultatem. His igitur et aliis causis inspectis (quae continent aequitatem, aut iuste moverint animum iudicantis) postquam etiam conclusum fuerit, posse agi possessorio iudicio non negamus ».

De simplici fortassis detentione existente respondet idem Pontifex in cap. 6 « de Institutionibus » (III, 7): « Nos igitur interloquuti fuimus, archiaconum esse in plena libertatum eiusdem archidiaconatus possessione tuendum, donec probatum legitime fuerit ex adverso, libertates ipsas archidiaconis, ab archiepiscopis personaliter fuisse concessas: cum in hoc casu, tam ante, quam

[1] Cap. 5 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X.

post, et in ipsa etiam concessione, archiepiscopus eas retinere potuerit licite tanquam suas: vel donec legitime probatum fuerit, easdem libertates archiadiaconum abiurasse ».

186. De actione retinendae possessionis, ordinarias iuris conditiones tradit *can. 1695*. In cap. 3 « de probationibus » (II, 19) X legimus: « nam possessori probationem aliquando dari, iuris manifesti est: cum iure cautum sit, quod qui obiecerit praescriptionem longissimi temporis (quam nemo recte obiicit, nisi qui possidet) et eam probaverit, in causa debeat obtinere ». — Quandonam vero possessori probatio detur per sacros canones, edicit § *1. Qui*, dum capax sit iurium, *annum integrum*, et consequenter continue, nam subditur: *in possessione* ad normam praec.s canonis interpretanda *rei* sensibilis *vel in quasi-possessione* idest: exercitio actuum *iuris manserit*, supputando illum annum ad normam can. 34 § 3, 1°, 3°, *si molestiam* quamlibet ex alterius personae factis vel dictis *patiatur* in hunc finem tendentem *quominus suam* declaratam *possessionem vel quasi-possessionem retineat* pacifice, *habet actionem* seu ius hoc canone concessum instaurandi apud tribunal iudicium *retinendae possessionis*, sub quo verbo includitur quasi possessio.

Undequaque eamdem delimitat § 2. *Haec actio* sub §° 1° *non admittitur* iure, unde excludi potest per exceptionem a reo, *nisi* proposita fuerit a) *intra annum* supputandum *ab illata molestia* permanente, ut supponitur, quocumque autem tempore haec inceperit, b) *adversus molestiae auctorem* sive per se sive ob mandatum, ita ut alius nequeat in iudicium ob illam actionem trahi, et quidem hoc scopo per sententiam persequendo c) *ut a molestiis desistat* interventu auctoritatis ecclesiasticae.

187. De actione eadem in casibus specialibus agit *can. 1696*. Dictum est enim in can. 1694 aequiparari iure possessioni verae simplicem detentionem, quae iniusta esse cum possit, aliquantulum modificari actionem retinendae possessionis ex detentione aequitas postulat. Hoc facit § *1. Etiam qui* a) *vi* nempe: « maioris rei impetu qui repelli non potest », sive materialis sit, sive moralis, v. gr. in cap. 7 « de restitutione spoliatorum » (II, 13) X « dicitur patrare spolium (seu vim adhibere) iudex qui sententiam edit notorie iniustam », b) *clam*, idest: inscio domino rei vel subiecto iuris, *vel* c) *precario* et « est quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur » [1], qui ergo uno ex his tribus modis *possidet*, sumpto verbo, ut initio

[1] L. 1 pr. ff. de precario.

declaratum est, *actione retinendae possessionis* iam explicata, *uti potest* ex huius canonis concessione *adversus quemlibet deturbatorem* in possessione, nam societatis interest, ne possessionis institutum labefactetur, nisi praeeunte publicae auctoritatis cognitione, et ne privati propria auctoritate se intromittant ad iniustitias contra alios resecandas, quapropter praedictam actionem sic limitat: *non autem* « uti potest » *contra personam* uti reum, *a qua ipse* initio canonis declaratus *rem materialem vel spiritualem* a) *vi vel* b) *clam surripuit*, talis enim actio, utpote iniusta illi favere non potest, *aut* c) *precario* accepit, quando res eadem hoc in ultimo casu exigitur.

Imo actio praedicta elidi potest, ut innuit § 2. *In causis* videlicet *quae ad bonum publicum spectant*, v. gr. circa officia iurisdictionis, *iustitiae promotori* qui debet interesse in eis, *ius est*, unde in casu officium quoque imminebit, *opponendi* detentori illi *vitium possessionis*, quapropter haec est tantum de facto, *adversus eum qui* a) *vi*, b) *clam vel* c) *precario* ut supra *possidet*.

188. De possessione pro indiviso. — In definitione possessionis vidimus requiri activitatem corporis et mentis intentionem. Illa vero, sive versetur circa rem corporalem sive quoad iuris exercitium, non est continua; unde quaestio inter duos oriri potest, qui alterutrius activitatis actus posuerunt « per annum integrum » praecedentem.

De tali ergo quaestione dirimenda, iudici normam tradit *can. 1697*, eo quod de retinenda possessione agetur. Et primo in genere loquitur § *1. Si inter duos* in causa contentiosa necessarios *controversia oriatur* ob aliquod possessionis elementum, sed praesertim circa corporis activitatem, *uter eorum possideat* proprie ac de facto, *ille in possessione* retinenda, sive actor sive reus, *praeferendus est*, seu pro illo ferenda est sententia, *qui intra annum*, supra in can. 1695, § 1 declaratum, *frequentiores* quoad numerum *et potiores*, quoad qualitatem et praecise respectu *possessionis* controversae *actus* v. gr. administratio sacramentorum, quae parochis reservantur, si de paroeciae subditis agitur, *exercuit*.

Illae frequentia et praesertim praestantia actuum probandae sunt et a iudice caute ponderandae, nec semper liquebunt. Opportune igitur statuit § *2. In dubio* permanente post causae discussionem *iudex* competens *possessionem* retinendam *pro indiviso*, videlicet: quoad rem et ius forsan existens divisione exclusa, usus rei v. gr. perceptio fructuum, vel iuris exercitium v. gr. cura fidelium, vel divisim pro medietate, vel successive alternis vi-

cibus, *utrique parti* contendenti *attribuat* per sententiam in iudicio possessionis retinendae.

Illud expostulat iustitia statuens medium et ius suum unicuique iuxta probationes tribuens. Verumtamen praevenit damna quae ex tali sententia oriri possent, vel providet insufficienti huic normae in casibus, dum statuit § 3. *Si rei* vg. beneficii ecclesiastici, *vel iuris* v. gr. funerandi commorantes in quodam hospitio a) *indoles aut* b) *contentionum et* c) *rixarum* forsitan ob qualitates personarum *periculum* praevisum prudenter et fortassis ob praeteritam experientiam, *non patiantur* ut iuxta §^m praec.^m *litigantibus* de possessione retinenda *pro indiviso possessio*, ut ibi declaratum est, *interim* ob naturam probationum *attribuatur*, *iudex* competens ab utroque removens ad tempus possessionem facti ac pro huius diversitate, extenso canonis 1672 praescripto, a) *rem* possidendam *apud sequestrum* ad normam can. 1675 *deponi*, *aut* b) *iuris quasi-possessionem* seu exercitium de facto *suspendi iubeat* decreto, *usque ad iudicii petitorii exitum*, in quo nempe agatur « ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum persequendum ex titulo iuris auctoritate subnixo » (can. 1668, § 1), sive illa instituatur actio ab eo, qui partes actoris in possessorio gerebat, sive ab altero, qui ut reum in possessorio se sistebat.

189. Interdictum unde vi fuit appellatum in Iure Romano, unde transiit in ius canonicum, illud iudiciale remedium, de quo in Codice tractare incipit *con. 1698*. Exponit actionem et exceptionem huiusmodi § 1. designans subiectum iuris, erga quas personas illud exerceri possit et finem ex tali remedio consequendum. Atque ait. *Qui* usque nunc possessor, ut eruitur ex contextu, atque parum refert natura huius possessionis, quapropter etiam « simplex detentor », etsi iniustus « quia praedo etiam est secundum rigorem iuris restituendus », ut ait Alex. III Brixien. episcopo [1] dummodo *vi*, seu « maioris rei impetu, cui resisti non potest », *aut clam*, idest: respectu possessoris vel gerentis vicem eius in possessione, *quoquo modo* ex pluribus, qui exprimuntur in iure Decretalium et apud Doctores quisquam *a possessione rei*, v. gr. beneficii, ut in cit. textu Decretalium, *vel quasi-possessione iuris* v. gr. matrimonialis, sicut in capp. 8, 10 et 12 huius tituli, *deiectus est* de facto, alias enim propter molestiam vel attentatum esset locus interdicto retinendae possessionis, *adversus quemlibet* etiam proprium Praelatum, administratorem personae moralis, minoris tutorem, verumtamen a) *spolii* seu deiectionis praedictae *auctorem*,

[1] Cap. 5 « de restitutione spoliatorum » (II, 13) X.

qui nempe eamdem exequutus est, iussit vel efficacem concursum praebuit, *vel* b) *rei* possessae ut supra *detentorem* « quemlibet » ac proinde sive bonae sive malae fidei iste sit, et qualitercumque ad illum res pervenerit, *habet* a) *actionem* seu ius petendi a iudice effectum *recuperandae possessionis*, quae non esset proprie talis, si fructus illius rei interim percepti non restituerentur, *vel* prout in iure dicebatur haec actio *de spolio et* b) *spolii exceptionem*, ut se defendat ab spoliante fortassis actore in iudicio.

Ad auferendam Doctorum dissensionem additur § 2. *Haec actio* in §° 1° delimitata *non admittitur* a iure, cui conformari debet iudex, *praeterlapso anno*, nempe: « spatio 365 dierum » (can. 32, § 2) *postquam spolium*, ut supra descriptum, *passus rei* seu spoliationis *notitiam habuit*, quod praescriptum innuit, transacto illo anno, ius possessionis forsan prius existens non muniri actione praefata, secundum can. 1667 exceptionem; cum *exceptio* « spolii », *contra perpetua est*, in hypothesi quod maneat privatio possessionis ratione originaria spolii.

190. Effectus interdicti unde vi referuntur in iure Decretalium ab Innoc. III dicente: [1] « Nos autem distinguendum esse credimus, utrum spoliationis quaestio ab eisdem nobilibus sit obiecta in modum actionis, ad restitutionem petendam: an in forma exceptionis, ad intentionem adversarii repellendam: Cum ea in modum actionis proposita, intelligantur mutuae petitiones sese tamquam diversae minime contingentes: ac per hoc iuxta regulam iuris, qua dicitur: qui prior appellat, prior agat: quae prius esset proposita, prius foret tractanda: quamquam in idem iudicium ambae deductae, vicissimque tractatae simul essent eadem sententia terminandae. Sed quoniam quaestio illa fuit ab eisdem nobilibus tantum in modum exceptionis obiecta, interloquendo pronuntiavimus, ut probationes eorum super ipsa exceptione primitus audirentur: et ea probata legitime, abbati non cogerentur respondere super petitionibus memoratis, donec restituerentur ab ipso: cum spoliatori, spoliatus ante restitutionem non cogatur ullatenus respondere ».

Similem distinctionem adhibet *can. 1699*, dum praefatum axioma sic retinet § *1. Spoliatus*, declaratus sub § 1° can.s praec.s *adversus spoliantem* proprie seu « spolii auctorem » supra declaratum, non adversus « rei detentorem », quamvis ille tanquam reus in iudicio sit a) *excipiens* hunc « spoliantem » qua actorem, *et probans spolium* id est legitime ostendens « vi aut clam quoquo

[1] Cap. 2 « de ordine cognitionum » (II. 10) X.

modo a possessione rei vel quasi possessione iuris deiectum esse » ab actore, non a tertia persona, prout decrevit Innoc. IV in Conc. Lugd. aiens: « finem litibus cupientes imponi, et calumniae materiam amputare, statuimus ut in civilibus negotiis, spoliationis obiectum (quae ab alio, quam ab actore facta proponitur) iudex in principali procedere non postponat ». Ergo iuxta interpretationem datam « spoliatus » *non tenetur respondere* spolianti actori, *nisi prius fuerit in suam*, eo quod deiectus ab ea vi aut clam quoquo modo, *possessionem* « rei » ut plurimum, vel quod aequipollet ipsi « quasi possessionem iuris » *restitutus* eo modo quo illa extabat ante deiectionem de facto.

§ 2. *Spoliatus* ad mentem can. 1698 initio §[i] 1[1], *ut in possessionem* modo paulo ante sub §° 1° declaratam *restituatur* a iudice sive « actionem recuperandae possessionis » exerceat, sive « spolii exceptionem » tum contra spoliantem, tum contra rei detentorem saltem ad normam cap. 18 « de restitutione spoliatorum » (II, 13) X, quia ut ait Innoc. III in Conc. generali: « Saepe contingit, quod spoliatus per spoliatorem in alium re translata, dum adversus possessorem non subvenitur per restitutionis beneficium spoliato, commodo possessionis amisso propter difficultatem probationum iuris, proprietatis amittit effectum. Unde non obstante iuris civilis rigore, sancimus, ut si quis de cetero scienter rem talem receperit, cum spoliatori quasi succedat in vitium (eo quod non multum intersit quo ad periculum animae, iniuste detinere, ac invadere alienum) contra possessorem huiusmodi, spoliato per restitutionis beneficium succurratur ». Ille « spoliatus » iuxta interpretationem praecedentem, *nihil aliud probare* legitime *debet*, *nisi spoliationem ipsam*.

Sed « nota quod haec duo tenetur probare qui petit restitutionem, scilicet: se possedisse, et spoliatum fuisse », ut ait Glossa in verba Alex. III [1]: « quamvis paratus sit coram iudice delegato, testibus idoneis, possessionem et deiectionem suam probare », cum alias « ipsum non constiterit spoliatum », sicut ostendit Innoc. III in cap. 17 « de restitutione spoliatorum » (II, 13) X. Sic enim ille Pontifex arguit: « Nos attendentes, quod (ex eo solo quod populus praedictae parochiae timore sententiae suae, per aliquot dies abstinuit a divinis, nullam in eos iuris parochialis possessionem, idem episcopus fuerit assecutus), nec fuerit aliquo modo probatum, quod (eo tempore quo sententiam ipse protulit) possessionem in ipsis iuris parochialis haberet, vel prius etiam ha-

[1] Cap. 10 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X.

buisset, restitutionem ei adiudicare de iure nequivimus ». Et sic explicit ut supra.

§ 3 sequitur, nam ut ait Innoc. III in cap. 13 « de restitutione spoliatorum » (II, 13) X: « cum etiam in multis casibus restitutio differatur secundum canonicas sanctiones ». Et sic decernit in fine: « Si vero tanta sit viri saevitia, ut mulieri trepidanti, non possit sufficiens securitas provideri: non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius annoveri: alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate provisa, profecto videtur coniux ante causae cognitionem (de impedimento consanguinitatis) restituenda marito ».

Modum vero servandum exponit in simili casu Alex. III sub cap. 8 eiusdem tituli. « Ex transmissa nobis. Et infra... Mandamus, quatenus si vobis constiterit, quod praefata mulier praedicto militi legitime desponsata fuisset, et ab eo cognita, ipsam restitui faciatis: recepta tamen cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre. Si autem capitali odio ita mulierem vi persequitur, quod merito de ipso diffidat, alicui probae et honestae mulieri, usque ad causae decisionem, custodienda studiosius committatur in loco ubi vir, vel parentes eius, mulieri nullam possunt violentiam inferre ».

Illas ergo « canonicas sanctiones » sic summatim tradit praescriptum Codicis sequens. *Sed*, uti exceptio ad alios duos §§s, *si in* exequenda iudicialiter *restitutione* a) *rei* ob spolium patratum, *vel* b) *exercitii iuris* cum spoliantis exclusione, *aliquod occurat* vitandum *periculum* grave propter ipsius certam probabilitatem et damnum imminens (*ex. gr. saevitiarum, cum vir contra uxorem* ob iam contractum et consummatum matrimonium iure *postulat* interdicto unde vi *restitutionem coniugalis consortii*), quod supponitur extitisse, *iudex* competens, a) *ad instantiam partis* rei vel actoris, qui deberet restitutionem pati rei aut exercitii iuris, *vel* b) *promotoris iustitiae* in iudicio intervenientis, *pro diversis personarum* disceptantium *causarumve* petitoriarum et restituendae possessionis *adiunctis* alterutrum sequens *decernat* quoad exequutionem, a) *aut restitutionem* in causa spolii *suspendi*, b) *aut rem vel personam* relatam exercitio iuris maritalis *apud sequestrem*, de quo egit caput I, *custodiri* ad tempus, nempe: *donec causa* inter easdem personas de re aut iure, quae spolio subiecta fuerunt *petitorio iudicio*, sive iam incoepto, sive instaurando *definiatur* per sententiam firmam.

191. Personae citandae pro remediis possessoriis rite exequendis statuit *can. 1700* pro illorum diversitate. *Iudicia posses-*

soria quaelibet ex tribus in hoc capite consideratis, propter quod praescriptum non applicatur capiendae possessioni extra iudicium, *absolvenda sunt* cum sequenti requisito, per iudicem a) *citata dumtaxat adversa parte* personaliter pro iudicii natura *in iudiciis retinendae vel recuperandae*, b) *citatis vero* citatione generali sufficienter denunciata per edictum auctoritate iudicis *omnibus iis* personis physicis vel moralium personarum administratoribus, *quorum interest* possessio forsan tribuenda *in iudiciis* quibuslibet *adipiscendae*.

CAPUT VII.

De extinctione actionum.

CAN. 1701. - In contentiosis actiones tum reales tum personales exstinguuntur praescriptione ad normam can. 1508-1512; actiones autem de statu personarum nunquam exstinguuntur.

CAN. 1702. - Omnis criminalis actio perimitur morte rei, condonatione legitimae potestatis, et lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam.

CAN. 1703. - Firmo praescripto can. 1555, § 1 de delictis Sacrae Congregationi S. Officii reservatis, tempus utile ad actionem criminalem proponendam est triennium, nisi agatur:

1° De actione iniuriarum, quae uno anno perimitur;

2° De actione ob delicta qualificata contra VI et VII divinum praeceptum, quae quinquennio perimitur;

3° De actionibus ob simoniam vel homicidium, contra quae actio criminalis decennio perdurat.

CAN. 1704. - Sublata per praescriptionem actione criminali:

1° Non est hoc ipso sublata actio contentiosa, forte ex delicto orta, ad damna sarcienda;

2° Ordinarius remediis can. 2222 § 2 statutis uti adhuc potest.

CAN. 1705. - § 1. Praescriptio in contentiosis currit ex quo actio primum potuit iure proponi; in criminalibus, a die patrati delicti.

§ 2. Si delictum habeat tractum, ut vocant, successivum, non currit praescriptio, nisi a die qua delicti tractus cessaverit.

§ 3. In delicto habituali vel continuato praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum; et conventus ob aliquem criminosum actum non praescriptum, tenetur de antiquioribus, qui cum eodem actu connectuntur, etiamsi singulatim sumpti ob praescriptionem excluderentur.

192. Inscriptio Capitis et ordo canonum. — Huius tituli « De actionibus » est ultimum *Caput VII*: *De extinctione*, idest: de modo legitimo cessationis *actionum*, non omni, sed quae alibi non obtinuit in Codice opportunum locum. Actiones, vero seu ius petendi apud tribunal ecclesiasticum tuitionem proprii iuris personarum, considerantur omnes. Illae namque sunt diversae propter distinctionem iudicii ecclesiastici. Nam actiones contentiosae rite vocantur, quae ordinantur ad « personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earumdem persona-

rum facta iuridica declaranda », quod est « obiectum iudicii contentiosi » (can. 1552, § 2, 1°) et actio dicta criminalis ob iudicium criminale cuius obiectum sunt « delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. cit. n. 2°). Datur quoque actio poenalis ad urgendam iuridice exequutionem poenae per sententiam inflictae vel declaratae, sed haec non expresse nominatur in decursu canonum huius tituli, quamvis implicita sit ad normam can. 2240: « Ad praescriptionem actionis poenalis quod attinet, servetur dispositio can. 1703 ».

Igitur actiones contentiosae considerantur in can. 1701. Actio autem criminalis generaliter sub can. 1702 inspicitur, qui completur per determinationes positas sub can. 1703, et quaedam animadversio in can. 1704 subnectitur. Demum can. 1705 initium praescriptionis in praesenti actionum instituto pro harum diversitate ac criminum decernitur.

193. Extinctio actionum ad contentiosum iudicium unica generalis est, quam recenset *can. 1701*. Plures enim sunt actiones, quae extinguuntur praeterlapso spatio unius vel plurium annorum, et hoc canones de singulis agentes statuunt, prout vidimus sub hoc titulo. Generaliter vero *in contentiosis*, nempe in litibus, quae per contentionem partium sunt definiendae, *actiones*, seu ius petendi a iudice auctoritativam iurium persequendorum vel vindicandorum tuitionem, *tum reales*, *tum personales*, iuxta illud Ulpiani [1]: « Litis nomen omnem actionem significat, sive in rem sive in personam sit », prout nempe iura prosequenda in iudicio habent ut obiectum aliquam rem iuri subditam v. gr. iuri dominii, vel beneficium collatum et possessum, vel iurium correlativum sit obligatio personarum, idest « iuris vinculum quo alius nobis obstringitur ad aliquid dandum, faciendum, praestandum » ex l. 3 ff. de obl. et act. Omnes igitur hae « actiones » *exstinguuntur* ita, ut ius in quo actio consistit, evanescat secundum canonem *praescriptione*, « sic dicta quia inter exceptiones a reo opponendas illa prae aliis seu ante ceteras scribi debebat » [2], *ad normam can. 1508-1512*, in quibus agitur de « praescriptione, tamquam acquirendi et se liberandi modo », et quam, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit » (can. 1508), quapropter praesenti canone fulcitur tale ius civili vi exstinguendi actionem, quam antiquus dominus posset praetexere, seu ius civile transfert dominium et liberat a servitute in Ecclesia pro foro etiam iudiciali, sed « salvo prae-

[1] l. XXXVI, ff. L. XXXXX. — [2] P. Noval. De iudiciis, n. 375.

scripto canonum aliorum hic citatorum, tum quoad bona ecclesiastica quae « praescriptioni obnoxia non sunt » (can. 1509), tum de limitatione servanda, si agatur de praescriptione rerum sacrarum (can. 1510), tum quoad tempus diversum in obtinenda praescriptione atque bonam fidem « non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito » (cann. 1511, 1512) conservandam.

Explicit canon loquens adversative *actiones autem*, quia hae tam reales quam personales dici queunt propter iura in illis comprehensa, quia *de statu personarum*, videlicet: matrimoniali, religioso, ordinationis alicuius in sacris, ut plurimum quoad « earumdem personarum factum iuridicum (quod statui initium dedit) declarandum » (can. 1552, § 2, 1°) iudicialiter, quae actiones, utpote maximi momenti ob perpetua iura et obligationes inde profluentes, *numquam extinguuntur* ex iure Codicis, seu exerceri semper queunt, revocato iure Tridentino [1], quoad quinquennium utile actioni proponendae adversus religiosae professionis validitatem.

194. Exstinctio multiplex actionis, quae in Codice « uni promotori iustitiae, caeteris omnibus exclusis, reservatur » (can. 1934). Has extinctiones enumerat plene *can. 1072* dicens *Omnis* absque exceptione proprie dicta, *criminalis actio* « seu accusatio » (can 1934) iuxta propriam loquutionem in iure canonico et civili atque apud Auctores, quia finis eius est, ut « cognoscantur, coram tribunali ecclesiastico, delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2, 2°), *perimitur*, ne privatio boni ex illa prodeat, a) *morte rei*, et planum est, quia finis poenarum vel frustratur vel saltem hae servari nequeunt, b) *condonatione legitimae potestatis*, illius nempe ad quam pertinet pro arbitrio suo, non tantum valide, sed etiam licite poenam inferre vel secus, si enim condonatur, aequipollet dispensationi eiusdem poenae iam inflictae, *et*, quia interest societatis, ne delicta sibi quidem noxia, sed quae *lapsu temporis* evanuerunt a memoria hominum in lucem iterum deducantur, quod determinare pertinet ad eum, qui regimen habet societatis, propterea extinguitur « criminalis actio » c) « lapsu temporis » *utilis* iuxta ss. canones, nunc iuxta canonem huic sequentem, *ad actionem criminalem* iure *proponendam* exhibitione libelli accusatorii.

195. Tempus utile pro diversitate criminalis actionis assignat *can. 1703*. Huic magnam lucem theoricam affert « Disceptatio

[1] Cap. 19, sess. XXV « de regularibus et monialibus ».

synoptica » quae inseritur in una Dioecesis L. S. Congr.s EE. et RR. [1] Hic transcribere sufficiat quae « Emi Patres... retinenda censuerunt: tralatitii scilicet iuris esse, in causis criminalibus ecclesiasticis locum habere praescriptionem et quidem, nedum quando iudex procedit ad instantiam privati accusatoris, sed et quando ad vindictam publicam seu ex officio inquirit: huius vero praescriptionis eum proprium effectum esse, ut *solam perimat actionem poenalem*, siquidem per accusatum seu inquisitum aut per eius procuratorem expresse de praescriptione in iudicio oppositum fuerit.

Exinde facile est deprehendere, integrum tum accusandi tum inquirendi ius manere usquedum expresse non opponitur praescriptio, et omnino tenere iudicium si eadem opposita minime fuerit.

Quod si in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem, quae forte ex eodem delicto promanet; et hinc non obstante praescriptione, reum manere obnoxium omnibus effectibus canonicis non *criminalibus* ex patrato delicto provenientibus manifesti iuris est. Imo licet praescriptione actio poenalis extinguatur, non tamen tollitur exceptio, quae perpetuo manet iuxta iuris effatum. — Temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum — ideoque delictum illud, etsi praescriptum, potest reo semper opponi per modum exceptionis, eique obstet si ad ecclesiasticas provisiones concurrere vellet.

Quod autem spectat ad tempus necessarium ad dictam praescriptionem inducendam, regula generalis est, actionem iniuriarum spatio unius anni, crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum a die commissi delicti continuorum praescribi. Verumtamen si agatur de delictis quae successiva sunt et permanentia, in his nulla praescriptio locum habet, nisi a die cessantis delicti, quemadmodum si delictum fuerit *totaliter* occultum, praescriptionem non a die commissi criminis, sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet.

Illud demum haud praetereundum est, quod criminibus raptus, stupri per vim illati, et adulterii cum incestu coniuncti, nonnisi lapsu viginti annorum praescribatur; criminibus vero suppositi partus, parricidii, assassinii, laesae maiestatis, duelli, falsae monetae, apostatatus, haeresis, simoniae, concussionis, abortus et

[1] Praescriptionis in causis criminalibus ecclesiasticis. 4 Martii 1898. Acta S. Sedis vol. XXX, pagg. 678-687.

sodomiae nullo unquam tempore praescribatur, sed perpetuo horum criminum rei, dum vivant, accusari et inquiri possunt ».

Haec erat disciplina ante Codicem vigens, nam « Sanctitas sua sententiam Emorum Patrum approbare dignata est ». Est ergo retinenda quatenus per sequentes canones non sit derogata.

His praelibatis facile erit canonis praesentis commentarium. Sic ille incipit. *Firmo praescripto can. 1555, § 1 de delictis Sacrae Congregationi S. Officii reservatis* « secundum propriam eiusdem legem » (can. 247, § 2), v. gr. haeresis, apostasiae, sollicitationis ad turpia, scilicet: quae « suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet », non admissa actionis criminalis de illis delictis praescriptione, « et etiam inferiora tribunalia, in iisdem causis, normas ab eodem traditas sequantur oportet ». Prosequitur canon: *tempus utile*, quod pro exercitio iuris « ignoranti (v. gr. in delicto totaliter occulto) aut agere non valenti (v. gr. dum inquisitionem delicti praeviam exercet) non currat » (can. 35) promotori iustitiae *ad actionem criminalem proponendam*, idest: « in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2, 2°), nam delicti exceptio « semper competit et est suapte natura perpetua » (can. 1667), *est* generaliter *triennium* continuum vel forsan interruptum propter vacuam inquisitionem, quae instituta fuit quandoque de tali delicto. Exceptiones sequuntur, addente canone: *nisi agatur*:

1° *De actione* supple « criminali » *iniuriarum* accipienda sicut in praecedenti iure, scilicet: propter laesionem tum honoris tum existimationis bonae unius personae penes alias, sive illa inferatur verbo, sive scriptis, sive facto. V. gr. quoad hoc ultimum esset colaphis aliquem caedere, stuprum perpetrare; verbo autem sive scriptis posset fieri simplex iniuria, imputando alicui verum probrosum sed iniuste, calumnia imputando aliquid falsum aestimationis laesivum, quod si divulgetur illud non manifestum vel istud dicitur proprie diffamatio. *Quae* actio criminalis *uno anno perimitur* sicut ante Codicem ex l. 5 Cod. « de iniuriis »: « cum iniuriarum actio annuo tempore praescripta sit, ob iniuriae admissum conveniri non potes ».

2°. *De actione* praecise criminali *ob delicta qualificata*, quae nempe aliam induunt qualitatem seu speciem, simul cum habita *contra VI* de castitate *et VII* de iustitia erga rem alienam *divinum praeceptum*, v. gr. ob adulterium cum incestu, ob stuprum cum violentia, ob sodomiam, ob furtum sacrilegum, etc., *quae* actio supradicta non iam « lapsu viginti annorum » ut antea, sed *quin-*

quennio perimitur, ita ut hanc praescriptionem excipiens possit efficaciter se tueri.

3°. *De actionibus ob simoniam* quamlibet *vel homicidium* etiam simplex, *contra quae* delicta *actio criminalis decennio* tantum, secus ac in praecedenti iurisprudentia ecclesiastica, *perdurat.*

196. Limitatio illius praescriptionis statuitur congrue iuri praecedenti, ubi dicebatur: « si in iudicium praescriptio deducta fuerit et legitima recognoscatur, tunc perimit quidem actionem criminalem, at non civilem » [1], seu ut praescribit *can. 1071. Sublata per praescriptionem* iuxta duos canones praecedentes declaratos *actione criminali*:

1° *Non est hoc ipso*, quamvis alio ex motivo possit esse *sublata actio contentiosa*, quam persona damnificata exercere poterit, *forte ex delicto orta*, et praecise quae ordinatur *ad damna* aestimationis, honoris, bonorum, incolumitatis, etc. *sarcienda* per restitutionem aut compensationem;

Ita invenimus decisum in iure Decretalium. Etenim Alex. III respondet: [2] « Quapropter, si ita res se habet (nempe: quod « tandem in aegritudine constitutus, accepta poenitentia de commissis, per manum capellani sui fuit a sententia anathematis absolutus »): Mandamus, ut corpus eiusdem, qui ecclesiarum incendium diabolo instigante commiserat, appellatione cessante facias in coemeterio sepeliri et haeredes eius moneas et compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra iustitiam irrogaverat, iuxta facultates suas condigne satisfaciant, ut sic a peccato valeat liberari ». — Atque eidem Pontifici sequens quaestio fuit proposita [3]. « Tua nos duxit fraternitas consulendos, quid de usurariorum filiis observandum, qui eis in crimine usurarum defunctis succedant: aut de extraneis, ad quos bona usurariorum asseris devoluta? Tuae igitur quaestioni litteris patentibus respondemus, quod filii ad restituendas usuras, ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra haeredes extraneos credimus exercendum ».

Aliam novam praescriptionis illiusmodi limitationem exprimit canon 2°, memorans aliud praescriptum Codicis. *Ordinarius* ad normam can. 198, § 1, *remediis can. 2222*, § *2 statutis* et in huius commentario declaratis *uti adhuc potest*, quin obstet praefata praescriptio etsi a reo vel delinquente per exceptionem opposita.

[1] Vide notam praec. — [2] Cap. 5 « de raptoribus et incendiariis et raptoribus ecclesiarum » (V, 17) X. — [3] Cap. 9 « de usuris » (V, 19) X.

197. Initium praescriptionis quoad actiones diversum plene exponit *can 1705* congruens iuri ante Codicem. § *1. Praescriptio* a) *in contentiosis*, qua « actiones extinguuntur » (can. 1701), *currit*, ad temporis lapsum quod attinet, *ex quo actio* illa *primum potuit iure* seu iuxta ss. canones *proponi;* b) *in criminalibus*, id est: quoad actiones criminales *a die patrati delicti* currit praescriptionis tempus utile, prout manet declaratum ad canonem 1703. Propterea non liquet adesse iuris veteris derogationem, quo edicebatur: « Si delictum fuerit totaliter occultum, praescriptionem non a die commissi criminis sed a die scientiae accusatoris vel inquisitoris currere placet », nisi hoc sensu, quod scientia promotoris iustitiae vel inquisitoris non sit exspectanda, quando crimen desinat esse totaliter occultum, ita ut possit iam de ipso inquiri.

§ *2. Si delictum* qua tale *habeat tractum, ut vocant, successivum*, eo quod mulctatur poena, dum illud secumfert lapsum temporis in delinquendo, v. gr. concubinatus publicus vi can. 2357, § 2, « religiosi apostasia a religione iuxta can. 2385, *non currit praescriptio* adversa criminali actioni, *nisi a die*, qui « ad explendam numerationem computetur » (§ 3, 2°) ob paritatem cum exemplo ibidem posito, *qua delicti tractus* declaratus *cessaverit* qualibet ex causa, sive voluntarie sive involuntarie.

§ *3. In delicto* proprie dicto ad normam can. 2195, § 1, *habituali*, nempe singulariter dicto propter eandem legem poenalem, quam delinquens tam frequenter transgreditur ratione actuum et proximitatis ipsorum, ut vir prudens iudicet habitum efformatum esse, *vel continuato*, propter actuum proximam iterationem, quin habitus forsitan existat, *praescriptio* adversus actionem criminalem pro his omnibus delinquentibus *non decurrit nisi post ultimum actum* illorum, ex quibus delicti appellatio supradicta procedit; *et conventus* in iudicio criminali *ob aliquem criminosum actum*, etsi partialem delicti proprie dicti, *non praescriptum* ratione transacti temporis ab ipso patrato usque ad citationem, *tenetur de antiquioribus*, sive contra eamdem legem, sive contra diversas *qui cum eodem actu* « criminoso » ob quem convenitur, *connectuntur*, quia illi fuerunt ex voluntate delinquentis ad hunc actum postremum ordinati, sive quia ex illis ad hunc fuit revera processum, v. gr. « religiosus legem vitae communis violans », (can. 2389), qui postea concipit et exequitur fugae delictum ex can. 2386, ut ex pecuniis sic collectis aliquam civitatem invisat per aliquod tempus, *etiamsi singulatim sumpti*, v. gr. delicta contra paupertatem, *ob praescriptionem* ab actione criminali *excluderentur* iuxta praecedentes normas huius Capitis.

TITULUS VI.

De causae introductione.

198. Inscriptio Tituli et ipsius in capita duo distributio. — Postquam legislator normas tradidit, quae sunt praesupponendae cuilibet iudiciali disceptationi, ut pro earum diversitate queant hae rite procedere, transit ad tractationem de ipso iudiciali processu seu de actibus, qui illum integrant. Quorum primum respicit hic *Titulus VI*, inscriptus propterea *De causae introductione* apud tribunal seu coram iudice ecclesiastico. Sic enim legitur in cap. 10 « de verborum significatione » (V, 40) X: « Causa a casu quo venit dicitur, est enim materia et origo negotii, necdum discussionis examine patefacta: quae dum proponitur causa est; dum discutitur, iudicium; dum finitur, iustitia. Vocatur autem iudicium quasi iurisdictio, et iustitia quasi iuris status ».

Haec causae introductio constat duobus actibus, quorum primus exercetur a persona, quae defert iudici causam, et alter est proprius iudicis ecclesiastici, qui per citationem alterius partis provocat initium iudicii. Hinc duo capita. « I. De libello litis introductorio » et « II. De citatione et » ob connexionem atque ampliationem earumdem normarum, « denunciatione actorum iudicialium », inter quos praeambulum est ipsa citatio.

CAPUT I.

De libello litis introductorio.

Can. 1706. - Qui aliquem convenire vult, debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis ad deducta iura persequenda expostuletur.

Can. 1707. - § 1. Qui scribere nescit, aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat, oretenus petitionem suam coram tribunali proponere potest.

§ 2. Item in causis facilioris investigationis et minoris momenti ac propterea cito expediendis, iudicis arbitrio relinquitur petitionis admissio oretenus sibi facta.

§ 3. In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.

Can. 1708. - Libellus quo lis introducitur debet:

1° Exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur, et a quo petatur;

2° Indicare, generatim saltem, quo iure innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;

3° Subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut

residere se dixerint actorum recipiendorum gratia.

CAN. 1709. - § 1. Iudex vel tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam esse standi in iudicio, debet quantocius libellum aut admittere aut reiicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.

§ 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal: a quo, audita parte, et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.

CAN. 1710. - Si iudex continuo mense ab exhibito libello decretum non ediderit quo libelleum admittit vel reiicit ad normam can. 1709, pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia, poterit recursum ad Ordinarium loci, si ipse iudex non sit, vel ad superius tribunal interponere ut vel iudex ad definiendam causam adigatur vel alius in eius locum subrogetur.

199. Inscriptio Capitis et ordo canonum. — In cap. Decretalium proxime citato dicitur: « Lis autem a contentione limitis prius nomen sumpsit, de qua Vergilius: Limes erat positus, litem ut discerneret agris ». Glossa vero in hunc locum ait: « lis enim civilem causam ostendit tantum, et non criminalem ». Unde *Caput I* proprie inscriptus *De libello litis introductorio* brevem scripturam indigitat, qua persona iudicem adit scopo contendendi cum altera parte. Hic libellus dicitur ab Auctoribus *contentiosus* ratione iudicii sequendi, et minus proprie *civilis* aut *conventionalis*, ut discernerent eum a libello, quem Codex nominat proprie « accusationis » (can. 1955), et qui perficiendus est a promotore iustitiae, dum Auctores eumdem nominaverunt libellum *criminalem* aut *poenalem* prout eodem proponebatur actio *criminalis* aut *poenalis*.

Normae, quibus libellus litis introductoriis conformari debeat, ut sit legitimus seu vi iuridica praeditus, continentur in cann. 1706-1708, quos sequuntur duo alii 1709, 1710 statuentes, quid iudex circa huiusmodi libellum contentiosum servare debeat. Normae autem illae disponunt primo libelli contentum veluti substantiale, et quandonam eidem verbalis propositio suffici queat, dum can. 1708 sollemnitates illius libelli undequaque ostendit. Illud contentum exprimit definitio libelli sequens: « Libellus est brevis scriptura continens clare actoris petitionem et petendi causam ».

200. Necessitas exhibendi libellum statuitur etiam in iure Decretalium. Extat enim in Libro II, titulus III « de libelli oblatione », cuius cap. 1 est sequentis tenoris. « Ignarus episcopus

dixit: Habetis libellum reclamationis vel postulationis? Illi responderunt, se prae manibus nullum habere libellum. Iguarus episcopus dixit: oportet vos secundum ecclesiasticam auctoritatem, reclamationem vestram, libelli serie declarare, eamque vestris manibus roboratam, synodo porrigere, ut tunc vobis canonice valeat responderi. Et tunc ipsi fratres, libellum conscribentes porrexerunt ».

Huic iuri congruit *can. 1706. Qui* utens iure suo, tanquam in Ecclesia persona, sive vir sive femina, clericus, laicus, religiosus, subditus vel Praelatus, sive nomine proprio, sive aliam repraesentans, qua tutor, administrator, etc. *aliquem* qua reum *convenire* in iudicio *vult* ecclesiastico, ad hoc ut idipsum rite et cum effectu obtineat, *debet* ex huius canonis praescripto *libellum* sumptum pro scriptura brevi *competenti iudici* ad normam canonum tituli I « de foro competenti » vel uni inter plures competentes *exhibere* immediate vel ut plurimum per officialem ad hoc deputatum, *in quo* libello a) *controversiae* inter partes in iudicio « disceptandae ae definiendae » *obiectum proponatur, et* b) *ministerium iudicis ad deducta* in eodem libello *iura persequenda* cum vi publicae auctoritatis *expostuletur* eo in casu. « Iudicium ergo de quo agit canon « est contentiosum » (can. 1552, § 2, 1°).

201. Casus excepti et modus suppletorius quoad libelli oblationem. Illi sunt duo atque tertius relinquitur arbitrio iudicis. Propter quod *can. 1707* continet paragraphos duos, quem subsequitur tertius modum exhibens in quolibet ex illis casibus servandum.

§ *1. Qui* « debet libellum exhibere » ad normam can.s praec.s a) *si scribere nescit, aut* b) *legitime* alio ex motivo *impeditus quominus libellum exhibeat, oretenus petitionem suam*, idest praefatas propositionem et expostulationem, *coram tribunali*, quod iudice ac notario constat, *proponere potest* ex canonis huius concessione. Quae petitio proinde vi iuridica pollet.

§ 2. *Item in causis* equidem contentiosis et quamvis principaliter propositis, a) *facilioris investigationis* ex iudicio prudenti *et* b) *minoris momenti ac propterea cito expediendis*, prout sic fieri quandoque in Codice praecipitur, vel etiam quae memorantur in Clem. « Saepe contingit » 2 « de verborum significatione », *iudicis*, cui causa defertur, *arbitrio relinquitur* ex iure *petitionis* declaratae in § 1° *admissio*, ita ut sit legitima, *oretenus* ab actore *sibi facta.*

« Verum quia, ut ait Clem. V, iuxta petitionis formam pronunciatio sequi debet, pro parte agentis, et etiam rei, si quid petere voluerit, est ipso litis exordio petitio facienda, sive in scrip-

tis, sive verbo, actis tamen continuo (ut super quibus positiones et articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, et ut fiat definitio clarior) inserenda ». Huic textui congruenter decernit § 3. *In utroque tamen casu*, nempe: quando a) actor « oretenus petitionem suam (iure) proponere potest » ex §° 1° et quando b) « iudicis arbitrio conceditur huiusmodi petitionis admissio » ad normam §ⁱ 2ⁱ, a) *iudex*, cui proinde directe illa porrigitur, *notarium iubeat scriptis actum* litis introductorium *redigere*, *qui* « actus scriptus » *actori legendus* est ab actuario, ut supponitur, *et* c) *ab eo* actore *probandus*, quae approbatio etiam in actis constet.

202. Sollemnitates libelli sunt, quas explicat *can. 1708* iuxta praecedentem disciplinam canonicam. *Libellus* praecise *quo lis* principalis *introducitur* ad normam can. 1706, *debet* ex iuris praescripto:

1°. *Exprimere* a) *coram quo iudice* primae instantiae *causa* illa introducatur, b) *quid petatur* quoad controversiae obiectum, c) *et a quo* veluti reo tradenda vel permittenda *petatur;*

2°. *Indicare*, tamquam digito innuens, *generatim saltem*, quatenus opponitur determinationi singulari, *quo iure*, v. gr. contractus, collationis beneficii, antiquitatis ad praecedentiam, *innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur*, si sint adiecta scripta, *et asseruntur* in libello, quatenus sint facta.

Defectus istius solemnitatis nobis ostendit cap. 3 « de libelli oblatione » (II, 3) X. Etenim rescribit Greg. IX: « Dilecti filii fratres Ecclesiae sanctae Mariae de Hispida sua nobis petitione monstrarunt, quod cum Prior et conventus sanctae Mariae ad carceres, ipsos super quadam pecuniae summa, coram Priore sanctae Trinitatis Veron. auctoritate Apostolica convenissent: ex parte ipsorum fuit excipiendo propositum, quod cum dicti Prior et conventus nollent exprimere in porrecto libello conventionali, quare sibi dicta pecunia deberetur, super hoc minime respondere tenebantur, et quia dictus iudex exceptionem huiusmodi admittere denegabat, nostram audientiam appellaverunt: Ideoque mandamus, quatenus si est ita, revocato in irritum, etc.

« Libellus debet » 3°. *Subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis* a) *die, mense et anno*, c) *nec non loco*, nempe domo, *in quo actor vel eius procurator* ad eam litem *habitant* de facto, *aut residere se dixerint* praecise *actorum* iudicialium *recipiendorum gratia.*

203. Obligatio iudicis quoad libellum eidem exhibitum sic definitur. *Can 1709.* § *1. Judex* si unicus, *vel tribunal*, seu omnes

iudices, quando illud est collegiale, *postquam viderit* examine peracto a) *et rem* seu hoc « controversiae obiectum » can. 1706) *esse suae competentiae* b) *et actori* sic dicto propter libellum aut petitionem *legitimam personam esse*, seu ius habere *standi in iudicio*, *debet* vi huius praescripti *quantocius*, iuxta principium iuris veteris: [1] « Jurgantium controversias, celeri sententia terminare, et aequitati convenit, et rigori », atque illud adverbium positum est ad urgendam, non ad finiendam obligationem, et interpretatur convenienter pro « quinque diebus », sicut arguitur utrumque ex parallelo can. 1710, *libellum* proprie tale, vel propter scripturam petitionis in actis, sic dictum, *aut admittere* tanquam legitimum *aut reiicere*, sed non pro libitu, nam sequitur: *adiectis in hoc altero casu reiectionis causis* ex libelli difformitate cum can. 1708 petendis.

Innoc. III in cap. 15 « de iudiciis » (II, 1) X respondet: « Actionem quam super iure patronatus eiusdem ecclesiae, contra praefatos milites intentabas, incongruentem cognovimus et ineptam: Quia cum testes induxeris ad probandum, quod quando praefatus A vicedominus ecclesiam eamdem tanquam sequestratam accepit, tu iuspatronatus ipsius ecclesiae possidebas: profecto nec rei vindicationem intentare, nec ipsius restitutionem poteras postulare: Unde intentionem tuam in hac parte pronuntiavimus non tenere, absolventes eosdem milites ab eadem: Ita tamen quod si congruentem et aptam intentare volueris actionem, respondere tibi nihilominus teneantur.

Huic Decretali congruit sequens § 2. *Si iudicis decreto*, quod requiritur et sufficit a iudice vel praeside tribunalis subscripto, *libellus*, prout in § 1° manet declaratus *reiectus fuerit ob vitia* ex adiectis eidem cognoscenda, *quae emendari possunt* secundum veritatem, *actor novum libellum* a primo materialiter quoque distinctum ac *rite confectum* idest: ad normam can. 1708 *potest eidem iudici* competenti *exhibere; quod si iudex* supra declaratus *emendatum* seu hunc *libellum reiecerit* pro iure suo sed legitime, *novae reiectionis rationes* « decreto » *exponere debet.*

§ 3. *Adversus libelli reiectionem* tum primam tum secundam, nam ultra praescriptum §[i] praec.[s] *integrum semper est parti* illum exhibenti *intra tempus utile* in can. 35 definitum *decem dierum recursum*, non appellationem, quae « a sententia » fit (can. 1879), quamvis huic similem *interponere ad superius* eo reiiciente libellum *tribunal*, si talem reiectionem iniustam putet actor: *a quo*

[1] Cap. 2 « De sententia et re iudicata » (II, 27) X.

superiore tribunali, *audita* a) *parte* recurrente, non tribunali reiiciente, cuius motiva patent, *et* b) *promotore iustitiae*, quia de legis tutela est quaestio *aut vinculi defensore*, si causa de illo vinculo alterutro introducatur, in quo casu non est audiendus promotor iustitiae, *quaestio reiectionis expeditissime definienda est*, cuius adverbii vis alias explicatur in Codice. Imo « iudicis arbitrio relinquitur petitionis (seu recursus) admissio oretenus sibi facta » (can. 1707, § 2).

204. Remedia contra iudicis negligentiam confert actori *can. 1710*, postquam in praecedenti provisum est adversus reiectionis iniustitiam. *Si iudex*, ut declaratus fuit in can.s praec.s § 2, *continuo mense*, qui « nullam patitur interruptionem » (can. 35) ac « sumendus prout est in calendario » (can. 34, § 3, 1°), quia *ab exhibito libello* interpretando sicut in can. 1709, § 1. *decretum non ediderit, quo libellum admittit vel reiicit* alterutrum *ad normam. can. 1709*, ac proinde primum vel subsequutum libellum, *pars cuius interest* a) *instare potest* exigendo reverenter *ut iudex suo* vi illius canonis *munere fungatur; quod* b) *si nihilominus* seu post instantiam *iudex sileat, lapsis quinque diebus* (can. 34, § 3, 3°) *a facta instantia* et huius die non computato, iure *poterit* pars *recursum* a) *ad Ordinarium loci* ad normam can. 198, § 1, cuius sit tribunal, *si* tamen *ipse iudex* silens *non sit*, in qua hypothesi et aliis in casibus pro libitu, nam subdit canon cum disiunctione b) *vel ad superius tribunal*, cui immediate subditur in hierarchia iudex negligens *interponere*, atque recursus ad hoc permittitur *ut* a) *vel iudex* inferior *ad definiendam* libelli *causam* decreto *adigatur* etiam remediis poenalibus, b) *vel alius* ad iudicandum saltem in causa principali *in eius locum subrogetur*, quod in eius cedit inhonorem. Alterutrum iuxta prudens tribunalis superioris vel Ordinarii loci arbitrium.

CAPUT II.

De citatione et denunciatione actorum iudicialium.

CAN. 1711. - § 1. Libello vel orali petitione admissa, locus est vocationi in ius seu citationi alterius partis.

§ 2. Quod si partes litigantes sponte coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes sponte sua iudicio adfuisse.

CAN. 1712. - § 1. Citatio fit a iudice, et libello litis introductorio inscribitur aut adiungitur.

§ 2. Denuntiatur autem reo, et, si sint plures, singulis.

§ 3. Debet insuper actori nota fieri, ut statuta die et hora ipse quoque coram iudice se sistat.

CAN. 1713. - Si lis moveatur ei qui non habet liberam administra-

tionem rerum, de quibus disceptatur, citatio denuntianda est ei qui ipsius nomine iudicium suscipere tenetur ad normam can 1648-1654.

CAN. 1714. - Quaelibet citatio est peremptoria; nec iteretur necesse est, nisi in casu de quo in can. 1845, § 2.

CAN. 1715. - § 1. Citatio denuntietur per schedam, quae praeceptum iudicis parti conventae factum ad comparendum exprimat, idest a quo iudice, ob quam causam saltem verbis generalibus indicatam, quo actore, reus, nomine et cognomine rite designatus, conveniatur; nec non locum, et tempus, idest annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam perspicue indicet.

§ 2. Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.

CAN. 1716. - Citatio duplici scheda conficiatur, quarum altera remittatur reo convento, altera asservetur in actis.

CAN. 1717. - § 1. Citationis scheda, si fieri poterit, per Curiae cursorem tradenda est ipsi convento ubicunque is invenitur.

§ 2. Ad hoc cursor etiam fines alterius dioecesis ingredi potest, si iudex id expedire censuerit et eidem cursori mandaverit.

§ 3. Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi commoratur, relinquere poterit citatariam schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum; sin minus eam ad iudicem referat, ut transmittatur ad normam can. 1719, 1720.

CAN. 1718. - Reus qui citatoriam schedam recipere recuset, legitime citatus habeatur.

CAN. 1719. - Si ob distantiam vel aliam causam difficulter per cur-



sorem tradi possit reo convento scheda citatoria, poterit iussu iudicis transmitti per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit.

CAN. 1720. - § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoratur ubi commoretur reus, locus est citationi per edictum.

§ 2. Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo; si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet.

CAN. 1721. - § 1 Cursor, cum in manu rei conventi citationis schedam relinquit, debet eam subsignare, adnotatis die et hora qua reo tradita est.

§ 2. Idem peragat si eam relinquat in manibus alicuius de familia aut famulatu rei conventi, addito insuper nomine personae cui schedam tradidit.

§ 3. Si citatio fiat per edictum, cursor in edicti calce signet qua die et hora edictum affixum ad fores Curiae fuerit et quandiu affixum manserit.

§ 4. Si reus receptionem schedae recuset, cursor schedam ipsam subsignatam, addita die et hora recusationis, iudici remittat.

CAN. 1722. - § 1. Cursor quae peregit ad iudicem referat in scriptis manu propria subsignatis, quae in actis serventur.

§ 2. Si per tabellariorum officium citatio transmittatur, asservetur in actis fides eiusdem officii.

CAN. 1723. - Si scheda citatoria non referat quae in can. 1715 praescribuntur aut non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus.

CAN. 1724. - Regulae superius statutae pro rei citatione, ceteris quoque iudicii actibus, pro diversa tamen eorum natura, accomodandae et applicandae sunt, ut decretorum vel sententiarum denuntiationi aliisque huiusmodi.

CAN. 1725. - Cum citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint:

1.° Res desinit esse integra;

2.° Causa fit propria illius iudicis aut tribunalis, coram quo actio instituta est;

3.° In iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non expiret resoluto iure delegantis;

4.° Interrumpitur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam can. 1508;

5.° Lis pendere incipit; et ideo statim locum habet principium: « *lite pendente, nihil innovetur* ».

205. Inscriptio Capitis. — Consequenter primo sequitur *Caput II* propter inscriptionem eius, quae est *De citatione*, seu in ius vocatione, quae proprie sumpta et in genere est « Decretum iudicis, quo iubet aliquam personam comparere apud tribunal causa interessendi actui iudiciali », sed iuxta contextum canonum sequentium persona vocata per Decretum est reus et iuris experiundi causa.

Igitur cum hoc fiat per Decretum et ad huius effectum debeat iussum personae vocatae intimari, quandoque in sequentibus v. gr. in can. 1716 citatio designat scripturam seu schedam a iudice saltem subscriptam in qua ipsius iussum continetur, quandoque autem, sicut in can. 1721, § 2 citatio sumitur pro illa intimatione, quae « denunciatio » in iure appellatur. — Ex ampliatione huiusmodi denunciationis servandae alias in iudiciis, quam regunt eae-

dem normae, sic rubrica finitur *et denunciatione actorum iudicialium*, qui nempe integrant iudicium, et coram iudice vel eius auctoritate peraguntur, sive illi praecedant denunciationem sive post illam futuri sint.

206. Canonum coordinatio est practica potius quam logica. De ipsius citationis in specie necessitate praescribit can. 1711, quem sequuntur immediate duo canones determinantes personas tum activam tum passivam illius, et alius can. 1714 qualitatem citationis determinat. Denunciationem citationis moderantur ccan. 1715 quoad ipsius tenorem, can. 1716 quoad exemplaria, canones vero 1717-1720 diversos modos legitimos statuunt perficiendi illam denunciationem, qui vocantur ab Auctoribus citatio *personalis directa*, citatio *personalis indirecta* et *citatio per edictum*, sed Codex hanc ultimam denunciationis appellationem servat, duo alia membra sub distinctione paulo diversa sed magis congrue appellat *citatio per cursorem Curiae* et citatio *per publicos tabellarios*. Notandum quod inter canones 1717 et 1719 invenitur can. 1718 de illo, qui recusat citationem cursoris recipere, ad effectum iuridicum quod attinet. Munus cursoris in hac re traditur per canones 1721, 1722, cui subnectitur alius 1723 de vi irritante praecedentium canonum. Huic generali canoni alter 1724 excipit pro extensione earumdem regularum ad denunciationes alias sicut in Capitis inscriptione. Denique effectus proprii citationis proprie ac in specie sumptae enumerantur sub ultimo Capitis can. 1725.

207. Citationis necessitas iuridica constat ex iure veteri. Gregorius enim ait Duci Siciliae: « Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire ». Quod principium iure naturali innixum adeo est firmum, ut Clemens V in Clem. « Saepe contingit » 2 « de verborum significatione » dicat de causis a Sede Apostolica commissis, in quibus « simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii procedi mandatur..., citationem... per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi ».

Haec supponit *can. 1711*, dum sic § *1* est expressus. *Libello vel* in casibus can. 1707 *orali petitione admissa*, non iam simpliciter etiam « scriptis redacta » secundum §[i] 3[i] can.[s] cit.[1] praescriptum, sed cum effectu per iudicis decretum, prouti admissio opponitur reiectioni libelli, seu ad normam can. 1709, § 1, *locus est* pro legitimo iudicii ordine *vocationi in ius* auctoritate iudicis faciendae, *seu citationi*, prout in iure et apud Auctores stricte vocatur, equidem *alterius partis* per libellum conventae. Nam ex Iure Romanorum: [1] « In ius vocare est iuris experiundi causa vocare ».

[1] L. 1, tit. IV, L. II. D.

§ 2. *Quod si partes litigantes*, videlicet: « libellum exhibens » vel « oretenus petitionem suam coram tribunali proponens » (cann. 1706, 1707), simul ac illa persona, « quam sic convenire vult », *sponte*, idest: nemine iubente seu cogente, *coram iudice* qua tali, seu in tribunali, *se* simul sistant personaliter *ad causam agendam* idest: incipiendam litis contestatione, *opus non est*, ergo a sensu contrario in casibus extra hypothesim opus erit, *citatione* de qua in §° 1°, eo quod iuxta reg. 31 iuris in 6° « Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet », *sed actuarius* ex canonis iussu *significet in actis* hoc factum, seu *partes sponte sua iudicio adfuisse*. Et propter verba generalia « ad causam agendam » norma haec valet quoque in decursu iudicii, quando citatio sit praescripta alterutrius partis, nisi expresse aliquis canon statuat contrarium.

208. Citationis pronunciatio et denunciatio. — Apud Romanos, iure 12 Tabularum, viguit systema quo, iuxta Aull. Gell. (XIII, 13) « a privato in ius vocari est potestas ». In Digestis autem l. cit. invenimus legem 13: « Generaliter eas personas, quibus reverentia praestanda est, sine iussu praetoris in ius vocare non possumus ». Codices hodierni primum modum admittunt, vel e contra secundum generaliorem reddunt, sed utrumque aliqualiter mutatum.

In iure Decretalium fit multoties mentio citationis, tanquam vocationis in iure factae a iudice. Huic concordat *can. 1712*, dum ait § *1. Citatio fit a iudice* seu ipsius iussu, quod sicut similes pronunciationes a Codice « decreta vocantur » (can. 1868, § 2), *et libello litis introductorio*, aut aequipollenti « redactioni actus scriptis » ex can. 1707, § 3, *inscribitur* praedictum iussum comparendi causa experiendi iuris *aut adiungitur* equidem manu actuarii, iuxta illud [1] Concilii Generalis: « Statuimus, ut tam in ordinario iudicio, quam extraordinario, iudex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribant: videlicet: citationes... etc. ».

§ 2. *Denuntiatur autem* ex consequenti *reo, et si sint plures* qua personae *singulis*.

§ 3. *Debet insuper* ex legis praescripto *actori* ratione libelli *nota fieri, ut statuta* in citatione *die et hora ipse quoque coram iudice se sistat*, ac proinde tempus et locus exprimenda sunt in notificatione, atque citationem fuisse factam.

[1] Cap. 11 « de probationibus » (II, 19) X.

209. Cuinam facienda sit denunciatio in casibus providet *can. 1713*. Vidimus enim in tit. IV « de partibus in causa » non omnes personas posse iuxta ss. canones stare in iudicio, propter quod ait legislator: *Si lis moveatur*, agitur ergo de iudicio contentioso, *ei* tanquam reo, *qui non habet liberam administrationem rerum* suarum, *de quibus disceptatur*, *citatio* de qua in §° 1° can.s praec.s *denuntianda est* in adimplementum §i 2i, *ei qui ipsius nomine iudicium* per se vel per procuratorem sebeundum *suscipere tenetur ad normam can. 1648-1654* pro diversitate illius rei.

210. Effectus denunciationis immediatus sic exprimitur a *can. 1714*. *Quaelibet citatio*, ac proinde facta quoque in decursu processus iudicialis, *est* non simplex, sed *peremptoria*, seu non iteranda. cuius effectus sic exprimit Innoc. III in cap. 6 « de dolo et contumacia » (II, 14) X: « Volentes tamen iuris ordinem observare, ipsi mandamus, quatenus usque ad Dominicam qua cantatur, Ego sum Pastor bonus: per se, vel per procuratorem sufficientem, ad praesentiam nostram accederet, super praedictis (ibidem) omnibus responsurus: alioquin cum assignaremus ei *pro peremptorio* terminum supradictum: sciret quod (quantum de iure possemus) procedemus ex tunc in negotio memorato. — Expectantibus igitur adversariis: ipsum diu ultra terminum duximus exspectandum: sed ipse direxit simplicem solummodo nuntium, excusationis litteras afferentem... (et infra postquam arguit Pontifex excusationes et absentiam velut insubsistentes, sic explicit) eum reputavimus contumacem, et ad legitimas et moderatas expensas, quas adversarii eius fecerant a tempore citationis emissae, quem ex tunc exspectare inceperant, ipsum curavimus condemnare ». Sed de hoc effectu accuratior redibit sermo ubi « de contumacia », quam respiciens canon, sic excipit normam de citatione peremptoria, *nisi in casu de quo in can. 1845*, § 2, ubi nempe statuitur quando « iteranda est rei citatio, cum comminatione poenarum ».

211. Tenor citationis denunciandae debet esse conformis prescripto, quod tradit *can. 1715*. Porro scopus citationis est, ut reus queat ab initio processus opponere exceptiones eidem concessas a iure, sive contra personam iudicis, aut actoris, sive ratione loci tribunalis ac praesertim litis sibi motae. Ut igitur possit eas praeparare, opus est ut ex citatione hae omnes circumstantiae ipsi innotescant, quod cavet § *1* dicens. *Citatio* decreto facta *denuncietur* vi can. 1712, § 2, *per schedam*, idest folium scriptum, non oretenus, *quae* a) *praeceptum iudicis*, et in hoc sensu est intelligenda « vocatio in ius » (can. 1711, § 1), *parti convenlae*

nunc per citationem *factum ad comparendum* per se vel per legitimum procuratorem *exprimat*, seu liquido contineat verbis, et subsequuntur circumstantiae huiusmodi praecepti, *idest* b) *a quo iudice*, singulariter designato saltem ob eius praesidem qua talem, c) *ob quam causam* ex libello desumptam et *saltem verbis generalibus indicatam*, quod sufficit quolibet in casu, d) *quo actore* taliter designato, ut nosci queat indubie, e) *reus* ad quem mittitur citatio, *nomine et cognomine rite designatus*, quatenus cum alia persona confundi nequeat, *conveniatur* ob libellum; *nec non* f) *locum* seu tribunalis sedem, *et* g) *tempus* in infimo, *idest annum, mensem, diem*, quamvis ordine inverso, *et horam*, etiam cum quadrante vel dimidio, etc. additur enim *praefixam perspicue* verbis non ambiguis *indicet*.

Ut vero de ipsius fide constet, iubet § 2. *Citatio*, ut supra per schedam, a) *sigillo tribunalis munita*, nec sufficit distinctum sigillum praesidis, b) *subscribenda est a iudice* singulariter, seu praeside tribunalis collegialis, imo *vel ab eius auditore* cognito ex § II, cap.[is] I, tit. II, *et* simul cum eorum alterutro *a notario* « ad quaelibet acta vel ad acta iudicialia dumtaxat » (can. 373, § 2), sed hic subintelligitur ab actuario huius causae ob canonem sequentem.

212. Duplex citationis exemplar praescribit *can. 1716. Citatio duplici scheda*, prout haec descripta est per totum can. praec.[m] *conficiatur, quarum altera remittatur reo convento* in adimplementum can.[s] 1712, § 2, *altera asservetur in actis*, quapropter debet esse « actuarii munere... exarata, vel saltem ab eo subscripta » (can. 1585, § 1). Nam sicut statuit Innoc. III in Conc. Gen. [1] « de citationibus... et ceteris quae occurrerint competenti ordine conscribendis: loca designando, tempora et personas »: « Et omnia sic conscripta partibus tribuantur: ita quod originalia penes scriptores (vel actuarium) remaneant: ut si super processu iudicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari: quatenus hoc adhibito moderamine, sic honestis et discretis deferatur iudicibus, quod per improvidos et iniquos iustitia non laedatur ».

213. Transmissio citationis quamvis multipliciter fieri possit, ordinarium modum praescribit *can. 1717*. Imo transmissionem huiusmodi esse directam vult § *1* aiens. *Citationis scheda* descripta in can. 1715, *si fieri poterit* quoad sequentia, a) *per Curiae cursorem* « ad acta iudicialia intimanda constituendum » vi can. 1591,

[1] Cap. 11 « De probationibus » (II, 19). X.

« nisi alia sit probata tribunalis consuetudo » tunc sequenda, *tradenda est* b) *ipsi convento* personaliter *ubicumque is invenitur* etiam extra domicilium, et sufficit, quamvis haec clausula posset significare « ubicumque » domicilium vel quasi-domicilium habeat iuxta id quod statim decernitur.

§ 2. *Ad hoc* praescriptum §[i] 1[i] adimplendum *cursor* tribunalis *etiam fines alterius diocesis ingredi potest*, quod cavetur ob can. 201 § 2, ne dubium exoriatur eo quod talis denunciatio provenit ab exercitio iudicialis potestatis, sed ad praefatum ingressum licitum conditio est: *si iudex id* a) *expedire censuerit* seu ita fieri *et* b) *eidem cursori mandaverit.*

§ 3. *Si cursor* in sui officii adimplementum *personam conventam non invenerit* tunc *in loco* nempe: domo, *ubi commoratur* etiamsi absque quasi-domicilio, loco redeundi alio tempore, *relinquere poterit* a) *citatoriam schedulam* iuxta illud cap. 3 « de dolo et contumacia » (II, 14) X: « denunciationibus ad domum eius missis », b) *alicui de eius familia* ob consanguinitatem vel affinitatem *aut famulatu* illius, sub duplici conditione sequenti: *si hic* a) *eam recipere* saltem ad indicationem cursoris *paratus sit ac* b) *spondeat* simpliciter *se reo convento* absenti *quamprimum schedam* hanc *acceptam* personaliter *traditurum; sin minus* ob deficientiam alteriusutrius conditionis *eam* schedulam *ad iudicem referat, ut* haec *transmittatur ad normam can. 1719, 1720* pro diversitate hypothesium, ut patebit.

214. De recusatione citationis ex parte conventi, fuit necesse ut conderetur *can. 1718* propter clausulam irritantem processus, quam inveniemus in can. 1723. *Reus*, qui sic vocatur propter libellum admissum, *qui citatoriam schedam* sive a cursore, sive ab alio « de eius familia aut famulatu » in casu §[i] 3[i] can.[s] praec.[s] *recipere recuset, legitime citatus habeatur* vi huius canonis ad effectus canonicos citationis.

215. Transmissio citationis extraordinaria iuxta hodiernos mores fuit inducta in ecclesiasticum forum inst.[e] S. E. EE. et RR. sub die 11 Jun. 1880 in n. 14. « Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit Apparitorum Curiae opera, supplebitur exhibitione eorumdem expleta per qualificatam personam, quae de facto certioret, (et hic modus est adhuc practici momenti pro illis Curiis, ubi « sit probata tribunalis consuetudo » iuxta can. 1591, § 1), sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii ».

Hoc alterum adoptat *can. 1719.* Tantummodo *si* a) *ob distantiam loci*, in quo persona conventa commoratur, a sede tribunalis *vel aliam causam* quamlibet b) *difficulter* iudicio prudenti *per cursorem* personaliter *tradi possit reo convento* sic dicto ob libellum et in propria manu *scheda citatoria*, tunc *poterit* loco illius missionis, *iussu iudicis*, quin teneatur etiam in his casibus, *transmitti* ad reum a) *per tabellarios publicos*, non aliter, *dummodo* b) *commendata* pro securitate *et cum syngrapha receptionis* tradenda mittenti, prout est in more italico, *vel alio modo* sic designato, *qui secundum locorum* a) *leges* b) *et conditiones tutissimus sit*, idest: magis quam ceteri modi usuales in diversis locis.

216. Citatio edictalis solummodo permittitur in casu absolutae necessitatis, prout tunc eam praescribit *can. 1720*, atque servatur apud ordinaria Apostolicae Sedis tribunalia. Casus exprimit § *1. Quoties* a) *diligenti inquisitione peracta* de loco commorationis rei conventi, tum actualis tum ratione domicilii aut quasi-domicilii, b) *adhuc ignoratur* apud tribunal inquirens *ubi commoretur reus* modo supradicto, *locus est*, nempe: lege, *citationi per edictum* velut sufficienti.

Hic modus citandi ex iure Decretalium etiam probatur. Greg. enim IX sic rescribit Burdigalen. Archiepiscopo [1]: « Venerabilis frater noster... et infra... Volentes finem imponi litibus ne immortales existant: Mandamus, quatenus ad initium proximae venturae quadragesimae (quod tibi peremptorium terminum duximus adsignandum) super iure Primatiae, quod Bituri. archiepiscopus, in te ac in provincia tua se habere proponit, per te vel per procuratorem idoneum sufficienter instructum, ad litem contestandam, et ad alia omnia negotia peragenda, quae necessaria decisioni negotii videbuntur, nostro te conspectui repraesentes. Nos vero archidiacono Transvigen, et magistro M. canonico Turonen. dedimus in mandatis, ut et ipsi ad eundem terminum, auctoritate nostra, iuxta praedictam formam, te peremptorie citare procurent: et si non poteris inveniri, faciant ut citationis edictum, per ipsos, vel alios, apud ecclesiam tuam publice proponatur ».

Effectus vero citationis huiusmodi sic expressit Bonif. VIII ex testimonio Clementis V in Conc. Viennensi [2]: « ut citationes auctoritate apostolica... ad instar edictorum in albo praetoris propositorum... sic valeant atque arctent citatos post lapsum terminum, quem (considerata distantia locorum) citationibus ipsis apponi

[1] Cap. 10 « De dolo et contumacia » (II, 14) X. — [2] Clem. 1 « de iudiciis » (II, 1).

convenit competentem (respectu « loci in quo Romanus Pontifex cum sua Curia residebit »), ac si ad eos personaliter devenissent ».

Modus autem, quo citatio per edictum est facienda, caute servandus est. Ait enim § 2. *Hoc autem fit* a) *affigendo per cursorem* b) *ad fores Curiae* loci nempe vel domus tribunalis c) *schedam citationis* cognitam ex can. 1715, sed *ad modum edicti*, cuius formula inveniur saepius in Commentario officiali (Acta Aplcac. Sedis) usitata apud tribunal Sacrae Romanae Rotae, d) *per tempus* relinquendum *prudenti iudicis arbitrio determinandum et* simul cum affixione illa e) *in aliqua publica ephemeride eam* « schedam citationis ad modum edicti » *inserendo;* quoad hanc duplicem publicationem additur: *si vero utrumque fieri nequeat* qualibet ex rationabili causa, *alterutrum sufficiet* ad hoc praescriptum rite adimplendum.

Adnotetur quoad secundum et tertium citationis modos « opportunas immutationes disciplinae veteris Decretalium Codicem attulisse » (can. 6) ob mutatas valde conditiones civilis societatis.

217. Cursoris obligationes in denuncianda citatione accurate prosequitur *can. 1721* pro diversitate citationis. § *1. Cursor, cum in manu rei conventi citationis schedam relinquit*, iuxta §^m 1^m can.^s 1717, *debet* a) *eam subsignare*, b) *adnotatis* in illa *die et hora qua reo tradita est.*

§ *2. Idem peragat si eam* secundum §^m 3^m can.^s cit.^i *relinqual in manibus alicuius de familia aut famulatu rei conventi, addito insuper* in eadem scheda *nomine personae*, quo haec bene determinetur, *cui schedam tradidit.*

§ *3. Si citatio fiat per edictum*, de quo modo est can. 1720, *cursor* a) *in edicti calce signet* b) *qua die et hora edictum affixum ad fores Curiae fuerit et* c) *quandiu affixum manserit.*

Denique pro hypothesi can. 1718 considerata, statuit § *4. Si reus receptionem schedae recuset* recipere a cursore, a persona cui scheda rite fuit tradita, vel a publico tabellario, *cursor* a) *schedam ipsam subsignatam*, ut supra, b) *addita die et hora recusationis* qualitercumque cognita, *iudici remittat* personaliter.

218. Obligatio altera cursoris. — Qualibet in hypothesi debet ab eodem servari *can. 1722.* § *1. Cursor quae peregit* respectu citationis *ad iudicem* a) *referat* b) *in scriptis* fortassis per instrumentum mechanicum c) *manu propria subsignatis, quae in actis serventur* equidem apud actuarium.

219. Canon irritans maximi momenti est *can. 1723. Si scheda citatoria* quolibet in casu a) *non referat* omnia et singula *quae in can. 1715* sub utroque paragrapho *praescribuntur*, sicut ibi fuerunt

declarata, et subditur disiunctive *aut* b) *non fuerit legitime* idest: secundum canones pro diversitate casus *intimata, nullius momenti sunt* quoad vim iuridicam a) *tum citatio* imprimis *tum* consequenter b) *acta processus* forsan post illam sequuta, quae hinc directe manent irrita, videlicet: « quae ad formam procedendi pertinent » (can. 1642, § 1).

220. Ampliatio praescriptorum huius capitis statim cavetur. *Can. 1724. Regulae* omnes *superius statutae* videlicet a can. 1717 inclusive, dicitur enim *pro rei citatione*, tum perficienda, tum intimanda, *ceteris quoque iudicii actibus*, qui citationem requirunt vel denuntiandi sunt, *pro diversa tamen eorum natura* quoad ipsorum obiectum, personas commonendas, tempus designandum et locum, etc., *accomodandae* quoad sensum praescripti *et applicandae sunt* vi praeceptiva, ac subiiciuntur exempla, dicendo *ut decretorum vel sententiarum*, quae sunt « legitimae iudicis pronunciationes », atque in hoc differunt, quod si « iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, sententia est: ceterae autem pronunciationes decreta vocantur », et quia circa earum contentum canones speciales servandi sunt, providet praesens canon *denunciationi* equidem exempli causa, quando subdit *aliisque huiusmodi* actibus denuntiandis.

221. Effectus legitimae citationis enumerat congruenter iuri veteri can. *1725* dicens. *Cum citatio legitime* seu ad normam canonum huius capitis *peracta fuerit* et quidem rite « intimata » ob can. 1723, et hoc sufficit, etiamsi reus non pareat citationi, *aut*. quamvis haec fuerit omissa, *partes* conventa et actor simul ac *sponte in iudicium venerint*, idest coram tribunali comparuerint, ac proinde in casu quando « opus non est citatione » (can. 1711, § 2):

1°. Res desinit esse integra, eo quod iudiciale « negotium sit quasi coeptum » sicut ait Urb. III [1];

2°. *Causa fit propria* « ratione praeventionis » (can. 1568) *illius iudicis* uti personae singularis *aut tribunalis* qua personae collegialis, ceteroquin inter plures aeque competentes in illam, *coram quo actio* per libellum *instituta est*, ac proinde ex tunc « ei (iudici vel tribunali) ius est (prae aliis) causam (eamdem) cognoscendi ».

3°. *In iudice* proprie *delegato* « a Sancta Sede » (can. 1607, § 1) vel ab Ordinariis locorum » (ib. § 2), nam lex non distinguit, *firma* seu stabilis *redditur iurisdictio*, et statim explicatur quocum

[1] Cap. 20 « De officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X.

effectu, *ita ut non exspiret resoluto* ob amissionem officii (can. 208) *iure delegantis*. Quapropter vi citationis legitime peractae est intelligendum vigere praescriptum can. 207, § 1, quoad iudicialem potestatem, et consequenter a delegante infra Romanum Pontificem nequit apponi contrarium « in additis rescripto delegationis clausulis » can. 61.

De hoc effectu 3° sunt duo capita Decretalium, quorum primum explicatur in altero. Videlicet: Lucius III ait [1]: « Nos itaque consultationi vestrae respondemus, quod si lis fuerit ante praedecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expiravit. Si vero ante litis contestationem decessit, non est a iudicibus quos delegaverat, ex delegatione huiusmodi procedendum ». Sed postea Urbanus III sic respondet [2]: « Sane consuluit nos devotio vestra, an ante obitum delegantis proposito citationis edicto, lite vero post mortem contestata, nihilominus debeat in causa procedere delegatus ». Et post aliam quaestionem, sic prosequitur Decretalis: « Nos autem inquisitioni tuae taliter respondemus, quod cum in casu priori citatione facta, negotium sit quasi coeptum, (quod est 1° recensitus in praesenti canone effectus); et maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis, (nunc non considerandum), potest et debet in causa procedi: tenebitque quod iustitia fuerit praevia diffinitum »;

4°. Interrumpitur, seu non currit tempus necessarium iuxta ss. canones, ut *praescriptio* consequatur effectum iuris, « tamquam modus acquirendi (iura) et se liberandi » ab obligationibus, *nisi aliud cautum sit*, « in legislatione civili respectivae nationis (quoad hanc interruptionem) pro bonis ecclesiasticis », seu ut ait praesens canon: *ad normam can. 1508*, quae sic explicit: « salvo praescripto canonum qui sequuntur » ipsum, prouti declarati fuerunt ibidem;

Demum Clemens V in Conc. Viennensi constituit [3]: « Cum lite pendente nihil debeat innovari: litem quo ad hoc pendere censemus, postquam a iudice competenti in ea citatio emanavit, et ad partem citatam pervenit, vel per eam factum fuit, quo minus ad eius notitiam perveniret: Dum tamen in citatione praedicta talia sint expressa: per quae plene possit instrui super quibus in iudicio convenitur ».

Et quia hae conditiones in Clementina positae, sint salvae iuxta canonis introductionem, « Codex vigentem huc usque disciplinam retinet » (can. 6), dum explicit canon praesens: *5° Lis* seu partium contentio *pendere* (uti regula) *incipit* iuris prae-

[1] Cap. 19 « De officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X. — [2] Cap. 20 « De officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X. — [3] Cap. 2 « ut lite pendente nihil innovetur » (II, 5).

scripto; *et ideo* ex eadem regula *statim locum habet* seu obligat *principium* iuris: « *lite pendente, nihil innovetur* », quod est rubrica perfecta tituli Collectionis authenticae, et « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, est aestimandum » (can. 6, 2°).

TITULUS VII.

De litis contestatione.

CAN. 1726. - Obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione, seu formali conventi contradictione, petitioni actoris, facta animo litigandi coram iudice.

CAN. 1727. - Ad litis contestationem nulla necessaria est sollemnitas, sed sufficit ut partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inseratur petitio actoris et contradictio conventi, unde constet qua de re agatur seu quinam sint controversiae termini.

CAN. 1728. - In causis tamen implicatioribus, in quibus petitio actoris nec perspicua sit nec simplex vel contradictio conventi difficultatibus scateat, iudex, ex officio aut ad instantiam actoris vel conventi, partes citet ad rite definiendos controversiae articulos, idest ad causae *dubia*, ut dicitur, *concordanda*.

CAN. 1729. - § 1. Si die dubiis concordandis praestituta, pars in ius vocata non compareat nec iustam absentiae excusationem alleget, contumax declaretur, et dubiorum formula statuatur ex officio, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem contumaci statim id notum fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum seu articulorum formulam possit proponere et a contumacia se purgare, intra tempus quod iudici congruum videatur.

§ 2. Partibus praesentibus et in formula dubiorum seu articulorum concordibus, si iudex, quod ad se attinet, nihil excipiendum putaverit, eius rei fiat mentio in decreto quo formula firmatur.

§ 3. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, iudex ipse controversiam dirimat decreto.

§ 4. Dubiorum seu articulorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis.

CAN. 1730. - Antequam litis contestatio locum habuerit, iudex ad testium aliarumve probationum receptionem ne procedat, nisi in casu contumaciae, aut nisi testium depositionem recipere oporteat, ne ipsa ob probabilem testis mortem, ob discessum eiusdem vel ob aliam iustam causam recipi postea nequeat, aut difficulter possit.

CAN. 1731. - Lite contestata :

1.° Haud licet actori libellum mutare, nisi, reo consentiente, iudex, iustis de causis, censeat mutationem esse admittendam, salva semper reo compensatione damnorum et expensarum, si quae debeatur. Libellus non censetur mutatus, si coarctetur aut mutetur probationis modus ; si minuantur aut petitio aut accessoria petitionis ; si facti adiuncta in libello pridem posita ita illustrentur, compleantur aut emendentur, ut controversiae obiectum idem remaneat, si in locum rei petatur pretium, foenus aut aliquid aequivalens ;

2.° Iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem poterit, instantibus partibus, arbitrio suo prorogare, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur;

3.° Possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; quapropter damnatus rem restituere, non solum rem ipsam, sed et rei fructus a litis contestatae tempore restituere tenetur et damna praeterea sarcire, si qua secuta fuerint.

222. Inscriptio Tituli et huius canones. — Titulus IX, Lib. III Codicis Justiniani habet hanc eandem Rubricam, et eius unica lex est: « Res in iudicium deducta non videtur, si tantum postulatio simplex celebrata sit, vel actionis species ante iudicium reo cognita. Inter litem enim contestatam et editam actionem permultum interest, lis enim tunc contestata videtur, cum iudex per narrationem negotii causam audire coeperit ». Hinc non est mirum, si postquam de causae introductione ex parte implorantis auctoritatem iudicis cum subsequuta partis alterius citatione, veniat *Titulus VII* inscriptus *De litis* eiusdem *contestatione* seu contradictione partis conventae. Nam lis vel iurgium litis contendentes exigit.

Etenim pars conventa et ex citatione instructa potest unam ex tribus viam inire. 1°. Si comperiat inde sibi competere exceptiones dilatorias vel a fortiori peremptorias, quae dicuntur *litis finitae*, potest ipsas paratas proponere iudici cognoscendas ante contestationem litis ac loco eiusdem. 2°. Si conscia sit de iure alterius partis vel saltem de proprio iure timeat ne possit illud convenienter defendere vel adhuc praeferat a iudicii incommodis se liberare, habet potestatem initio iudicii cedere actori quidquid libello exigitur, secundum l. CLVI « de diversis regulis iuris » ff.: « Invitus nemo rem cogitur defendere ». Denique 3° si persona ex citatione deprehendat in libello falsa conscripta esse, vel probabiliter putet ius ibidem assertum non favere actori, aut saltem ab eodem probari non posse, in iure conventae personae situm est seipsam ab adversario defendere coram iudice contradicendo actori, quod perficitur « litis contestatione ».

Substantialem huius notionem dat can. 1726, cui tres subsequuntur de diversis contestationis litis solemnitatibus adimplendis, prout causa ipsa simplex sit vel magis complicata, et duo postremi statuunt quinam actus iudiciales prohibeautur « antequam litis contestatio locum habuerit », et quid haud liceat vel faciendum sit ex iure consequenti contestationem ipsam.

223. Notio contestationis litis datur indirecte pro Codicis more. In cap. 2 « de litis contestatione » in 6° ait Bonif. VIII: « Si oblato ab actore libello, ex parte rei exceptio peremptoria proponatur: nequaquam per hoc litis contestatio intelligitur esse facta.

Imo ea non obstante, (nisi sit de illis exceptionibus, quae litis contestationem impediunt) fieri oportebit eandem ».

Negative autem ac positive declarat eam Greg. IX in cap. 54 « de electione et electi potestate » (I, 6) X aiens: « Licet autem positiones et responsiones super pluribus articulis factae fuerint coram vobis, quia tamen contestationem litis non invenimus esse factam (cum non per positiones et responsiones ad eas factas, sed per petitionem in iure propositam et responsionem factam, contestatio litis fiat) eundem processum de fratrum nostrorum consilio irritum duximus nuntiandum ».

Quam litis contestationem exposcit Alex. III in cap. 1 « de mutuis petitionibus » (II, 4) X faciendam. Sic enim scriptum est in eo: « Quoniam rationis ordo exigit, ut plebanus et clerici Maturenses abbati et fratribus Maturensis monasterii, de iis quae adversus eos proponunt, debeant in vestra praesentia respondere: cum sibi ex ipsis coram vobis a Sede Apostolica delegatis iustitiam postulant exhiberi. Mandamus, quatenus actione plebani et clericorum proposita, et responsione facta: monitione praemissa, compellatis eosdem, memoratis abbati et fratribus, incontinenti coram vobis super suis quaestionibus respondere: et vicissim postmodum rationes partium audientes, concordia vel iudicio utriusque negotium terminetis ».

Hucusque relato iuri congruit *can. 1726. Obiectum seu materia iudicii* contentiosi iuxta ea, quae sequuntur, *constituitur* in unoquoque *ipsa litis contestatione*, quae proinde tam necessaria est in foro iudiciali ut sine ipsa constare nequeat utilis disceptatio atque consequens definitio. Hinc Auctores dicunt eam esse de iure naturali, sed fortassis magis recte diceretur de natura iudicii illam expostulari. Propterea Clemens V in sua Const. « Saepe contingit » (2, V) [1] ait: « hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut iudex, (in illis casibus, in quibus procedi potest simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii) necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet... etc. ».

Quam definit canon sic prosequens: « litis contestatione », *seu* a) *formali*, non exceptionibus, positionibus et responsionibus tantum, sed *conventi* per libellum (sequuta citatione) *contradictione* b) *petitioni actoris* in illo expressae, c) *facta animo* sufficienter expresso *litigandi* seu disceptandi cum actore *coram iudice*, qui supponitur competens in causa.

[1] « De verborum significatione » in Clem.

224. De simplicitate contestationis litis cavet *can. 1727.* Secus ac in iure Romanorum antiquo pro quo Festus « de verborum signif. » scripsit: « contestari litem dicuntur duo vel plures adversarii, quod ordinato iudicio utraque pars dicere solet: *Testes estote* » [1]; *Ad litis contestationem legitimam* in iudicio ecclesiastico *nulla necessaria est sollemnitas* formulae, testium, etc., *sed sufficit ut* a) *partibus*, seu actore et reo simul *coram iudice vel eius* ad hoc saltem *delegato*, sicut accidit in S. Romana Rota coram ponentis Adiutore, *comparentibus* personaliter vel per procuratorem ad lites, vel saltem ad istam, rite constitutum, b) *in actis inseratur* ab actuario *petitio actoris*, sive libellum confirmantis, sive illud mutantis, *et contradictio* formalis *conventi*, ceu quae cum petitione actoris constare nequeat, *unde constet qua de re agatur* in disceptatione, *seu quinam sint* bene determinati *controversiae* apud iudicem delatae *termini.*

Sic etiam vigebat ex iure Decretalium. Porro Greg. IX in cap. unico huius tituli (II, 5) X ait: « Procuratoribus igitur partium propter hoc in nostra praesentia constitutis, quamvis positiones et responsiones, hinc inde super pluribus articulis factae fuerint coram iudicibus memoratis: quia tamen litis contestationem non invenimus esse factam, cum non per positiones et responsiones ad eas, sed per petitionem in iure propositam, et responsionem sequutam litis contestatio fiat; processum ipsorum, de fratrum nostrorum consilio irritum duximus nunciandum ».

225. Concordatio dubiorum est modus peculiaris introducendi plene causas in Tribunali S. Rom. Rotae, aequipollens litis contestationi, ut habet can. 23 illius sacri Tribunalis [2]. « § 1. Causa coram Sacra Rota introducta et instructa, actor, vel etiam conventus, si ipsius intersit, Ponentem rogabit ut diem dicat alteri parti pro contestatione litis, seu concordatione dubiorum ».

De tali adhibendo modo in quibuslibet tribunalibus ecclesiasticis cavet *can. 1728* sub limitatione sic expressa. *In causis tamen* velut per exceptionem can.s praec.s *implicatoribus* eo quod ex pluribus partibus constet dubiis, sicut ex oblato libello praevidetur, seu ut canon prosequitur: *in quibus* a) *petitio actoris nec perspicua sit*, non iam ex ambiguitate aut obscuritate loquutionis in libello, sed *nec simplex* propter diversas petitionis partes, quibus conflatur libellus, a iudice satisfaciendas, *vel contradictio conventi* sub litis contestatione *difficultatibus scateat*, veluti pluribus pariter solvendis, *iudex* singulariter, seu praeses tribu-

[1] Cl. Card. Lega « De iudiciis », I, 420. — [2] Lex propria S. R. Rotae et Signaturae Apostolicae, 29 Iul. 1909 CO. I, 20.

nalis collegialis, a) *ex officio* ob dictam praevisionem implicatioris causae secundum illius de iudiciis peritiam, *aut ad instantiam* b) *actoris vel* c) *conventi*, « si alterutrius intersit » pro convenientiori sui iuris defensione, *partes citet*, ad hoc ergo etiam actorem *ad rite definiendos controversiae articulos*, videlicet: ex assertionibus facti ab actore propositis, quae « positiones » audiunt apud Auctores et in iure veteri, et relativis conventi « responsionibus », quaenam positiones contradicantur a respondente reo, ex quibus ad invicem colligatis logice controversia inter partes integretur, *idest*, ut ait canon ex iudiciorum more, *ad causae dubia* a iudice solvenda, *ut dicitur*, *concordanda*, namque in ea conveniunt partes, dum actor affirmativum, reus vero negativum ipsorum responsum exoptant.

226. De methodo iuridico ad dubia concordanda statuit sequentia *can. 1729* sumens ea praescripta ex Lege propria paulo ante citata, sub can. 24.

§ *1. Si die dubiis concordandis* iuxta partium citationem ex can. praec. *praestituta*, *pars*, sive actor, sive reus ut plurimum *in ius vocata* a) *non compareat* per se vel per legitimum ad hoc procuratorem b) *nec iustam absentiae* huiusmodi *excusationem* nuntio vel scriptis *alleget*, iussu canonis *contumax declaratur* ad normam can. 1843 cum effectibus canonis 1844, si agatur de persona conventa, ad normam can. 1849 et cum sequelis canonis 1850, si sermo sit de actore contumaci, pro utraque vero parte viget quoque can. 1851. Prosequitur canon: *et dubiorum formula* a) *statuatur ex officio*, idest: per iudicis decretum, b) *parte*, *quae praesens est*, *id postulante*. Nam si praeferat citationem iterari, vel reus praesens exerceat ius petendi « vel ut libere possit a iudicio abire,... vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris » (can. 1850, § 3), iudex huic iuri deferre legitime debebit.

Verumtamen si « dubiorum formula statuatur ex officio », observanda est sequens §ⁱ pars. *Parti autem* alterutri *contumaci*, postquam declaretur, *statim* ac « praedicta formula statuatur » *id notum fiat ex officio* iudicis, quem tenet praeceptum, *ut* a) *quas velit exceptiones contra dubiorum seu articulorum* multiplicem *formulam possit* iure *proponere* coram iudice, *et*, prout necesse est, *a contumacia se purgare*, videlicet: « ab eadem recedere seque in iudicio sistere » (can. 1846), *intra tempus* in denunciatione statuendum *quod iudici congruum videatur* ex circumstantiis.

§ 2. casum non existentis contumaciae considerat. *Partibus* in causa a) *praesentibus*, dum parent citationi per se vel per procuratorem, *et* b) *in formula* multiplici *dubiorum* qua talium *seu*

articulorum concordibus, *si iudex* coram quo adsunt, *quod ad se* respectu iudicii *attinet*, c) *nihil excipiendum* quoad illam *putaverit*, *eius rei* seu de his omnibus sub a) b) et c) *fiat mentio in decreto quo formula* qua iudicialis actus contestationis litis *firmatur*.

§ 3 eundem ac in §° 2° casum considerat, sub altera hypothesi. Videlicet: *Si vero* a) *partes* praesentes *dissentiant* « in formula dubiorum seu articulorum » statuenda, *aut* b) *earum conclusiones*, in quibus proponendis sub forma dubii pro solutione concordant, *iudici non probentur* secundum eius prudentiam, *iudex ipse* toties declaratus *controversiam* ob dissensum inter partes vel inter eas et iudicem, *dirimat decreto*, cui standum erit vi huius canonis.

Stabilitatem vero formulae opportune cavet § *4*, dum praescriptum simile inveniemus in can. 1721 de libello, quem simplex contestatio litis sequatur. *Dubiorum seu articulorum*, quia aequipollent, *formula semel statuta* iuxta §os praecedentes *mutari non potest* ex regula ordinaria, *nisi* a) *novo* iudicis eiusdem *decreto*, b) *ex gravi causa*, et praeter haec duo copulative requiritur c) *ad instantiam partis* alteriusutrius, in qualibet causa, *vel promotoris iustitiae*, *vel defensoris vinculi* tum matrimonii, tum sacrae ordinationis, pro causis in quibus adsunt, sed in his *audita* d) *utraque parte*, etsi hae vel alterutra non consentiant, *vel altera parte*, quando « ad instantiam partis » unius, e) *eiusque rationibus perpensis*. Quae omnia in decreto saltem convenit ut exprimatur adimpleta fuisse. Ita salvae manent duae sequentes regulae iuris in 6°, nempe: XXI. « Quod semel placuit, amplius displicere non potest », et XXXIII. « Non licet actori, quod reo licitum non existit ».

227. Actus iudiciales prohibiti ante litis contestationem. — Extat in iure Decretalium haec rubrica tituli 6 in Lib. II perfecta: « Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam ». Sensum huius rubricae cum suis fallentiis accurate tradit Innoc. III in cap. 5 sequentis tenoris. « Quoniam frequenter in dubium revocatur a multis, an lite non contestata testes recipi valeant: auctoritate praesentium duximus declarandum, regulariter verum esse, quod lite non contestata, non est ad receptionem testium procedendum: Nisi forte de morte testium timeatur: vel absentia diuturna; in quibus casibus, cum civiliter est agendum, (ne veritas occultetur, et probatonis copia fortuitis casibus subtrahatur) senes, et valetudinarii, et alii testes (de quibus ex aliqua rationabili causa timetur) etiam lite non contestata, sunt procul dubio admittendi: sive pars conventa sit contumax, sive sit absens absque malitia ut conveniri non possit ».

Et post alia sequitur: « Porro speciales causae possunt occurrere, in quibus casualiter esset aliud observandum: ut (verbi gratia) si super alicuius electione vel copula maritali quaestio moveatur; tunc etenim (ne propter longam moram in spiritualibus et temporalibus patiatur ecclesia laesionem: vel viro sive mulieri fornicationis occasio praebeatur: maxime cum propinquitatis gradus opponitur lege divina prohibitus) in huiusmodi casibus (si contumax apparuerit is in quem fuit actio dirigenda: sive quia peremptoria citatione recepta venire contemnit, sive quia malitiose seipsum occultat: sive quia impedit ne possit ad eum citatio pervenire) testes lite non contestata sunt merito admittendi; et nihilominus (si de causa liqueat) ad diffinitivam sententiam procedendum ».

Innoc. idem III in cap. 34 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X magis generaliter loquitur: « Verum si archiepiscopus citatus legitime, vel per se, vel per procuratorem idoneum noluerit comparere, aut litem etiam contestari: vos testes maxime senes et valetudinarios, quos archidiaconus duxerit producendos, sublato appellationis obstaculo admittatis: et depositiones eorum conscriptas ad Sedem curetis Apostolicam destinare: statuentes partibus terminum peremptorium, quo per se, vel responsales idoneos, nostro se conspectui repraesentent, sententiam recepturae ».

His textibus congruit, sed accuratiori modo undequaque praescribens *can. 1730. Antequam litis contestatio* sufficiens vel per dubiorum concordantiam *locum habuerit* post libellum rite oblatum, *iudex* sive unicus sive tribunal collegiale, huiusque praeses prohibetur *ad testium aliarumque probationum*, etsi hae documenta sint, *receptionem ne procedat*, etiam ad instantiam partis, et hoc « regulariter verum est », *nisi* a) *in casu contumaciae*, equidem ad normam procedendo canonum capitis I, tituli XI, *aut* b) « sive pars conventa sit contumax, sive sit absens absque malitia », quia de causa contentiosa agitur, *nisi testium depositionem recipi oporteat*, (quod ad « aliarum probationum receptionem » non est extendendum), *ne ipsa* « depositio » a) *ob probabilem testis mortem*, quamvis certa non sit haec, nec sequatur. b) *ob discessum eiusdem* notabilem a loco tribunalis *vel* c) *ob aliam iustam causam* quamvis testi extrinsecam, timendamve ex parte adversarii, ita ut consequenter uni ex his causis praevideatur *recipi postea* a) *nequeat* « depositio », *aut* b) saltem *difficulter possit*, quod ultimum praevisum satis est.

228. Contestationis litis effectus enumerat consonans iuri praecedenti *can. 1731. Lite contestata* ad normam cann. 1727-1729 ·

1°. Quia ex regula iuris 33 in 6°: « Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum » est aequitate plenum quod hic sequitur. *Haud licet actori libellum*, « quod semel placuit » eidem (reg. iuris 21 in 6°), *mutare* qualitercumque, sed proprie, *nisi*, a) *reo consentiente*, quia « scienti et consentienti non fit iniuma neque dolus » secundum reg. iuris 27 in 6°, b) *iudex* unicus vel tribunal collegiale, *iustis de causis* sibi probatis, *censeat mutationem* petitam *esse admittendam*, c) *salva semper reo* vi huius canonis confirmantis obligationem iustitiae *compensationc damnorum* ex hac mutatione *et expensarum* ratione prioris libelli, *si quae debeatur* saltem ob exigentiam aequam rei.

Diximus mutationem libelli prohiberi proprie dictam significatione iuridica. Quapropter additur: *Libellus non censetur mutatus*, ac proinde licitum est, a) *si coarctetur aut mutetur*, non iam causa petendi, *sed probationis modus* in libello expressus, omittendo aliquas probationes, vel si loco earum alia media adhibeantur, quia libelli substantia manet salva; b) *si minuantur aut petitio aut accessoria petitionis* principalis, nam « plus semper in se continet quod est minus », sicut habet reg. iuris 35 in 6°; c) *si facti adiuncta in libello pridem posita ita illustrentur*, quod patet, *compleantur aut emendentur;* sed haec ita *ut controversiae obiectum*, « constitutum ipsa litis contestatione » (can. 1726), *idem remaneat;* ultimo d) *si in locum rei petatur pretium*, et quia « rei appellatio latior est quam pecuniae » [1], additur *foenus* intelligendum pecuniae in libello petitae, *aut aliquid aequivalens* huic vel rei libello expressae, et hoc etiam patet.

2°. *Iudex congruum tempus partibus* actori et reo *praestituat* decreto *probationibus* pro libitu *proponendis* a se *et explendis* fortassis cum necessario iudicis interventu; *quod quidem* hac de causa vel alia *poterit*, a) *instantibus partibus* singulis, eo quod dicitur b) *arbitrio suo prorogare*, cum sequenti limitatione arbitrii ac instantiae partis: *dummodo ne lis*, seu disceptatio iudicialis, *ultra quam aequum sit* prudenti ergo iudicio, *protrahatur*.

Ita enim « Admonet dehinc S. Synodus [2] tam Ordinarios, quam alios quoscumque iudices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant; ac ligatorum artibus seu in litis contestatione, seu alia parte iudicii differenda, modis omnibus aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant ».

[1] l. 5 D. « de verborum significatione »: qui textus urget in sensu hodierno, etsi aliter verba ibidem declarentur. — [2] Conc. Trid. cap. 10 sess. XXV de Ref.

3°. Reg. iuris 3 in 6° est: « Sine possessione praescriptio non procedit », et 2ª ait: « Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit ». Cum igitur praescriptio iuri positivo humano innitatur, decernit canon: *Possessor rei alienae*, qualiter fuerit usque ad litis contestationem de ipsa re, *desinit* iure *esse bonae fidei possessor; quapropter damnatus rem restituere*, quia ut supponitur res erat actoris, secus non habetur ex litis hac contestatione praedictus effectus, a) *non solum rem ipsam*, quia res clamat domino suo, *sed et rei fructus*, sive pendentes sive perceptos, *a litis contestatae tempore restituere tenetur*, quia res fructificat domino suo, et c) *damna praeterea sarcire, si qua* interim *secuta fuerint* ex praefata possessione.

TITULUS VIII.

De litis instantia.

CAN. 1732. - Instantiae initium fit litis contestatione; finis autem omnibus modis, quibus iudicium terminatur, sed et antea non solum interrumpi, verum etiam finiri potest sive peremptione sive renuntiatione.

CAN. 1733. - Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cuius ratione agit:

1.° Causa nondum conclusa, instantia interrumpitur, donec heres defuncti aut successor litem instauret;

2.° Causa conclusa, instantia non interrumpitur, sed iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.

CAN. 1734. - Si controvertatur cuinam ex clericis litigantibus ius sit ad beneficium, et alter, lite pendente, moriatur, aut beneficio renuntiet, instantia non interrumpitur, sed contra superstitem eam prosequitur promotor iustitiae qui pro beneficii aut ecclesiae libertate dimicet, nisi beneficium sit liberae collationis Ordinarii et hic praeferat causam ut victam superstiti adiudicare.

CAN. 1735. - Procuratore aut curatore a munere cessante, tandiu interrupta manet instantia, quandiu pars aut ii ad quos pertinet novum procuratorem vel curatorem nominaverint aut per se ipsi in posterum agere se velle professi fuerint.

CAN. 1736. - Si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae per biennium aut in gradu appellationis per annum, instantia perimitur, et in altero casu sententia per appellationem oppugnata transit in rem iudicatam.

CAN. 1737. - Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliosve minoribus aequiparatos, eaque ex officio etiam excipi debet, salvo iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, administratores, procuratores qui culpa se caruisse non probaverint.

CAN. 1738. - Peremptio exstinguit acta processus, non vero acta causae; imo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat;

sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent, nisi documentorum.

CAN. 1739. - In casu peremptionis, quas quisque ex litigatoribus fecerit, has ipse ferat expensas peremptionis iudicii.

CAN 1740. - § 1. In quolibet statu et gradu iudicii potest actor instantiae renuntiare ; item tum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.

§ 2. Renuntiatio ut valeat, peragenda est in scriptis, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, alteri parti communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.

CAN. 1741. - Admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae : et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.

Titulus VIII. De litis instantia
- initium et finis — Can. 1732
- interrupta vel non
  - cuiusque litigantis causâ — » 1733
  - inter litigantes de beneficio — » 1734
  - si procurator vel tutor cesset — » 1735
- interempta
  - ob lapsum temporis sine actibus — » 1736
  - ipso iure et adversus omnes — » 1737
  - cum quali effectu
    - circa acta — » 1738
    - circa expensas — » 1739
- renuntiata
  - quo modo, ut renunciatio valeat — » 1740
  - cum quibus effectibus — » 1741

229. Inscriptio huius tituli atque canones. — Quia ex can. 1726 « obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione », consequens est tractare statim quae moderanda sint *De litis instantia*, prout inscribitur *Titulus VIII*, idest: de controversiae agitatione ac definitione per actus iudiciales qui iudicium ecclesiasticum singulare integrant. Quantum haec instantia perduret respondet can. 1732, quem sequuntur tres canones 1733-1735 de instantiae interruptione, alii duo decernunt de peremptione instantiae, quibus succedunt can. 1738, 1739 de peremptionis effectibus. Duo autem postremi canones de renuntiacione instantiae vel actorum in ea.

230. Perduratio instantiae litis sic limitibus circumscribitur. *Can. 1732. Instantiae* primae cuiuslibet *initium fit litis contestatione* ad normam can. 1727-1729 peracta; *finis autem omnibus modis, quibus iudicium* ecclesiasticum rite *terminatur* scilicet: sententia iudicis definitiva, « compositione seu concordia », com-

promisso in arbitros; *sed et antea* a) *non solum interrumpi* potest instantia perdurans, *verum etiam finiri potest* b) *sive peremptione*, quae « obtinet ipso iure » (can. 1737), *sive renunciatione* ipsius actoris, ut patebit ex can. 1740.

231. Instantiae interruptio multipliciter evenire potest ex causa partium. Porro *can. 1733* haec decernit: *Si pars litigans*, actor tamen, a) *moriatur aut* b) *statum* ad causam pertinentem *mutet*, v. gr. clericalem, si agatur de huius obligationibus vel iuribus, *aut* c) *cesset ab officio* « lato sensu aut stricto » (can. 145, § 1) *cuius ratione agit*:

1°. Causa nondum conclusa, quae « habetur » uno ex tribus modis sub § 2° canonis 1860 expressis, *instantia interrumpitur* ita ut actus iudiciales nequeant fieri, quamvis per procuratorem pars litigaverit, *donec* a) *heres defuncti*, *aut* c) *successor* in officio praedicto *litem instauret*, idest: manifestet iudici velle instantiam prosequi;

2°. *Causa conclusa*, ut supra, de qua « peracta conclusione, iudex decretum ferat » (can. 1860, § 3), *instantia non interrumpitur*, *sed iudex* vi huius canonis *procedere debet ad ulteriora*, *citato procuratore* prius constituto, *si adsit*, *secus*, seu hoc deficiente, a) *defuncti herede vel* c) *successore* in litigantis « officio ».

232. De causa beneficiali inter clericos non interrumpenda ex motivis canonis praecedentis decernit *can. 1734* innixus doctrinae Clem. ae 1 « Ut lite pendente nihil innovetur » (II, 5). Sic enim scriptum est in ea: « Si vero alter tantummodo sive possessor, sive petitor decedat: si superstes vel alius cuius intersit, causam nihilominus prosequatur: (cum interim beneficium de iure conferri non possit) ad quem collatio eius pertineat, futurus declarabit eventus ».

Disciplina nunc vigens est directe ac plene statuta. *Si controvertatur* in iudicio a) *cuinam ex clericis* nam hi « soli possunt beneficia obtinere » (can. 118), *litigantibus* inter se *ius sit ad beneficium*, agitur ergo de iure quod ad unum ex his pertinet, nec praescriptum urget pro aliis causis beneficialibus, v. gr. iuris patronatus, legitimae possessionis, clerici adversus collatorem vel electores, etc., *et* b) *alter*, « sive possessor, sive petitor » *lite pendente*, videlicet: ex contextu « post instantiae initium » (can. 1732), a) *moriatur*, *aut* b) *beneficio* forsan possesso *renuntiet*, vel quantum iuris in illo habeat, *instantia*, quae supponitur « litis contestatione » incoepta, *non interrumpitur*, *sed contra superstitem* vita, vel quatenus litigantem, sive actorem, sive reum, *eam* hoc est instantiam *prosequitur promotor iustitiae* loco demortui aut

renuntiantis, sed obligatio eius exprimitur: *qui pro beneficii aut ecclesiae*, secundum causae diversitate, *libertate* contra ius ab altero clerico praetensum, *dimicet*, prosequens in hoc sensu eamdem actionem, cum hac sola exceptione: *nisi* a) *beneficium*, ut supra litigiosum, *sit liberae collationis Ordinarii* loci *et* b) *hic praeferat causam ut victam*, prout est in iure suae potestatis, *superstiti* clerico litiganti *adiudicare*, quidquid fuerit in veritate iuris.

233. Alii casus interruptionis instantiae provide considerantur, ut omnia secundum ordinem in Ecclesia fiant. Ea *can. 1735*. Quia « pars libere potest procuratorem constituere » (can. 1655, § 3), « qui (per se) nequit alium sibimet substituere » (can. 1656 § 1), et quia « pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores »: (can. 1648, § 1), statuit legislator. *Procuratore* illo *aut curatore* vel tutore hoc *a munere* alterutro *cessante*, *tamdiu interrupta manet instantia*, cuius initium supponitur, *quamdiu pars*, sive actor sit sive reus, *aut ii ad quos pertinet* pro diversitate personae, cuius persequuntur aut defenduntur iura, a) *novum*, pro iure ipsorum ut supra *procuratorem vel curatorem nominaverint* b) *aut per se ipsi*, qui iure queant, *in posterum agere* eorum partem in iudicio *se velle professi fuerint* apud tribunal.

234. Instantiae peremptio decernitur congruenter iuri antiquo, firmo secundum reg. 25 iuris in 6°: « Mora sua cuilibet est nociva ».

Quia igitur, secundum ius praecedens sit iudicibus data iniunctio « ut causae omnes in tribunali primae instantiae ultra biennium non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra annum », sicuti monstravimus ad can. 1620, aequitas postulat ut etiam partes ad similem diligentiam adigantur, quod praestat *can. 1736* sic praescribens. *Si nullus actus processualis* ratione intervenientis iudicis in causa, *quin aliquod obstet impedimentum* aliunde ortum ac prosequutionem iudicii vetans, *ponatur* a) *in tribunali primae instantiae*, in quo nempe causa fuit primo introducta, *per biennium* seu a die ultimi actus processualis excludenda in computatione biennii sumendi prout in calendario ad normam can. 34, § 3, 3°, *aut* b) *in gradu appellationis* seu apud tribunal secundae instantiae circa eandem causam *per annum*, sicut erat in iure Decretalium tale tempus taxatum, a) *instantia perimitur* ita ut cesset iudicium, *et* b) *in altero casu* idest: « in gradu appellationis » *sententia* contra quam fuit appellatum iure, seu *per appellationem oppugnata transit in rem iudicatam*, tanquam si tem-

pore utili non fuerit appellatio adversus eam sententiam proposita.

235. Quo modo peremptio vim obtineat nos edocet *can. 1737*. *Peremptio* quaelibet ex contentis sub praec. §°, *obtinet* vigorem cum iuridicis effectibus sequentium canonum a) *ipso iure*, quin opus sit partis aut promotoris iustitiae petitio, nec iudicis decretum, *et* b) *adversus omnes* personas, quae in causa partes sint, *minores* aetate *quoque aliosve minoribus aequiparatos* iure canonum quoad causas ecclesiasticas, v. gr. « personae morales sive collegiales sive non collegiales » (can. 100, § 3), « ii, qui rationis usu destituti sunt » (can. 1648, § 1), hic nominandi expresse, quia de re odiosa agitur et significatio verbi minoris pro aequiparatis sit iuridica, *eaque* « peremptio » *ex officio etiam* idest: a promotore iustitiae *excipi* in perpetuum pro exceptionum natura *debet*, quamvis pars in hoc interesse habens non exciperet illam, c) *salvo iure regressus* in iudicium *ad indemnitatem*, ne quidquam ex huiusmodi peremptione detrimentum pati cogantur, et ad hoc exercendo actionem *adversus* a) *tutores*, *administratores*, *procuratores* iuxta horum diversorum interventum ratione partis in iudicio perempto, *qui* b) *culpa* quamvis absque dolo *se caruisse non probaverint*, ad quod obligantur ne succumbant in hac indemnitatis instantia.

236. Effectus peremptionis instantiae statim sequuntur. Et primus statuitur congruenter iuri Decretalium. Nam Greg. IX in cap. 15 « de probationibus » (II, 19) X inquit: « Cum acta originalia dicantur apud priores iudices remansisse: Mandamus, quatenus ea cum omni diligentia requirentes, ipsa si potuerint inveniri: et si qua partes duxerint legitime proponenda, in scriptis redacta, ad nostram praesentiam remittatis. Alioquin cum non revocetur in dubium de contestatione litis... recipiatis partium probationes de novo: et audientes, si partes audire voluerint, de compositione tractatum: tam quod super hoc inveneritis, quam causam sufficienter instructam, ad nos remittere procuretis ».

Can. 1738 praescribit cum distinctione. *Peremptio exstinguit*, auferendo vim iudicialem, *acta processus*, « quae ad formam procedendi pertinent, ex. gr. citationes, intimationes, etc., (quamvis) scripto redacta », *non vero acta causae*, « quae meritum quaestionis recipiunt, ex gr.... cuiusque generis probationes » (can. 1642, § 1); *imo haec vim* pro eorum natura in primo iudicio acquisitam *habere possunt* a) *etiam in alia* propter novam litis contestationem *instantia*, *dummodo ea* b) *inter easdem personas*, etsi qualitas rei et actoris mutata, *et* c) *super eadem* re tanquam iudicii

obiecto *intercedat; sed ad extraneos*, etsi super eadem re, *quod attinet*, etiam in foro iudiciali *non aliam vim obtinent, nisi documentorum*, quae « publica ecclesiastica sunt » (can. 1813, § 1°. 3°), sed ad probandum, non velut factae probationes.

237. Alius eiusdem peremptionis effectus, qui semper adest, continetur in sequenti praescripto. *Can. 1739. In casu peremptionis* cuiuslibet, *quas quisque ex litigatoribus fecerit*, sive iam solverit sive nondum sint solutae, *has ipse ferat*, qualicumque ex motivo eveniat peremptio instantiae, et magnas vel parvas *expensas perempti iudicii*, sive ob acta iudicialia, sive ob patrocinium advocati, etc.

238. Actorum iudicialium renunciatio.— Quia in iudicio contentioso actor est qui promovit illud cum spe sui iuris persequendi efficaciter, iustitiae normam praesefert *can. 1740. § 1. In quolibet statu*, idest: post quoslibet actus *et gradu* inferiori vel appellationis, *iudicii potest actor* pro iure suo *instantiae renuntiare*, ab ea expresse desistendo; *item tum actor tum reus possunt* iure *processus actis*, nempe his, quae in actis constant, *renuntiare*, cedendo favorem inde renuncianti forsan eventurum, *sive omnibus* declaratis, *sive nonnullis tantum*, ita ut ceteri conservent vim suam pro sententia subsequenda.

Attamen cum tales actus pertineant ad hoc iudicium, et altera pars, sicut et iudex censere queunt eos valde proficuos meliori causae definitioni, statuit § 2. *Renunciatio* quaelibet ex dictis in § 1°, videlicet: tum instantiae, tum actorum omnium, vel nonnullorum tantum, *ut valeat* iuridicos obtinens effectus, a) *peragenda est in scriptis* id taxative continentibus, *et* b) *a parte* renuntiante, ut patet, *vel ab eius procuratore* adhuc legitimo, *speciali tamen* ad renunciationem expressam *mandato munito*, nam [1] « qui ad agendum et defendendum, ac generaliter ad omnia, etiam si mandatum exigant speciale, constituitur procurator: ex vi generalitatis huiusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet »; sic intellecta quoque ad casum reg. iuris 81 in 6°, Ab alterutro ergo ex dictis in canone *debet* illa renunciatio *subscribi*, c) *alteri parti communicari* equidem iudicialiter, ut constet alterutrum, nempe: d) *ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et* e) *a iudice admitti* per decretum, in quo haec omnia fuisse adimpleta laudabiliter inseritur.

239. Effectus renunciationis desumendos ex cann. 1738-1739 decernit *can. 1741. Admissa* « renunciatio » ex contextu, quod

[1] Cap. 4 « de procuratoribus » (I, 19) in 6°.

verbum innuit iudicis decretum esse postremum in renunciatione, *pro actis quibus renuntiatum est* iuxta illius diversitatem ex § 1° can.s 1740, a) *eosdem parit effectus* declaratos in can. 1738, *ac peremptio instantiae* « iure ipso obtinet »; *et obligat* praecise *renuntiantem ad solvendas expensas* singulorum *actorum* iudicialium, *quibus renuntiatum fuit.*

TITULUS IX.

De interrogationibus partibus in iudicio faciendis.

CAN. 1742. - § 1. Iudex ad eruendam veritatem facti quod publice interest ut extra dubium ponatur, debet partes interrogare.

§ 2. In aliis casibus potest unum ex contendentibus interrogare non solum ad istantiam alterius partis, sed etiam ex officio, quoties agitur de illustranda probatione adducta.

§ 3. Interrogatio partium fieri a iudice potest in quovis stadio iudicii ante conclusionem in causa; post conclusionem in causa servetur praescriptum can. 1861.

CAN. 1743. - § 1. Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso.

§ 2. Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facienda sic haec recusatio, utrum iusta sit, an confessioni aequiparanda, necne, iudicis est aestimare.

§ 3. Pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit mendax reperta fuerit, puniatur, ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem iusiurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur.

CAN. 1744. - Iusiurandum de veritate dicenda in causis criminalibus nequit iudex accusato deferre; in contentiosis, quoties bonum publicum in causa est, debet illud a partibus exigere; in aliis, potest pro sua prudentia.

CAN. 1745. - § 1. Tum actor tum reus invicem, tum etiam promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, seu quaesita, super quibus pars interrogetur, quaeque vulgo *positiones* dicuntur.

§ 2. In positionibus exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione serventur quae in can. 1773-1781 statutae sunt.

CAN. 1746. - Ad iusiurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter coram iudice se sistere debent, exceptis iis de quibus in can. 1770, § 2, nn. 1, 2.

240. Inscriptio tituli et ipsius canones. — Vidimus quod citatione legitime peracta: « Causa fit propria iudicis aut tribunalis » iure praeventionis, et « in iudice delegato firma redditur iurisdictio » vi can. 1725. Aliunde seu ex can. 1726 « obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione », et « lite contestata: iudex congruum tempus partibus praestituat (oportet) probationibus proponendis et explendis » ad normam can. 1731, 3°.

Valde expedit imo et iudici opus erit ad eruendam veritatem facti circa probationes aliqua sciscitari, et circa ea quae in factis consistunt nonnihil desiderare cognitum habere, quae ab ipsis partibus solummodo vel perfectius sciri possunt. Hinc necessitas interrogandi partes. « Pertinet autem ad debitum iustitiae quod aliquis obediat suo superiori in his ad quae ius praelationis se extendit. Iudex autem superior est respectu eius qui iudicatur. Et ideo ex debito tenetur iudici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam iuris exigit » [1]. Ut ergo hanc determinet Codex, subsequitur hoc in loco *Titulus IX* inscriptus *De interrogationibus partibus in iudicio faciendis.*

Potestatem iudicis de hac re moderatur can. 1742, cui additur can. 1743 de relativa partium obligatione respondendi, cui obligationi alia religionis addi posse decernit can. 1744. Interrogationes vero ita iudici reservantur, quod partes et alii suam ad hoc auctoritatem queant invocare. Haec ostendit can. 1745, dum alius can. 1746 statuit de obligatione partium se sistendi personaliter quoad praedicta.

241. Potestas iudicis ad interrogandas partes regitur praescripto *can. 1742.* Imo eidem obligationem imponit § *1. Iudex* singulariter vel praeses tribunalis praecise *ad eruendam* a) *veritatem facti* in se et quoad circumstantias, b) *quod publice interest*, ratione causae dilucidandae, v. gr. quia de validitate matrimonii aut sacrae ordinationis agitur, vel tituli beneficii saltem cum animarum cura, *ut extra dubium ponatur* in actis, iuxta quae sententia erit pronuntianda, *debet* vi huius canonis *partes* nempe: actorem aut reum pro casibus *interrogare* quae attinent praedictum factum.

Potestatem vero iudicis ampliorem esse ostendit § 2. *In aliis casibus* iudicii contentiosi *potest* supple iudex, (num debeat, infra videbimus), a) *unum ex contendentibus* actorem vel reum *interrogare* b) *non solum ad instantiam alterius partis*, quae supponitur posse fieri ac semper admitti, *sed etiam*, instantia illa forsan non praevia, *ex officio* quod gerit, attamen hoc ultimum *quoties agitur de illustranda* quoad sensum aut contentum *probatione adducta.*

Tempus legitimum ad has interrogationes non coarctari ad initium litis post eius contestationem, edocet § *3. Interrogatio partium*, quaelibet ex recensitis in hoc canone, *fieri a iudice* ut supra *potest* a) *in quovis stadio* seu parte *iudicii ante conclusionem in causa*, ad quam pervenitur aliquo ex modis, quos recenset

[1] D. Thomas, II[a]-II[ae] quaest. LXIX, art, 1. c.

can. 1860, § 2. « expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent », ac proinde ante stadium probatorium vel eo perdurante; *post conclusionem* vero *in causa* nunc nunc declaratam *servetur praescriptum can. 1861.* Videlicet: solum « si agitur de causis quae numquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt », et adhuc si « id decernat iudex » ad normam §[i] 2[i] memorati canonis.

242. Obligatio partium correlativa ad respondendum iudici determinantur statim. *Can. 1743, § 1. Iudici* sive unipersonali, sive Tribunalis praesidi *legitime* seu ad normam can.[s] praec.[s] *interroganti partes*, tum actor, tum reus interrogetur, a) *respondere* singulae *tenentur et* de facto quaesito b) *fateri veritatem* simpliciter, prouti eam cognoscit; cum exceptione *nisi agatur de delicto* proprie dicto ad normam can.[s] 2195, § 1, *ab ipsis* singulis, quae interrogetur, *commisso.* Unde iudex ecclesiasticus hoc exquirere non potest secundum ordinem iuris.

Sequitur norma sequenda erga partem suae obligationi non satisfacientem. § 2. *Si pars* ut supra *legitime interrogata* solum *respondere recuset* positive aut solummodo tacens, *quanti facienda sit haec recusatio*, nempe: a) *utrum iusta sit* propter rationes, quas habere prudenter praesumitur, et ob quas excusetur ab obligatione §[i] 1[i], b) *an confessioni aequiparanda* contra se ipsum, secundum reg. iuris 43 in 6° « Qui tacet, consentire videtur » c), *necne*, iuxta reg. 44 in 6° « Is qui tacet, non fatetur; sed nec utique negare videtur », *iudicis est* ius *aestimare.*

Addit sanctionem § 3, cuius praescriptum est proinde norma delictorum, quae a partibus in iudicio admitti possunt. *Pars*, actor vel reus, *quae respondere debet* secundum paragraphos praecedentes ex iudicis aestimatione, a) *si illegitime respondere recusaverit*, quod sufficiens erit, *aut* b) *si postquam responderit*, non fassa sit veritatem, imo *mendax reperta fuerit* eo quod loquuta fuerit contra id quod praesumitur vel constat scivisse, *puniatur*, ac « verbis praeceptivis utitur lex » (can. 2223, § 3), a) *ad tempus a iudice* ipso *pro rerum adiunctis definiendum* b) *remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis*, ita ut licite eos exercere nequeat, prout declaratum est in can. 2291, 8°; *et si ante responsionem*, sive praecesserit iam interrogatio sive antequam interrogaretur, *iusiurandum de veritate dicenda* pars « mendax reperta » *praestiterit*, ac proinde in iudicio peieraverit, a) *laicus* « puniatur » *interdicto personali*, videlicet: « ab ingressu ecclesiae », (can. 2291, 2°), cuius

effectus recenset can. 2277, b) *clericus suspensione*, prout est poena vindicativa ex can. 2298, 2°, *plectatur* propter crimen iam patratum. In hoc sequutus est legislator disciplinam in cap. 2 « de calumniatoribus » (V. 3) X sancitam ab Innoc. III sic rescribente: « Vobis mandantes, quatenus memoratum Magistrum scholarum, donec canonice suam purgaverit innocentiam, scilicet quod non calumniandi animo ad huiusmodi crimina proponenda processit, ab officio et beneficio suspendatis: ut ceteri simili poena perterriti ad infamiam suorum facile non prosiliant praelatorum ».

Notandum vero est clausulam canonis « ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum » subaudiendam esse in parte ubi reus plectitur « interdicto personali aut suspensione », quia sic interpretandae sunt poenae vindicativae iuxta citatos canones. Insuper ne clerici in minoribus constituti, si delinquant post iuramentum illud, poena eorum sit illusoria, censemus eos puniri posse « interdicto personali », sicut laici.

243. De iuramento a partibus emittendo adest in 6° Decretalium cap. 1 « de iuramento calumniae » (II, 4) huius tenoris: « Si de calumnia seu de veritate dicenda in primo litis exordio non iuretur, ut debet, poterit postmodum in qualibet parte litis iurari: cum huiusmodi iuramenta praestari ab initio de substantia ordinis iudiciarii non existat.

Propter omissum quoque tacite in tota causa calumniae iuramentum, iudicialis processus, alias factus legitime, non est nullus, nec etiam annullandus.

Quamvis in causis spiritualibus, in quibus de veritate dicenda iurari, canones non indicant alicui calumniae iuramentum: nos tamen quia frequenter calumniari videmus in ipsis, utile reputamus, quod simul sicut plerique observant, tam de veritate dicenda, quam de calumnia (ut via praecludatur calumniis) iurari debeat in eisdem ».

Cum igitur hoc iuramentum de calumnia, ut ait Glossa, « evitanda », subaudiatur in altero de veritate dicenda, bene praescribit solum de hoc, ad respondendum interrogationibus quod attinet, *can. 1744. Jusiurandum dè veritate* dum respondetur *dicenda* iuxta mentem partis a) *in causis criminalibus* nempe: « in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2°, 2°) *nequit iudex* licite nec valide *accusato deferre*, idest: expostulare; b) *in contentiosis*, videlicet: quoad « personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earundem personarum facta iuridica declaranda » (can. 1552, § 2, 1°), *quoties* initio litis vel in qualibet parte litis *bonum publicum in causa est*,

nempe interest ad illum bonum veritas eruenda, *debet*, tamquam custos illius boni ex officio, *illud* « iusiurandum » initio canonis declaratum *a partibus* responsuris *exigere;* c) *in aliis* causis « contentiosis », *potest* valide ac licite deferre ipsis « partibus » *pro sua prudentia*, quando ex circumstantiis censet necessarium aut non parum utile ad eruendam veritatem.

244. De articulis seu quaesitis proponendis agit *can. 1745.* § *1. Tum actor tum reus* in causis ergo contentiosis a) *invicem*, idest: ut respondeat altera pars, b) *tum etiam promotor iustitiae et* c) *defensor vinculi* matrimonialis vel sacrae ordinationis, hic in huiusmodi causis et alteruter quando causae intersit, *possunt* vi huius canonis *iudici* unipersonali vel collegiali *exhibere articulos*, eo quod « continere debent ordinate singula capita quaestionum super quibus petitur alteriusutrius partis adversae responsio » [1]. *seu* propter modum hanc expostulandi, *quaesita, super quibus pars interrogetur* a iudice seu tribunalis praeside, *quaeque vulgo* idest communiter apud canonistas et in usu fori iudicialis *positiones dicuntur*, eo quod ponitur a proponente veritatem facti, cum hac intentione « ut responsiones sint purae et simplices, ita ut, facta in articulis contenta et ab alia parte allegata, admittantur vel denegentur » [1].

Sic pariter decretum erat pro causis matrimonialibus [2]. « Quaelibet pars examini subiecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur ».

Quia hae positiones semper habent locum circa testes, subsequitur § 2. *In positionibus* supra dictis (§ 1°) a) *exarandis* quoad earum formam et substantiam, b) *admittendis* vel secus a iudice, *et* c) *parti* responsurae *proponendis regulae cum proportione* ob diversitatem partis ac testis in causa *servantur*, quia vi huius praescripti ad interrogationes huius Tituli extenduntur eaedem, *quae in can. 1773-1781 statutae sunt.* Quod etiam in Documentis citatis cautum erat.

245. Ad quid partes personaliter intersint cavet *can. 1746. Ad iusiurandum praestandum*, eo quod nova religionis obligatio assumitur, *vel interrogationibus respondendum*, quia de veritate facti iuxta propriam scientiam fateri debent *partes*, proinde tum

[1] Regulae servandae in iudiciis apud S. R. Rotae Tribunal, 4 Aug. 1910, §§ 138, 148. — [2] Instr. S. C. C. 22 Aug. 1840, § 18.

actor, tum reus, sive propria negotia gerat, sive ut repraesentans iure minorem vel personam moralem ad standum in iudicio, *personaliter coram iudice se sistere debent* praescripto huius canonis exprimente fallentiam regulae iuris 72: « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum ». Explicit canon hac praescripti limitatione: *exceptis iis de quibus in can. 1770, § 2, nn. 1, 2,* quae exceptio respicit non emissionem iuramenti per seipsos, sed quod « ii omnes (sub n. 1°) eligere ipsi possunt locum ubi (iuramentum praestent vel interrogationibus respondeant), de quo iudicem certiorem facere debent ». Qui vero ex n° 2° « tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt ».

TITULUS X.

De probationibus.

CAN. 1747. - Non indigent probatione:

1.° Facta notoria, ad normam can. 2197, n. 2, 3;

2.° Quae ab ipsa lege praesumuntur;

3.° Facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.

CAN. 1748. - § 1. Onus probandi incumbit ei qui asserit.

§ 2. Actore non probante, reus absolvitur.

CAN. 1749. - Probationes quae ad moras iudicio nectendas postulari videntur, ceu examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi non potest, iudex ne admittat, nisi hae probationes necessariae videantur quia ceterae deficiant aut satis non sint.

246. Inscriptio tituli et canones praeliminares. — Postquam iudex per interrogationes partibus propositas potuit eruere tum ea in quibus partes conveniunt, tum quae concedant, circa quaestionem adductam, libera proinde ab alia inquisitione, illi procedendum est ad recipiendas illas rationes, quas unaquaeque ex partibus putat pro se militare, ut lis solvatur in favorem ipsius. Indeque locum sibi expostulat *Titulus X. De probationibus.*

Hae non respiciunt textus legum nec istarum interpretationes, quae ad summum allegari queunt. Etenim iudex est tali scientia peritus ac eidem competit ius ad casum interpretari. Indiget solum cognoscere ex actis facta secundum rei veritatem, ut his factis applicando ius, possit pervenire ad sententiam, qua vere dicat ius inter partes, vel rite declaret iuridicum factum, vel delicto vere patrato aptet convenientem sanctionem.

Tritum est iudiciale axioma « quod non est in actis, non est in mundo », ex quo sequitur apud iudicem esse adducenda illa

argumenta, quae de factis veritatem patefaciant, et hoc interest partibus, vel in iudicio criminali promotori iustitiae.

Denique oportet probationes afferendas connumerari sub aliqua earum specie, quae a iure canonico admittuntur, atque talibus vestiri conditionibus, quas pro singula specie canones requirunt, quae duo exprimuntur dicendo quod illa argumenta debent esse secundum leges.

Iuxta dicta deffinitiones probationum sequentes acceptamus: « Facti dubii et controversi legitima argumenta, per quae illum extitisse iudici partes ostendunt »; seu probatio est « actus iudicialis quo partes per argumenta idonea et a lege admissa fidem iudici faciunt de re inter ipsas controversa » [1].

Probationum divisiones praecipuae videntur sequentes. Videlicet: sunt aliqua argumenta, quae ante iudicium controversiam excludunt, quia evincunt aliquod factum secundum legales dispositiones, v. gr. instrumenta publica, ita ut earum allegatio in iudicio sufficiat ad fidem faciendam et dicuntur probationes *factae* seu *constitutae;* alia vero sunt argumenta, quae solum in iudicio peraguntur ad sortiendum praefatum effectum, v. gr. probatio per testes, quae ut talis non praeexistit iudicio, et vocantur probationes *faciendae* seu *constituendae.*

Inter probationes inveniemus secundum vim earum distinctionem factam per canones, ita ut dicantur plenam vim habere, aut semiplenam, aut vim indiciorum seu adiumentorum. Haec vis diversitas respectum habet ad effectum eis tribuendum a iudice in ordine ad eius mentem quoad factum probandum. Probatio enim plena est accipienda velut sufficiens, quod tribui nequit uni probationi semiplenae sed tantum duabus huiusmodi. Denique iuvant solum, quae indiciorum vi praeditae sunt.

Antequam de singulis probationum speciebus Codex decernat, praeliminares canones de more affert, et sunt tres, quibus determinatur: num sint facta, quae probari non indigent in iudicio, ita ut illorum allegatio sufficiat, quod docet can. 1747, ad quem pertineat uniuscuiusque facti probationem afferre, sicut explicat can. 1748: et quale sit officium iudicis ad respuendas probationes, quae a partibus forsan expetantur vel proponantur perficiendae.

247. Facta in iudicio simpliciter admittenda implicite asserit *can. 1747* aiens: *Non indigent probatione*: *1° Facta notoria* iuxta regulam iuris 31 in 6°; « Eum, qui certus est, certiorari ulterius

[1] P. Noval. Comm. Cod. I. C. n. 439.

non oportet ». Equidem in iudicio proposita secum ferunt evidentiam, dummodo vere sint notoria, scilicet: *ad normam can. 2197, nn. 2, 3.* Animadvertendum est ibidem agi de delictis, et haec distingui in notoria notorietate iuris et notoria notorietate facti. Ergo si agitur de illis, accipiantur secundum definitionem in tali canone declaratam. Aptare tamen oportet illud praescriptum ad facta personarum iuridice declaranda, vel ad facta, quae afferuntur in iuribus persequendis aut vindicandis, quae habent locum in iudicio contentioso. Facta ergo huiusmodi habeantur ut notoria sufficienter, quando a) vel fuerunt declarata per sententiam iudicis quae in rem iudicatam transierit, b) vel post confessionem partis adversae in iudicio factam ad normam can. 1750, c) vel si publice notum sit factum, qua tale, et simul in talibus adiunctis positum, ut quoad requisitas iure conditiones nulla tergiversatione celari aut reiici possit.

Enuntiantur 2° in canone facta *Quae ab ipsa lege praesumuntur*, sed in casu praesumptionis iuris simpliciter, manebunt firma illa facta solum, usquequo infirmentur per probationem tum directam tum indirectam propter can. 1823.

3° Quaecumque *facta ab uno ex contendentibus*, proinde in iudicio *asserta et ab altero* pariter contendente *admissa*, « non indigent probatione », cum de illis quaestio non sit ex consequenti. Sed possunt motiva adesse, quae secundum iudicis mentem exposcant facti veritatem stabilire aut id ipsum a bono communi requiri: eapropter addit canon hanc limitationem: *nisi a iure* communi scripto *vel a iudice* huius causae *nihilominus exigatur* secundum prudens ipsius arbitrium, cui parendum est, sicut et legi forsan urgenti in casu.

248. De obligatione probandi coram iudice normas indubias tradit *can. 1748* referens iuris axiomata in toto antiquo iure innixa et communiter ab Auctoribus admissa et explicata cum applicatione frequenti. § *1. Onus probandi* iuxta inscriptionem tituli *incumbit ei qui* factum *asserit.* Non enim assertionibus sed probationibus legitimis est deferendum a iudice, cuius est urgere implementum illius oneris.

§ *2. Actore*, qui proinde sponte venit in iudicium, *non probante* suum intentum, cum deficiat unum ex fundamentis ad sententiam proferendam, quae in factis simul ac in iure innititur, *reus*, idest conventus in iudicio contentioso vel criminali *absolvitur* ab instantia litis, quin positive innocens asseratur vel ius in re habere dicatur.

249. Quae probationes et quando non sunt admittendae. — Conc. Trid. generaliter decernens, ait [1]: « Admonet dehinc S. Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant; ac litigatorum artibus seu in litis contestatione, seu alia parte iudicii differenda, modis omnibus aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurrant ». In specie vero Clem. V [2] idipsum decernit loquens de causis, in quibus « simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii procedi mandatur ». Ibidem dicitur: « ut iudex... litem quantum poterit faciat breviorem,... testium superfluam multitudinem refrenando. Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur ».

Hoc criterio informatur *can. 1749* sic praescribens. *Probationes* ad inscriptionem declaratas, *quae ad moras iudicio* seu discussioni coram iudice *nectendas* potiusquam ad controversiae elucidationem *postulari videntur*, tum in seipsis consideratae, tum ex earum circumstantiis, sicut innuunt exempla, quae sequuntur: *ceu examen* a) *testis longe dissiti*, cuius proinde testimonium, etsi requisitum a tribunali domicilii testis, longiori tempore expectandum esset, b) *aut cuius* « testis » *domicilium nescitur*, *vel* c) *cognitio* a tribunali sumenda *documenti* forsan utilis ad causam et certo existentis, sed *quod cito haberi non potest* eo modo, quo tribunali est offerendum, *iudex ne admittat*, veluti prohibitio habens illas solas exceptiones, quas iudicii natura exposcit, nempe: *nisi hae probationes*, quae moratoriae ex uno aspectu, *necessariae videantur quia ceterae* seu aliae probationes adductae vel adducendae a) *deficiant* idest: non adsint *aut* b) ad definitionem causae *satis non sint.*

250. Distributio Tituli in Capita. — Probationes, ut supra dictum est, ad hoc tendunt, ut facta fiant certa, quae praesupponuntur vel ad iura statuenda singula vel qua delicta ut poena mulctentur a iudice saltem per declarationem. Facta vero externa sensibus percipiuntur in sepsis vel in aliis consectariis ac circumstantiis, quae fundamentum praebent magis vel minus firmum ad praedicta facta rationabiliter admittenda. Porro in can. 16 § 2 statuitur: « Ignorantia vel error... circa factum proprium... generatim non praesumitur », immo et partes potuerunt ut plurimum facta, quae ipsas attingebant, optime novisse. Hinc sequitur confessionem partis de aliquo facto sibi non favorabili vel ab alia parte asserto admitti secure ad controversiam inter eas solvendum, qua-

[1] Sess. XXV, cap. 10. — [2] Cap. « Saepe contingit », tit. II. Lib. V in Clem.

propter can. 1747 n. 3° edixit quod haec « facta non indigent probatione » alia.

Insuper ex divino eloquio [1] novimus regulae iustitiam: « in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum », et hinc exurgit aliud genus probationum, quae sunt aliquando necessariae omnino de factis plene praeteritis, atque semper afferri queunt circa quaecumque facta ab illis testibus percepta.

Facta vero principaliter probanda ut plurimum, quamvis transeant in seipsis, relinquunt eorum vestigia, vel ex omnibus circumstantis praesertim temporis et loci, in quibus posita fuerunt, queunt argumentari. Cum vero peritis in arte credendum sit, horum testimonium singularis momenti erit, quandocumque tum in iudicio contentioso, tum in iudicio criminali locum habere possit.

Ratione quoque supradicta connexionis vestigiorum ac circumstantiarum cum facto probando commendatur aliud medium ad illud factum iudici monstrandum, quod accessus iudicialis audit.

Haec omnia testimonia tunc fiunt, quando evolvitur iudicium, sed in qualibet societate hominum de actibus inter homines eorumque factis documenta confici consueverunt. Ut vero haec fidem faciant in futurum, leges et ss. canones statuerunt quasdam formalitates servandas, ut veritati assertorum in eisdem documentis consultum sit. Proinde documenta ita confecta eo magis ad probandum secumferunt vim, quo magis redigentes eadem vel partem habentes fuerunt tunc temporis alieni a voluntate fallendi ob supervenientes circumstantias, quae tempore iudicii existunt.

Denique dicente Apostolo Paulo [2]: « omnis controversiae hominum finis ad confirmationem est iuramentum », non poterat Ecclesia in iudiciis praetermittere istud probationis medium, eo quod ex una parte illa exercentur inter fideles, qui revereri censentur nomen Domini, atque timorem iudiciorum eius concipere ex fide, dum ex altera parte quandoque veritas factorum elucere nequit nisi tali adhibita confirmatione; vel hac postrema de causa recurrendo ad ea quae moraliter, seu ut in pluribus inter homines in circumstantiis controversiae eveniunt.

Ex dictis patet nullum probationis genus fuisse omissum in enumeratione capitum. Facta enim percepta sunt aliquo sensuum, vel eorum, quorum intersunt illa, et hinc *Caput I. De confessione partium*, vel aliorum, qui directe per seipsos vel ex praesentium relatione cognoverunt facta, unde *Caput II* agit: *De testibus et attestationibus*. Quandocumque vero factum est patefaciendum sal-

[1] Deuteronomii, XIX, 15. — [2] Ad Hebraeos. VI, 16.

tem in eius qualitatibus iure necessariis pro controversiae definitione, dum in seipso transiit sed sequelam reliquit, aut concomitans locus vel alia cum facto connexa sunt agnita, et ex his ad illud factum illatio obtineri potest, vel ope peritorum, quia eis deferre oportet, ac proinde *Caput III* est *De peritis*, vel per inspectionem loci aliorumque cum facto connexorum, quod innuit *Caput IV. De accessu et recognitione iudiciali.* Praeter has probationes a personis obtentas, dum hae vivunt, aliae non minus efficaces peti queunt, et illas complectitur *Caput V*, dum inscribitur: *De probatione per instrumenta.* Eae autem probationes, quae subsidium praestant ad eruendam facti veritatem, et quandoque in necessarium supplementum pro iusta causae decisione, sunt expressae, quando *Caput VI* inscribitur *De praesumptionibus*, et *Caput VII. De iureiurando.*

CAPUT I.

De confessione partium.

CAN. 1750. - Assertio de aliquo facto, in scriptis aut oretenus ab una parte contra se et pro adversario coram iudice, sive sponte, sive iudice interrogante peracta, dicitur confessio iudicialis.

CAN. 1751. - Si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio iudicialis unius partis, dummodo libere et considerate facta, relevat alteram ab onere probandi.

CAN. 1752. - Pars, aliquid confessa in iudicio, non potest contra confessionem suam venire, nisi aut in continenti hoc faciat, aut probet confessionem ipsam vel carere conditionibus in can. 1750 expressis vel errori facti esse adscribendam.

CAN. 1753. - Confessio sive scriptis, sive oretenus, ipsimet adversario aut aliis extra iudicium facta, dicitur extraiudicialis; eaque in iudicium deducta, iudicis est, perpensis omnibus rerum adiunctis, aestimare quanti facienda sit.

251. Inscriptio Capitis ordoque canonum. — *Caput I* tractat de illa, quae dicitur « optima probationum », seu *De confessione*, quae est « asseveratio facti proprii vel cui interfuit asserens cum favore vel nocumento », et ex consequenti potest iudicem optime edocere de tali facto. Additur: *partium*, quia in ordine ad controversiam confessio sub hoc capite consideratur, non praecise quia partes qua tales vel coram iudice confessionem emittant. Hanc enim distinguunt canones iam ab antiquo in iudicialem et extraiudicialem. De illa sunt canon 1750 enuncians definitionem, 1751 statuens effectum ipsius iuridicum et can. 1752 firmitatem huius probationis determinat, dum can. 1753 unicus respicit confessionem extraiudicialem.

252. Notio confessionis iudicialis. — Definitionem admissam communiter sic tradit authentice *can. 1750. Assertio* equidem positiva, seu prout opponitur negationi, *de aliquo facto* intelligendo, ut inscriptione dictum est de confessione illius, etiamsi factum respiciat legem v. gr. huius promulgatio, seu affixio, atque intelligatur factum sive principale in controversia, sive secundarium in causa, disiunctive *in scriptis*, nam Honorius III ait [1]: « Sed si causam propter quam huiusmodi scriptura processerit, expresseris in eadem, (huiusmodi) confessioni tuae statur », *aut orctenus*, quia vim eamdem ac convictioni iudiciali tribuit Alex. III in simoniae casu aiens [2]: « aut exinde confessi fuerunt in iure, vel legitime convicti, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi », *ab una parte* sic vocata propter iudicium contentiosum aut criminale, sive actor sit sive reus, dummodo a) *contra se*, seu quod confitenti noceat in iure, *et* simul b) *pro adversario*, seu quod huius intento v. gr. promotoris iustitiae faveat, c) *coram iudice*, idest proprium exercente officium in causa, *sive sponte*, quatenus opponitur sequentibus verbis, *sive iudice interrogante peracta*, dicitur in Codice, in foro iudiciali, sicut et in usu interpretum *confessio iudicialis*, veluti facta in iudicio atque pars eiusdem.

253. Effectus iuridicus talis confessionis statim affertur, veluti exceptio § 1 can.s 1748. En textus: *Can. 1751. Si agatur de negotio aliquo privato*, eo quod intersit solum ipsi confitenti, sive iudicium sit contentiosum, v. gr. circa renunciationem, sicut respondit Clemens III in Decretali 6 « de renunciatione » (1, 9) X: « Quia tamen praeter ista (de sententia per iudices prolata) constitit de ipsius renunciatione spontanea per quasdam episcoporum litteras et confessionem ipsius, nos ei super eadem abbatia silentium duximus imponendum »; sive iudicium sit criminale. Legitur enim in cap. 15 « de accusationibus ... » (V, 1) X quod « Veniens ad sedem Apostolicam A. Pragen. canonicus contra Pragen. episcopum inter alia proposuit coram nobis (Alexandro III), quod cum esset filius sacerdotis, in ecclesia fuerat Pragen. intrusus, ... et infra ... fuit ex adverso responsum, quod cum olim super hoc ad Magdeburgen. Archiepiscopum litterae fuerint impetratae: idem A in obiectorum se videns probatione deficere, ad pedes eius se humiliter prosternens, veniam postulavit: et quod adversus eum calumniose processerat, est confessus. Ceterum cum super hoc, mandato stare eiusdem archiepiscopi iuravisset:

[1] Cap. 14 « de fide instrumentorum » (II, 22). — [2] Cap. 11 « de simonia » (V, 3).

ipse praecepit eidem, sub debito praestiti iuramenti, ut contra eundem episcopum de cetero proponere talia non auderet ». Quod resolutione sua confirmat idem Summus Pontifex. — Verumtamen, *et* in omni casu necesse est, ut *in causa non sit*, nempe: periclitetur ex confessionis falsitate *bonum publicum*, quod accidere posse in causis matrimonialibus ostendit cap. 5 « de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae » (IV, 13) X.

Illis duobus coniunctim conditionibus, *confessio iudicialis* ut est definita *unius partis*, *dummodo* specialis conditio accedat: seu *libere*, idest absente metu aut coactione *et considerate*, hoc eruendum ex circumstantiis, quae arguant mentis pacatum usum, *facta*, *relevat alteram* partem, forsan promotorem iustitiae, seu defensorem vinculi, *ab onere probandi* factum assertum, ita ut quandoque sufficiat, ut ad sententiam definitivam deveniatur.

254. Firmitas confessionis iudicialis ad probandum factum tuetur *can. 1752* sub quibusdam rationabilibus limitationibus. Ad rem facit cap. 3 « de confessis » (II, 18) X. Greg. IX ait: « Ex parte abbatis et conventus monasterii sancti M. fuit propositum, quod cum inter ipsos ex parte una et V. nomine uxoris suae ex altera, coram te quaestio verteretur, oeconomus monasterii memorati quaedam per errorem facti fuit in iure confessus; ex quibus timet sibi praeiudicium generari. Cum igitur negotio nondum finito, nemini noceat error facti; Mandamus, quatenus si de huiusmodi potuerit errore docere, provideas ut nullum sibi super hoc praeiudicium generetur ».

Praeter hoc motivum in fine ponendum, alia duo continentur in canonis praescripto, ex quibus confessus poterit suam impugnare confessionem iudicialem. Videlicet. *Pars* alterutra, *aliquid* facti *confessa in iudicio* ad normam can.s 1750, *non potest* iure *contra confessionem suam venire*, vel praecipue retractando ipsam assertionem, vel probationem in contrarium producendo, vel etiam per actum, qui falsitatem confessionis argueret, *nisi* a) *aut in continenti hoc faciat*, nempe: revocare assertionem suam, tunc enim rationabiliter argui potest inconsideratio in confessione, b) *aut probet confessionem suam* de qua supra, disiunctive *vel carere conditionibus*, propter defectum unius saltem cuiuslibet ex his *in can. 1750 expressis*, *vel errori facti esse* confessionem *adscribendam*, sicut vidimus in Decretali Greg. IX. De probatione alterutra intelligatur clausula Decretalis « negotio nondum finito » per sententiam, quae iam impugnari nequeat saltem iudicialiter.

255. De confessione extraiudiciali est unicus *can. 1753* primo referens illius notionem et postea statuens de vi eiusdem, si in iudicium deducatur. *Confessio* iuxta explicationem sub inscriptione datam, *sive scriptis*, *sive oretenus*, unde quoad medium nihil refert, sicuti de testimoniis illius, an *ipsimet adversario* sic dicto propter iudicium confessioni subsequens, et in cuius favorem proinde, *aut aliis*, ipsi forsan iudici qua privato, adversario praesente aut absente *extra iudicium* futurum vel nunc agitatum, *facta*, idest: per verba scriptumve ad hos vel illum directa, *dicitur* in Codice, in foro ecclesiastico et ab Auctoribus *extraiudicialis*: atque prosequitur canon de vi huius confessionis: *eaque in iudicium* seu in huius actis *deducta*, quae supponitur vere extitisse et coram iudice probatum esse actum confessionis, tunc adhuc *iudicis est*, seu ad ipsum solum pertinet, *perpensis omnibus rerum* nempe: agitatae causae, temporis, occasionis pro illa emittenda confessione, personae cui facta fuit *adiunctis*, *aestimare* prudenti sui iudicio, *quanti facienda sit* ad patefaciendum factum, de quo est illa assertio, nec etiam admissa transit in confessionem iudicialem.

Quapropter eidem applicari nequit canon 1752, nisi aliquando quod « errori facti sit adscribenda ».

CAPUT II.

De testibus et attestationibus.

CAN. 1754. - Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur, sub iudicis tamen moderatione, secundum modum praefinitum in canonibus qui sequuntur.

CAN. 1755. - § 1. Testes iudici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent.

§ 2. Salvo praescripto can. 1757, § 3. n. 2, ab hac obligatione eximuntur:

1.° Parochi aliique sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia:

2.° Qui ex testificatione sua sibi vel consanguineis vel affinibus in quolibet gradu lineae collateralis, infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.

§ 3. Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniantur ad normam can. 1743, § 3; eademque poena mulctentur omnes, qui testem vel peritum donis, pollicitationibus aut alio quovis modo inducere praesumpserint ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam.

256. Inscriptio capitis et canones praeambuli. — Glossa Rubricae tit. Decretalium XX « de testibus et attestationibus » haec habet, quae nunc etiam valent, « Rubricae huius continuatio patet

ex continuatione facta in praecedenti titulo » (De probationibus). « Vel magis specifice sic: Supra visum est de probationibus in genere: merito ut magis claresceret, subiicit de speciebus, quia quandoque probatur per testes, quandoque per instrumenta, per praesumptiones et per iusiurandum: ideo de his omnibus tractat in sequentibus, et quia probatio, quae fit per testes, est efficacior aliis, cum fiat viva voce, ideo praemittit tractatum de testibus, et postea subnectit de aliis speciebus ».

Testis est: « persona, quae fidem facit de aliquo facto ». Eiusdem tales asseverationes prolatae coram eo, cui fides facienda est, et subscriptae a teste, vocantur attestationes. Hae possunt esse extraiudiciales, v. gr. de contractu hic et nunc inito, qui, si testamentum est, testes vocantur testamentarii, vel iudiciales, quae in iudicio et legitime fiunt. De his attestationibus agitur in hoc capite, ut patet.

Porro ut fides concilietur dictis alicuius personae, omnino requiritur in hac cognitio facti de quo testimonium quaeritur, et testis probitas saltem, quae mendacium excludat secundum mores hominum. Ut ergo adsint hae duae conditiones omnino necessariae, ut iudex tuta conscientia veritatem facti ei necessariam noscat, multae dantur leges, quae in sequentes articulos distributae sunt.

Praemittuntur vero duo canones, nempe: can. 1754 de admittenda probatione huiusmodi, prout hactenus semper in iure canonico, quod imitatur ius divinum supra expressum, atque can. 1755 accurate exponens testium obligationes erga interrogantem iudicem.

257. Legitimitas probationis per testes. — In l. 15 Cod. De fide instr. ait Contino: « in exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumentorum quam depositiones testium ». Atque ius Decretalium has connumerat aliis probationibus quoad omnia iudicia, dum sic loquitur Honorius III in cap. 13 « de probationibus » (II, 19) X: « Cum causam, quae inter Colubrien. et Egitan, episc. super suarum limitatione dioecesum vertitur, vobis duximus committendam: Mandamus, quatenus secundum divisiones quae per libros antiquos, vel alio modo melius probabuntur, necnon et testes, famam, et quaecumque alia adminicula, in negotio procedatis ».

Quidquid ergo aliter senserit schola Bononiensis circa medietatem saeculi XV, vel etiam teneant civiles Codices, *can. 1754* sic praescribit equidem iuste. *Probatio* iudicialis ob inscriptionem Partis huius et ex contextu canonis *per testes*, unus enim non sufficit sed duo saltem contestes, seu idem omnino asse-

rentes sunt necessarii, *in quibuslibet causis* ecclesiasticis, sive in iudicio contentioso, sive in iudicio criminali eae agitentur, *admittitur* ab Ecclesia, a) *sub iudicis tamen moderatione*, cui proinde defertur canonum applicatio prudens, salva tamen clausula: b) *secundum modum praefinitum*, quatenus hic iudicatur a legislatore servandum ad iustitiae securitatem ab homine reddendae ac inter homines reddendam, *in canonibus* omnibus, *qui sequuntur* sub hoc capite atque a iudice quoque observandi.

258. Testium obligatio statim exponitur atque iustis limitibus circumscribitur. *Can. 1755* tradit primo generalem normam. § *1. Testes* sic dicti propterea quod in iudicium vocati fuerunt ad probandum factum, *iudici legitime* idest: iuxta ss. canones *interroganti*, nam illi facere fidem debent, a) *respondere*, ita ut solum propter taciturnitatem fiant inobedientes, *et* b) *veritatem* de facto inquisito, seu interrogationi congruentem *fateri debent*, cui opponitur tergiversatio quaelibet atque aequivocatio vel restrictio in verborum significatione.

Huic regulae consonant cap.[a] Decretalium sub tit. « de testibus cogendis vel non (II, 21) X. Sic enim legitur v. gr. in cap. 3: « Consultationi tuae taliter respondemus, quod si factum est notorium non eget testium depositionibus declarari, cum talia probationem vel ordinem iudiciarium non requirant ». Et hoc edicitur in can. 1747, 1°. « Verum si non est notorium, et is qui convenitur, factum negaverit, testes qui interfuerunt facto, monendi sunt, non cogendi ad ferendum testimonium veritati. Nisi forte timore adversae partis constiterit iudici, eos a ferendo testimonio revocari. Licet ad hoc passim possint de iuris humani rigore compelli ». In eiusdem tituli capitibus, sive agatur de causa civili, sicut in cap. 1, sive super consanguinitate probanda, ut in cap. 6, sive de fama electi, ut in cap. 8, sive in iudicio etiam criminali, prout continent capita 9 et 11, semper respondetur: « quod testes, (si se gratia, odio vel timore subtraxerint) per censuram ecclesiasticam cogatis, veritati testimonium perhibere ».

§ 2 obligationem praefatam circumscribit sequenti modo. *Salvo praescripto can. 1757*, § 3, *n.* 2, quod respicit notitiam diversimode habitam « ex confessione sacramentali vel occasione confessionis », de qua Sacerdotes repelluntur a limine tribunalis « ut incapaces testimonii ferendi », et hoc in loco fuerunt memorandi propter canonis contextum loquentis quoad « manifestata extra sacramentalem confessionem »; *ab hac* §[i] 1[i] *obligatione* seu respondendi « iudici etiam legitime (iuxta conscientiam suam) interroganti » *eximuntur*:

1°. *Parochi* sensu canonis 451 § 2, idest: « quasi-parochi etiam et vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti », imo *aliique sacerdotes*, quamvis nullo officio ecclesiastico potiti, eo quod « labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius » (Malac. II, 7) etiam in praxi sequenda, *quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii*, non solum stricto sensu divini cultus vel administrationis sacramentorum et sacramentalium, sed etiam obtinendi consilium in spiritualibus, seu casibus conscientiae, *extra sacramentalem confessionem*, quia huius causa est aliud praescriptum infra exponendum; a) *civitatum* seu civilium communitatum publici *magistratus* cuiuscumque ordinis sint, politici, iudiciarii, politiae, administrationis temporalium, b) *medici* propter titulum, sive communiter, sive privatim artem suam exerceant, c) *obstetrices*, quibus facile contingere potest exemptio, d) *advocati* propter muneris exercitium etsi extra forum, e) *notarii* ecclesiasticae vel civilis societatis, tum iudiciales, tum extraiudiciales, imo hi omnes sunt enunciati, quia certe « tenentur ad secretum » de quo statim, atque additur in genere: f) *aliique* omnes viri ac mulieres baptizati vel non *qui* motivo quolibet v. gr. muneris in campsoria societate aut industriali *ad secretum officii* suscepti tum cum iuramento, tum ex quasi-contractu, *etiam ratione praestiti consilii* ad quod dandum propter illud non obligarentur, *tenentur*, ratione secreti huiusmodi, quod in humana societate est summi momenti, ait canon: *quod attinet ad negotia* seu facta *huic secreto obnoxia*. Et cum hoc sit iuris naturalis manet fulcitum ecclesiastica lege.

2°. « Eximuntur ab obligatione » hoc in canone expressa *qui ex testificatione sua* iudiciali ratione ipsius attestationis vel ex prava voluntate aliorum a) *sibi vel* b) *consanguineis* eo quod a communi stipite procedunt *vel* c) *affinibus* quia matrimonio iunctis testis consanguineo, non omnibus sed ob proximam naturalem amicitiam impedientem matrimonium, nempe *in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis*, quae lineae et gradus explicati manent ad can. 96, 97, a) *infamiam* facti, scilicet: quando « ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles et probos amissio » induceretur ex tali manifestatione, b) *periculosas vexationes*, idest: molestias graves cum periculo gravis mali, c) *aliave mala* quoad bona patrimonalia, officium, sanitatem vel vitam etc. *valde gravia*, quasi extra ordinem *obventura timent* cum prudenti iudicio. Haec exemptio iam invenitur in cap. 3 « de testibus cogendis vel non » (II, 21) X: « Nisi forte timore adversae partis constiterit iudici, eos a ferendo

testimonio revocari ». Minora vero mala praedictis non excusant ab obedientia testis iudici debita.

Ne igitur vana evadat multis in casibus auctoritas iudicis respectu testium, statim subditur § 3 continens poenam determinatam quidem, sed ferendae sententiae ac verbis praeceptivis expressam, quae ceteroquin iam in simili casu fuit sancita, videlicet: *Testes* quilibet a) *iudici legitime interroganti*, prout haec clausula fuit declarata in canonis huius initio, *scienter*, quod verbum non expostulat applicationem praescripti sub §° canonis 2229, non enim agitur de poena latae sententiae, sed innuit deliberationem intellectus circa id quod sequitur: a) *falsum affirmantes* contra obligationem « veritatem fatendi », b) *aut verum occultantes*, sive non respondendo sive tergiversando etc. *puniantur* auctoritate iudicis statim ac illud constet, *ad normam can. 1743*, § 3; ubi agitur de « parte quae respondere debet », et huic obligationi non paret, nempe: « ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum remotione ab actibus legitimis ecclesiasticis; et si ante responsionem iusiurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur »: quae punitio ibidem manet declarata.

Prosequitur vero canon praesens vestigia sequens Decretalium in capps. 2 et 4 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X: *eademque poena mulctentur omnes*, congruenter praescripto canonis 2209, § 3, quia « non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem incurrunt », *qui testem vel peritum*, de cuius munere infra *donis* ante attestationem collatis, *pollicitationibus* futurorum attestatione conferendorum munerum a manu, a lingua, ab obsequio, *aut alio quovis modo* sed efficaci ex seipso *inducere praesumpserint*, quod verbum indigitat intentionem deliberatam disiunctive *ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam*. Inductio praefata puniri potest etiamsi posita fuerit sine effectu inobedientiae in teste vel perito, quamvis mitior poena infligenda esset. Est enim « delictum » in suo genere perfectum secundum proprietatem verborum legis.

259. Distributio capitis in articulos septem fit, prudentibus regulis praescriptis, per quas sic testium selectioni ac veracitati providetur humano modo, ut fides super attestationes ipsorum fundata sit omnino secura. Et primo, attentis substantialibus testis qualitatibus diversae dantur normae pro negotiorum ac personarum diversitate, unde *Art. 1.* inscribitur *Qui testes esse possint*. Hi autem cum faciant iudiciales probationes proprio testimonio, pertinet ad partes eos adducere atque ad iudicem illas moderari

ac perpendere undequaque, et hinc *Art. II* providet *A quibus, quomodo, et quot testes induci et qui excludi possint.* Ecclesia vero memor sententiae: (ad Rom. III, 4) « Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax », ut attestationum sinceritati prospiciat, fidelibus imponit iuramento corroborare testimonium, unde *Art. III* sequitur *De iureiurando testium.* Cum deponant testes de factis a iudice cognoscendis, modum servandum in iudicio statuit *Art. IV. De testium examine.* Ex hoc profluunt probationes cognoscendae a parte contraria, quae poterit fortassis eas apud iudicem prudentem infirmare, quapropter subiungitur *Art. V. De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione.* Cavendum autem fuit ne exinde damnum patiantur testes, atque huius timore aliqui retraherentur a vero ferendo testimonio. Neque defuit legislator in hac parte, eo quod sequatur *Art. VI. De indemnitate testium.* Qualis denique vis probandi his omnibus servatis eruatur, *Art. VII* edicit inscriptus *De testimoniorum fide.*

ART. I. — *Qui testes esse possint.*

CAN. 1756. - Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.

CAN. 1757. - § 1. Ut non idonei repelluntur a testimonio ferendo impuberes et mente debiles.

§ 2. Ut suspecti:

1.° Excommunicati, periuri, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam;

2.° Qui ita abiectis sunt moribus ut fide digni non habeantur;

3.° Publici gravesque partis inimici.

§ 3. Ut incapaces:

1.° Qui partes sunt in causa, aut partium vice funguntur, veluti tutor in causa pupilli, Superior aut administrator in causa suae communitatis aut piae causae, cuius nomine in iudicio consistit, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;

2.° Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint: imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt;

3.° Coniux in causa sui coniugis, consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis, in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut religiosum personae spectant, cuius notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur.

CAN. 1758. - Non idonei et suspecti audiri poterunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaretur; sed eorum testimonium valebit tantummodo ut indicium et probationis adminiculum, et generatim iniurati audiantur.

260. Inscriptio articuli eiusque canones. — Cap. 1 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X haec habet ex Conc. Matercen.: « Placuit sancto conventui, ut testes non conducantur pretio et ut quicumque idonei et fideles in testimonium assumantur »... Quae posterior clausula sic exponitur a Glossa: « Idoneus reputabitur,

ex quo per aliquam exceptionem non repellitur: quia quilibet praesumitur idoneus, nisi probetur contrarium; et edictum de testibus prohibitorium est, ut quilibet admittatur, qui non repellitur ».

Huiusmodi principium edicit can. 1756, cui adnectitur statim can. 1757 enumerans iuris prohibitiones quae generatim observandae sunt et in quolibet causarum genere, atque tali severitate, ut exceptionis vim debiliorem asserat can. 1758.

261. Testes iudiciales in genere nosci possunt ex regula, quam *can. 1756* dat iuri citato conformem. *Omnes*, unde « infideles » contra Decretalium ius admittuntur, *possunt esse testes* equidem apud ecclesiastica tribunalia, *nisi* seu exceptis illis tantum, qui a) *expresse* sicut in can. sequenti b) *a iure*, hinc non potest iudex proprio arbitrio quemque a testimonio ferendo arcere, c) *repellantur*, quod dupliciter statui potest; nempe: a) *vel in totum* seu qualibet in causa, b) *vel ex parte* ratione partium aut obiecti attestationis.

262. Iuris prohibitiones quoad testes recenset *can. 1757* triplici sub paragrapho adhibens distinctionem testium § *1*. Iam alias diximus duas in teste necessarias esse conditiones: scientiam nempe facti et fidelitatem in attestatione, quarum prima a sanis intellectu et sensibus, altera vero ex moribus seu bona voluntate pendet. Propterea: *Ut non idonei* propter naturalem rationis defectum *repelluntur* canonis praescripto *a testimonio ferendo* circa factum, quod ipsi fortassis noverunt, a) *impuberes*, dum tales sunt, videlicet: « si masculus, infra decimumquartum, si femina infra duodecimum annum completum » (can. 88, § 3), censentur enim firmo rationis iudicio nondum pollere, nec posse testimonii pondus perfecte noscere, hinc minime attenditur perceptio facti qua talis, quae frequentius in externis circumstantiis claritate non fraudatur; quae interpretatio non omnino aptatur sequentibus, qui sic exprimuntur *et* b) *mente debiles*, qui proinde recte dum sunt et de rebus, quas sic perceperunt « non idonei » censeantur.

§ *2*. *Ut suspecti* de veracitatis defectu propter ipsorum mores aut delicta « repelluntur a testimonio » ut supra:

1°. *Excommunicati* actu, quia contumaces in delicto censentur, b) *periurii* tam in iudicio, quam extra iudicium, secundum reg. iuris 8 in 6°: « Semel malus, semper praesumitur malus », et in casu praesumptio est contra veracitatem illius, c) *infames* nempe: « iuris », eo quod de his, additur: *post sententiam declaratoriam* huiusmodi poenae incursae *vel condemnatoriam* delicti, quod talem habet adiunctam infamiam. Haec postrema clausula, uti manet declarata subintelligitur afficere quoque praescriptum

de excommunicatis et periuris, nam patet legislatorem voluisse testes suspectos facile noscendos esse, alias suspicionem huiusmodi constitueret facile causam subtilius discutiendam. Ipsa constructio grammaticalis seiungens clausulam virgula a praecedentibus interpretationem datam confirmat.

2°. *Qui ita abiectis sunt moribus*, et sufficit quidem « apud fideles probos et graves », *ut fide digni non habeantur*. Nec sufficeret infamia facti, si ad illum gradum defectus fidelitatis pertingeret.

3°. *Publici* propter divulgationem *gravesque* propter huius gravitatis odium *partis* alterutrius, sed praesertim adversus quam producuntur, *inimici*. Quae suspicionis causa evidens est.

§ 3. Quamvis non desit aliquibus tum facti attestandi perfecta scientia, tum bona fideliter loquendi voluntas certo nota, legislator ecclesiasticus respiciens ad licitas et naturales hominis inclinationes atque ad sanctitatem sigilli sacramentalis undequaque sanciendum, *Ut incapaces*, idest: iure positivo, quod innititur superiori iuri divino, repelluntur a valido testimonio ferendo apud forum externum iudiciale:

1°. *Qui partes sunt in causa*, eo quod iura ipsorum atque obligationes in eadem tractantur qua iudicii obiectum, *aut partium*, principalis « actoris reive » *vice funguntur*, quales sunt certo procuratores, exprimuntur vero sicut exemplum illi, quibus hoc munus imponitur iure, *veluti tutor in causa pupilli* vi can.s 1648, § 1, a) *Superior* ratione canonis 1653, §§ 3 et 6 *aut* b) *administrator* vi can. 1649 et 1653 §§ 1, 2, *in causa* contentiosa a) *suae communitatis* v. gr. Capituli canonicorum, familiae religiosae *aut* b) *piae causae* v. gr. hospitalis, *cuius* alterutrius *nomine* respective *in iudicio* velut pars *consistit*, c) *iudex*, tam unicus quam unusquisque in tribunali collegiali d) *eiusve assistentes*, quales sunt promotor iustitiae, actuarius, etc. e) *advocatus aliique qui*, etsi officium advocati non adimpleant, *partibus* uni vel alteri *in eadem causa* (nec incapaces proinde sunt ad testificandum in alia causa) *assistunt* habitualiter *vel astiterunt*, quamvis legitime desierint munus illud;

2°. *Sacerdotes*, qua ministri sacramenti poenitentiae, proinde *quod attinet ad ea omnia* testificanda *quae ipsis ex confessione* vere *sacramentali innotuerunt*, quin repellantur circa eadem sibi aliunde visu vel auditu cognita, circa illa vero ex confessione *etsi a vinculo sigilli* ob liberam atque spontaneam etiam publicam poenitentis concessionem *soluti sint* taxative ad munus testificandi, vel generaliter; *imo audita a quovis*, etsi non sacerdote, *et quoquo modo*, v. gr. casu, ex propinquitate ad confessionale, ex aequivo-

catione involuntaria confessarii, multo magis « audita » a sacerdote *occasione confessionis*, quamvis sub sigillo sacramentali non venirent, *ne ut indicium quidem veritatis* attestationum aliunde prodeuntium, *recipi possunt* in iudicio, non aliter ac si non essent in mundo.

3°. *Coniux in causa sui coniugis*, sive pro ipso, sive contra ipsum afferatur qua testis, a) *consanguineus* sic dictus propter communem stipitem alterius cum eo vel ex mutuo descensu per generationem *et* b) *affinis*, qui sic appellatur respectu coniuncti matrimonio cum illius consanguinea persona, *in causa* contentiosa vel criminali *consanguinei* illius sub a), *vel affinis* illius supra expressi littera b), sed quoad consanguinitatem atque affinitatem, quae inter incapacem testificandi et partem in tali causa debeant intercedere, animadvertatur comma sequens: a) *in quolibet gradu lineae rectae* consanguinitatis in se vel in affinitate subintellectae, *et* b) *in primo* aequali *gradu collateralis* lineae, quae manent declarata ad can. 96 et 97, sed quoad has personas sub n. 3° tantum expressas, sequuntur causarum exceptio, sub duabus tamen conditionibus, videlicet: *nisi agatur de causis* equidem contentiosis, eo quod sic determinantur *quae ad statum civilem*, v. gr. matrimonialem, libertatis, etc. *aut religiosum*, non solum stricto sensu, sed ut opponitur statui civili, v. gr. clericalem, sacerdotalem, *personae*, quae ex tali statu sortitur iura et obligationes, quae *spectant* uti obiectum illae causae, a) *cuius* status obtenti *notitia* quoad factum eiusque circumstantias, quibus praedictus status innititur *aliunde* v. gr. instrumentis, aliis testibus, etc. *haberi nequeat*, idest: ex probationum defectu ad decidendum, *et* b) *bonum publicum*, sicut in causis matrimonialibus de vinculo, in ordinatione sacerdotali, in causa haeresis, *exigat ut* praedicta « notitia » *habeatur* in foro iudiciali.

263. Quando, quomodo et cum quo effectu admittantur ad ferendum testimonium prohibiti canone praecedenti, statuit *can. 1758*, cuius praescripto confirmatur interpretatio distinctionis data inter non idoneos et suspectos ex una parte atque incapaces ex altera. Huius praescripti praeformatio habetur in sequentibus Decretalium textibus.

Alex. IV in 6° Decretalium (V, 2) cap. 5 ait: « In fidei favorem, concedimus ut in negotio Inquisitionis haereticae pravitatis, excommunicati... ad testimonium admittantur: Praesertim in probationum aliarum defectum contra haereticos, credentes...: si ex verisimilibus coniecturis, et ex numero testium, aut personarum tam deponentium, quam eorum contra quos deponitur, qualitate,

ac aliis circumstantiis sic testificantes falsa non dicere praesumantur ».

Idem etiam in cap. 8 eiusdem tit.[1] in 6° ait: « Licet vero periuri a testimonio etiam post poenitentiam repellantur; si tamen ii qui coram inquisitoribus iurantes tam de se quam de aliis super facto haeresis dicere veritatem, eam celando deierent, et postmodum velint corrigere dictum suum, contra se ac alios suos complices deponendo: cum crimen huiusmodi sit exceptum; si ex manifestis indiciis apparuerit tales non animi levitate, aut odii fomite, seu corruptione pecuniae: sed zelo fidei orthodoxae dictum suum velle corrigere, ac modo quae prius tacuerant, revelare: in favorem fidei, nisi aliud obsistat, stari debet tam contra se, quam contra reliquos attestationibus eorumdem ».

Denique Innoc. III sic arguit in cap. 22 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « licet adversus abbatem non debuerint conspiratores admitti, iuramenta tamen ipsorum de veritate dicenda super statu ipsius recipi potuerunt: ut per ipsorum dicta, super aliis fides possit haberi, quae abbatem minime contingebant: praesertim cum tunc probatum non esset, eos conspiratores fuisse ».

His consonans statuit canon: *Non idonei* testes *et suspecti*, quos omnes recensuit can. 1757 sub §§ 1 et 2, et ii solummodo *audiri poterunt*, non obstante iuris praefati repulsa, a) *ex decreto iudicis* de unoquoque huiusmodi teste, b) *quo id* nempe: « audiri » *expedire declaratur*, quae declaratio debet esse innixa prudenti probabilitate; vis tamen talium attestationum in ecclesiastico iudicio definitur sequentibus verbis: *sed* a) *eorum* singulorum *testimonium valebit* in causa *tantummodo ut indicium* veritatis facti *et probationis* aliunde petendae *adminiculum* eandem corroborans, *et* b) *generatim*, quod innuit exceptionem admitti sequentis praescripti *iniurati audiantur*, cum regula sit « testis iniuratus fidem non facit apud iudicem ». Valor innititur praefatae prudenti probabilitati, omissio iuramenti est praescripta, ne deierationi ansam praestet canon.

ART. II. — *A quibus, quomodo, et quot testes induci, et qui excludi possint.*

CAN. 1759. - § 1. Testes a partibus inducuntur.

§ 2. Possunt quoque induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id ad causam intersit.

§ 3. Sed ipse iudex, quoties agatur de minoribus aliisve qui minoribus aequiparantur, et generatim quoties publicum bonum id exigat, potest testes ex officio inducere.

§ 4. Pars, quae testem induxit, potest eius examini renunciare; sed adversarius postulare potest

ut, hac non obstante renuntiatione, testis examini subiiciatur.

Can. 1760. - § 1. Si quis sponte compareat testimonii reddendi gratia, iudex poterit eius testimonium admittere vel repellere prout expedire censuerit.

§ 2. Debet autem testem, qui se sponte obtulerit, repellere cum comparere sibi videatur moras iudicio nectendi causa vel iustitiae et veritati quoquo modo officiendi.

Can. 1761. - § 1. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunali indicentur; praeterea exhibeantur positiones seu articuli argumentorum super quibus testes sint interrogandi.

§ 2. Si ne intra diem quidem peremptorium a iudice praestitutum, obtemperatum fuerit, postulatio deserta censetur.

Can. 1762. - Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi.

Can. 1763. - Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testificationum publicationem.

Can. 1764. - § 1. Testes debent ex officio excludi, si iudici liquido constet eos a testimonio ferendo prohiberi, salvo praescripto can. 1758.

§ 2. Ast etiam, postulante adversario, testes excludendi sunt, si iusta exclusionis causa demonstretur, quae exclusio dicitur *reprobatio personae testis*.

§ 3. Pars nequit reprobare personam testis quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit, quamvis possit eius dicta reprobare.

§ 4. Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerunt, nec postea facta admittatur, nisi a parte demonstretur vel saltem iuramento affirmetur defectum testis antea sibi notum non fuisse.

§ 5. Iudex autem reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stet praesumptio iuris, aut defectus sit notorius vel statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat.

Can. 1765. - Citatio testium fit ministerio iudicis, decreto interveniente, et intimanda est testibus ad normam can. 1715-1723.

Can. 1766. - § 1. Testis rite citatus parere debet aut causam suae absentiae iudici notam facere.

§ 2. Testis inobediens, qui nempe sine legitima causa non comparuit, aut, etsi comparuit, renuit respondere vel iusiurandum praestare vel attestationi subscribere, a iudice potest congruis poenis coerceri et insuper mulctari pro rata damni quod ex eius inobedientia partibus obveniat.

264. Inscriptio articuli et canones sub eo. — Eo quod attestationes sint probationes in iudicio, et quando hoc est contentiosum « onus probandi incumbit ei qui asserit » (can. 1748, § 1) seu parti alterutri, sequitur *Art. II* exponens modum per testes probandi ex parte contendentium, propter quod sic incipit illius inscriptio: *A quibus, quomodo*, subsequentibus moderatione, quam adhibere iudicis est, et alterius partis iure se opponendi, et hinc prosequitur inscriptio: *et quot testes induci, et qui* testes ex inductis *excludi possint*.

Inscriptionis enunciationi respondet canonum ordinatio. Quoad inducentes sunt can. 1759, 1760, de modo inducendi testes est unicus can. 1761, sicut etiam solus can. 1762 de multitudine testium;

exclusionem econtra respiciunt can. 1763, 1764. Demum habentur duo can. 1765, 1766 qui observandi sunt praevie ad attestationes tum ex parte iudicis tum ex parte introductorum testium, qui non sint cum effectu exclusi.

265. A quibus testes induci possint, idest: a iudice expostuletur audiri, nos edocet *can. 1759* sic praescribens. § *1. Testes a partibus* singulis, seu tum ab actore tum a reo in contentiosis quibuslibet, etiamsi hae matrimoniales sint, tum a reo in causis criminalibus ad sui defensionem, *inducuntur.* Et palam est, quia hoc est afferre probationes.

Constat ex iure Decretalium. Etenim Lucius III Cistren. Episcopo [1] respondet: « Ad quod scire debes, quod iudicium finium regundorum tale est, ut in eo utraque persona vices duorum habeat, videlicet actoris et rei: Unde hincinde testes produci possunt ad cognitionem iudicis instruendam: quibus examinatis iudex quos praecellere intellexerit, ad fidem sibi faciendam admittat ». Innoc. vero III in cap. 46 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X sic decernit: « Mandamus quatenus partibus ad locum idoneum convocatis, recipiatis testes, quos vel nobilis ipsa pro se, vel princeps pro parte sua (cum nondum testificata didicerit) super processu Pragensis Episcopi (qui divortii sententiam promulgavit) vel posteriorum iudicum duxerint producendos: et nobilis ipsa (pro se) vel testes, quos prius induxit, vel alios si voluerit inducere non vetetur, cum non renuntiaverit testibus producendis ».

§ *2. Possunt quoque* vi huius canonis « testes » *induci* seu proponi iudici *a promotore iustitiae* « pro causis, tum contentiosis in quibus bonum publicum, Ordinarii iudicio, in discrimen vocari potest, tum criminalibus » (can. 1586), *et defensori vinculi* « pro causis, in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii » (can. cit.), *si id* nempe: talis inductio *ad causam* iudicio uniuscuiusque eorum, *intersit.* Hoc praescriptum designat in hac re ius promotoris iustitiae in genere expressum sub can. 1587, § 2, et concordat can.[1] 1969 dicenti: « Defensori vinculi ius esto:... 3° Petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto et publicato ».

§ *3* incipiens *Sed ipse iudex*, propter coniunctionem adversativam innuit sequens praescriptum aliquo modo derogare alteri, nempe: « probationes... iudex ne suppleat » (can. 1619, § 1), et ob verbum « ipse » supponit extendere ad iudicem quoque, seu cumulative cum promotore iustitiae atque defensore vinculi facul-

[1] Cap. 3 « de probationibus » (II, 19) X.

tatem: *quoties agatur*, etiam in negotio quod privatorum solummodo interest, attamen ratione partis, videlicet: a) *de minoribus* hoc est: « infra vicesimum primum aetatis annum » (can. 88, § 1), b) *aliisve qui minoribus aequiparantur*, v. gr. « personae morales sive collegiales sive non collegiales » (can. 100 § 3), « quotquot usu rationis sunt habitu destituti » (can. 88, § 3), *et generatim* c) *quoties publicum bonum id exigat*, sicut accidit « in causis impotentiae vel inconsummationis » (can. 1975, § 1), in causis de validitate baptismi atque ordinationis sacerdotalis, contractus matrimonialis cum impedimento publico, *potest* iudex *testes ex officio*, vel quin pars vel alii expostulent hoc ipsum, *inducere*, idest in iudicium vocare.

Huiusmodi praxis invenitur in Decretalium iure. Sic enim ait Alex. III in cap. 18 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X: « Ideoque iniungimus ut si testimonium eorum publicatum non est: nec est abrenunciatum testibus: eos qui sunt iuramento adstricti (quod testimonium, consilium, et auxilium contra unam partem non praeberent alteri), et alios, (si necesse fuerit) idoneos, in testimonium recipere non postponas ». Atque idem Summus Pontifex in cap. 2 « de testibus cogendis vel non » (II, 21) X inquit: « Cum super causa, quae vertitur inter Praenestinum episcopum et Sublacen, abbatem, sit testimonium vestrum necessarium: Mandamus quatenus perhibituri testimonium veritati apostolico vos conspectui praesentetis ».

Denique cum testis inductio sit partis ius peculiare, decernit § 4. *Pars*, actor vel reus, *quae testem* aliquem *induxit*, *potest* pro iure suo *eius examini*, per quod efformatur probatio iudicialis, *renunciare*, ita ut iudex teneatur a tali examine abstinere vi can.s 1619 § 1 antea citati; *sed adversarius* renunciantis in eadem causa, *postulare potest*, et iudex accedere debet, *ut*, *hac non obstante renunciatione*, quae fortassis ex praevisione adversi testimonii proficiscitur, *testis* ille *examini subiiciatur*.

266. Testis qui ultro se offert considerandus est, nam potest non comprehendi inter eos, qui « repelluntur a testimonio ferendo » in can. 1757. In hac ergo hypothesi est intelligendus *can. 1760. Si quis sponte*, seu non inductus *comparcat* apud tribunal *testimonii reddendi gratia*, sive in causa privatorum, sive in causa quae boni communis intersit, *iudex poterit eius* testis ultronei *testimonium* ferendum *admittere* idest: examini talem subiicere testem, *vel repellere* a reddendo testimonio, non pro suo arbitrio, sed *prout expedire* causae *censuerit*, audiendo ex gr. motivum, quod eum

induxit se offerendi, circumstantias ipsius testis erga causam vel partes, etc.

Imo limitationem eiusdem potestatis in iudice statuit § 2. *Debet autem testem* quemlibet, ut supra, *qui se sponte obtulerit*, et qua talem *repellere* ut manet declaratum, *cum comparere* ultronee *sibi videatur* ex praedicto examine praevio seu aliunde, a) *moras* necessarias examini *iudicio nectendi causa*, *vel* b) *iustitiae* per sententiam dicendae *et veritati* factorum a iudice cognoscendae *quoquo modo*, v. gr. dubias reddendo alias probationes, *officiendi*.

267. Modus legitimus testes inducendi. — Testium inductionem explicat *can. 1761*, dum sic incipit § *1. Cum probatio* facienda *per testes* apud tribunal *postulatur* ab eis, quibus hoc competit iuxta §§ 1 et 2 canonis praecedentis, *eorum* testium a) *nomina*, quibus singuli a quibuslibet aliis personis discernantur, *et* b) *domicilium* acquisitum ad normam can. 92 §§ 1 et 3, 93, et non amissum vi can. 95, et ad religiosos quod attinet, domum de cuius familia sunt, *indicentur* iudici simul cum postulatione: *praeterea* in admissionis hypothesi *exhibeantur* ita ut in actis constent *positiones* ad can. 1745 explicatas atque interpretatio sequitur: *seu articuli argumentorum*, idest: assertiones ad causae probationem utiles, *super quibus testes* inducti *sunt interrogandi* iudicio eos inducentis.

Transacto tempore convenienti ad praefatam exhibitionem, urget § 2. *Si ne intra diem quidem*, vel prius, *peremptorium*, idest: ut limitem decisivum, *a iudice praestitutum*, quod proinde iudex statuat, si opus sit, *obtemperatum* (supple: non) *fuerit* ab inducente testes, *postulatio* in canonis initio dicta *deserta* ab eodem *censetur* vi huius canonis, adversus quam praesumptionem admittitur probatio.

268. Officium iudicis ad moderandam testium inductionem, tradit *can. 1672*, statuens, *Iudici* unipersonali vel praesidi tribunalis collegialis *ius*, cui parendum est, *et obligatio est*, quam ille servare debet, *nimiam* respectu ad causam *multitudinem testium* inductam *refrenandi*, prohibitione vel denegata admissione. Etenim ut dicitur in Clem. « Saepe contingit » 2 « de verborum significatione » (V, 11): « iudex, cui taliter causam committimus, (ut simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii procedat),... litem, quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones... repellendo:... testiumque superfluam multitudinem refraenando. Non sic tamen iudex litem abbreviet, quin probationes necessariae et defensiones legitimae admittantur ». Quae Clementina dat optimam interpretationem canonis, cuius verba etiam in Decretalibus inve-

nire licet. Nam in cap. 36 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X mandatur ab Innoc. III sic: « (nisi forte iudices quartam productionem (testium) negaverint, pro eo quod voluerint effrenatam multitudinem testium refraenare) vos ad quartam productionem (adhibita solemnitate legali) admittatis eosdem », et in cap. 37 eiusdem tituli inquit: « Volentes autem effraenatam multitudinem testium refraenari: volumus, ut hinc inde quadragenarium numerum testium excedere non permittas », numerus certe nimius in quibuslibet causis, ac proinde minor quoque limes in quibusdam iudiciis attendendus est.

269. Necessaria testium notificatio alteri parti adversus quam testes producuntur, decernitur in *can. 1763. Partes*, ratione controversiae iudicialis, vel iudicii criminalis, *debent sibi invicem nota facere testium* productorum et admissorum *nomina*, quibus probe discernantur personae, *antequam eorum* omnium vel singulorum, qui superinducantur, *examen inchoetur*, sed cum hac exceptione: *aut, si id*, nempe notificatio praefata, *prudenti iudicis existimatione*, quae in actis exprimenda esset, *fieri sine gravi difficultate*, quaecumque illa sit, et undecumque oriatur, *nequeat*, quo in casu praescriptum canonis adimpleatur *saltem ante testificationum* admissarum *publicationem* ut infra faciendam.

Rationem praescripti sumamus ex cap. 24 « de accusationibus... etc. » (V, 1) X: « Debet igitur esse praesens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit: et exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, et a quo sit dictum appareat, publicanda: necnon exceptiones et replicationes legitimae admittendae, ne propter suppressionem nominum, infamandi, propter exceptionum vero exclusionem deponendi falsum, audacia praebeatur ».

270. De testis exclusione ac reprobatione agit consequenter *can. 1764*. Et primo ex parte iudicis attendendus est § *1. Testes*, sive inducti, sive ultronei, *debent*, et est iudicis obligatio *ex officio*, quo tenetur canonum observantiam in tribunali urgere, *excludi*, seu non admitti adducti, sub hac tamen conditione: *si iudici liquido* idest: absque prudenti dubio probabili *constet* qualitercumque, sed cum ratione, quae ostendi possit, *eos* « testes » *a testimonio ferendo* vi alicuius ex paragraphis canonis 1757 *prohiberi; secus* ergo etiam in dubio nequeunt excludi, unde constituitur ius testium inductorum tanquam de genere permissorum, *salvo*, uti

exceptione canonis huius, *praescripto can. 1758*, quod viget tantum de non idoneis, aut suspectis testibus.

Adiungit § 2. *Ast etiam, postulante* coram tribunali *adversario* in causa ei personae, quae induxit, *testes excludendi sunt*, sub conditione: *si iusta* pro hoc iudicio, quamvis can. 1757 non expressa, *exclusionis causa* seu motivum *demonstretur* ipsi iudici a postulante supradicto, et *quae* « *exclusio* testis petita in iudicio a parte adversa inducenti illum » *dicitur* in Codice, in foro, et ab Auctoribus *reprobatio personae testis* diversa a reprobatione testimonii illius, de qua infra in art. V.

Exempla de iustis causis reprobandi testem referuntur in Decretalibus. Sic ait Coelestinus III in cap. 1 « de exceptionibus » (II, 25) X: « Si crimina testibus obiiciuntur, de quibus non fuerant hactenus accusati, sed tantum per exceptionem opponuntur, probatio illorum criminum exhibenda est, antequam causa per sententiam terminetur: cum (sicut canonica instituta declarant) testes absque ulla infamia, vel suspicione, vel manifesta macula, in ferendo testimonio requirantur.

Quod si sola crimina de quibus ab alio tempore convicti vel confessi fuerunt, testibus obiiciuntur, a testimonio repelli possunt: quia sicut Stephanus Papa et alii Pontifices multi Romani testantur, non est credendum contra alios eorum confessioni, nisi prius se probaverint innocentes... Sufficit ergo si a perhibendo testimonio repellantur, praesertim ubi crimen, quod eis obiicitur, causam de qua agitur, contingere non videtur ».

Gregorius autem IX [1] sic distinguit: « Testimonium eius cui ab adversa parte opponitur crimen, merito reprobatur in criminali causa, sive civili, si in ipso crimine perseveret. Si vero sit de crimine emendatus, et eum non comitetur infamia, non est in causa civili, vel etiam cum de crimine civiliter agitur (praeterquam pro reatu periurii) repellendus. In criminali autem si in alio iudicio, instituta accusatione contra ipsum, de crimine convictus extitit, vel confessus: vel si nunc per exceptionem exinde convincatur: aut gravata sit eius opinio pro eo quod quandoque fuit tali modo repulsus, quamvis in hoc casu non excluderetur in causa civili, potest a testimonio (licet egerit poenitentiam) removeri ».

Ut vero partes considerate procedant inducendo testes, cavet § 3. *Pars* alterutra *nequit* iure *reprobare*, quod manet declaratum in § 2, *personam testis quem ipsa* pro iure suo *induxit* legitime; sed quia rationale debet esse praescriptum, adiungitur exceptio:

[1] Cap. 54 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X.

nisi nova, seu prius non existens, *reprobationis causa* seu motivum *supervenerit*, *quamvis* etiam deficiente hac conditione *possit* vi huius canonis *eius* inducti a se testis *dicta reprobare* per probandas exclusiones eorum.

In cap. 31 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X ita loquitur Innoc. III: « Praesentium auctoritate statuimus, ut si quis post depositiones testium publicatas, obiicere voluerit in personas eorum, ei tunc tandem id liceat, cum iuramento firmaverit, quod ad hoc ex malitia non procedat: Nisi forsan ante publicationem id fuerit protestatus: Vel ostendere poterit, quod post publicationem didicerit, quod obiicit in personas. Caeterum cum quis personas testium se velle post publicationem depositionum repellere, fuerit protestatus, si quid pro ipso dixerint, de facili non credatur.

Huius textus menti concordans, statuit § *4. Reprobatio testis* in § 2 declarata *fieri debet* per adversarii postulationem propositam *intra triduum* ad normam can. 34, § 3, n. 3° computandum *postquam testium* inductorum *nomina cum parte*, adversus quam adductus fuit, *communicata fuerunt*, sicut praescriptum est can. 1763, *nec postea* i. e. post « triduum », etiamsi adhuc non fuerit examinatus, *facta admittatur* in iudicio ad examen subeundum, *nisi*, hac sola exceptione admissa quocumque posteriori tempore, ut in Decretalium textibus, *a parte* inducente testem *demonstretur* probationibus liquido monstrantibus, *vel saltem iuramento affirmetur*, et hoc ultimum ob Dei reverentiam, *defectum testis* propter quem reprobat ipsius personam *antea sibi notum non fuisse*, quando testem debuit reprobare ad normam canonis.

De reprobatione testium per iudicem, quo tempore sit facienda, edicit § 5. Norma generalis est: *Judex autem*, coram quo reprobatur persona testis, *reprobationis discussionem* et consequentis exclusionis vel admissionis *in finem litis* ante sententiam et conclusionem in causa *reservet*, nam forsitan inveniet superfluam illius attestationem, et iuxta cap. 1 « de exceptionibus », (II, 25) X, in quo ait Celestinus PP. III: « Si crimina testibus obiiciuntur, de quibus non fuerant hactenus accusati, sed tantum per exceptionem opponuntur, probatio illorum criminum exhibenda est, antequam causa per sententiam terminetur: cum (sicut canonica instituta declarant) testes absque ulla infamia, vel suspicione, vel manifesta macula, in ferendo testimonio requirantur ».

Regula supra dicta plures habet exceptiones, quas ita canon recenset: *nisi* a) *contra testem stet praesumptio iuris* ad repulsionem eius sufficiens, *aut* b) *defectus* obiectus *sit notorius*, proinde

non indigens probatione, ut ait can. 1747, 1°, *vel* c) *statim ac facile probari possit*, quia ut dilationes vitentur, fuit statuta regula, *vel* d) *postea probari nequeat*, dum propter talem defectum manentem repelli deberet testis.

271. De citatione testium est *can. 1765. Citatio testium* « ut in iudicium compareant » [1] a) *fit ministerio* idest: auctoritate seu ex officio *iudicis* qua « Moderatoris actorum », *decreto* ipsius *interveniente*, idest « iudicis pronuntiatione » huiusmodi (can. 1868, § 2), sed non sunt in illo inserendae « rationes quibus innititur » (can. 1840, § 3), *et* b) *intimanda est* eadem *testibus ad normam can. 1715-1723*, qui dati sunt « de citatione et denunciatione actorum iudicialium ». Etenim [1] « ea omnia (inter quae recensetur « partes et testes citare ») scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda ».

272. Obligationes citati testis firmat enumerando *can. 1766.* Alex. III sic respondet Papien. electo: « Ideoque mandamus, quatenus testes ab alterutra partium in suae assertionis testimonium invocatos, ne veritatem occultent, diligentius moneas et inducas. Si autem odio, vel gratia, vel timore se subtrahant, eos ad ferendum testimonium coram praefatis iudicibus, vel eorum nuncio, quem ad hoc miserint, ecclesiastica districtione compellas ». Illa veritatis occultatio multiplici modo fieri potest, ut palam est, atque in §° 2° huius canonis patebit.

Idem etiam Pontifex Genuen. Archiepiscopo hanc tradit normam: « Verum si non est notorium (factum), et is qui convenitur, factum negaverit, testes qui interfuerunt facto, monendi sunt, non cogendi ad ferendum testimonium veritati... Licet ad hoc passim possint de iuris humani rigore compelli ». Quae compellendi facultas implicat iubendi illud auctoritatem.

Inde § *1* praescribit. *Testis*, seu « ad ferendum testimonium » *rite* idest: iuxta canones praecedentes *citatus* quotiescumque fuerit, a) *parere* iudici, nempe coram eo se sistere ac testimonium requisitum ferre *debet*, *aut* b) *causam suae absentiae*, seu qua proportionata excusetur ab obedientia *iudici* propter auctoritatem huius, *notam facere* debet modo sibi beneviso. Proindeque, nisi evidens sit iudicem in citando commisisse abusum propriae auctoritatis, canon est observandus.

§ 2. Ob iudicis auctoritatem publicam vocatur *Testis inobediens*, atque enumerantur modi, *qui nempe* « rite citatus », nam subditur: *sine legitima causa*, quae respicit defectum legalem in

[1] Instr. S. C. de Prop. Fide: 1883, n. 9; Collectanea S. C. de P. F. n. 1587.

citatione vel motivum ab obedientia excusans, a) *non comparuit*, ergo ad implendum §[i] 1[1] praescriptum in conscientia obligatur testis, *aut* b), *etsi comparuit*, *renuit*, peccans igitur a) *respondere* legitime interrogatus a iudice vel a delegato ad hoc per ipsum, b) *vel iusiurandum* de quo infra *praestare*, quando iuxta canones sequentis articuli teneatur, *vel* c) *attestationi* fideliter ab actuario conscriptae *subscribere*, dum potest ac obligatur, *a iudice potest* a) *congruis poenis*, quae iuxta Decretalium capita ad suspensionem et excommunicationem se extendit in casibus, *coerceri* pro illius inobedientia, *et insuper* b) *mulctari* ad satisfaciendum pecunia *pro rata damni*, idest: quantum testi prudenter imputari queat damnum, *quod ex eius inobedientia*, v. gr. quia desunt alii testes, vel cum expensis maioribus hi alii inducantur, *partibus*, sive inducenti eum, sive adversariae *obveniat*.

Art. III. — *De iureiurando testium.*

Can. 1767. - § 1. Testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare debet de tota ac sola veritate dicenda, salvo praescripto can. 1758.

§ 2. Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt, salvo praescripto can. 1763.

§ 3. Testibus, si de iure partium mere privato agatur, poterit iusiurandum, utraque parte consentiente, remitti.

§ 4. Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi.

Can. 1768. - Testes, tametsi iusiurandum praestiterint de veritate dicenda, poterunt nihilominus pro prudenti iudicis arbitrio, absoluto examine, adigi ad iusiurandum de *veritate dictorum* sive circa omnes positionum articulos sive circa aliquos tantum, quoties gravitas negotii et editae testificationis adiuncta id postulare videantur.

Can. 1769. - Testes adigi etiam iureiurando possunt ad secretum servandum circa propositas interrogationes dataque interrogationibus responsa, usque dum acta et allegata publici iuris fiant; imo etiam perpetuo ad normam can. 1623, § 3.

273. Inscriptio articuli eiusque canones.— Deinde considerandа est efformatio probationum per testes. Cuius securitati provident leges in fidelibus per testimonium maius quo eorum dicta confirmentur, ut veritas eruatur necessaria. Huiusmodi est iuramentum, cuius necessitatem statuit can. 1767, exprimens simul eiusdem circumstantias et suppressionem licitam. Econtra duplicatum iuramentum quando liceat, edicit can. 1768, dum can. 1769 extensionem obiecti ad quod imponi possit iusiurandum, decernit.

274. De necessitate iurandi a testibus plene statuit *can. 1767* secundum Decretalium ius sic decernens [1]: « receptis prius ab

[1] Cap. 17 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X.

ipsis, secundum formam recipiendorum testium iuramentis ». Haec forma in eodem iure [1] sic exprimitur: « Quoties aliqui propter cognationem propinquitatis separari petuntur: duobus vel tribus testibus adhibitis, qui de eadem consanguinitate supersint: vel totidem senioribus, et melioribus loci eiusdem, id debet legitime comprobari. Probatio autem testium debet fieri duplici iuramento, ut iurent se non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo quod habuerint, vel quod habent, vel quod habituri sunt, ad hoc iurandum inductos: et sicut ipsi dicunt, rei veritatem accepisse a maioribus suis; et credere ita esse ».

Haec propter causae naturam sic exposita, brevius ac generaliter implicat § *1. Testis* a quolibet inductus, *antequam* in iudicio *testimonium*, quod sit probatio, *edat*, modo legali aut consueto, si desit ille, *iusiurandum*, « idest invocationem Nominis divini in testem veritatis » (can. 1316, § 1), *praestare debet* vi huius canonis et ob rationem sub inscriptione adductam, *de tota*, quae interrogationi iudicis satisfaciat, nihil occultando etiam per amphibologiam, *ac sola*, quia nihil falsitatis admiscebit, quolibet ex affectu alterutrum fieret, *veritate* facti *dicenda*. Subiungitur exceptio: *salvo praescripto can. 1758*, videlicet: quod testes « non idonei et suspecti... generatim iniurati audiantur » propter motivum ibi adductum.

Pro maiori iurisiurandi solemnitate atque adversariorum vel quorum intersit satisfactioni, praescribit § 2. *Partes*, tam quae induxit testem, quam non expostulans ipsum, *earumve*, nempe: utriusque partis *procuratores*, qui extent, *praestationi iurisiurandi testium* coram iudice vel huius delegato et actuario, *assistere possunt*, quae proinde sunt certiorandae de die et hora praestitutis. Additurque exceptio citato canoni congruens: *salvo praescripto can. 1763*, quando nempe « nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, ... prudenti iudicis existimatione sine gravi difficultate nequeat ».

In cap. 39 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X ait Innoc. III Bisuntino Archiepiscopo: « Monachi vero de suis fratribus ac conversis, testes in causis propriis producere absque iuramenti exhibitione non possunt: nisi forte a parte remittatur adversa ». Quam sententiam sic generalem normam vertit § 3. *Testibus* per quoslibet productis in iudicio, *si de iure partium mere privato agatur;* eo quod ad bonum publicum nullimode pertineat directe, prout accidit contrarium in quibusdam causis ma-

[1] Cap. 5 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X.

trimonialibus, et in causis ordinationis sacerdotalis, etc., *poterit iusiurandum, utraque parte*, quae contendit ac iuris mere privati habet auctoritatem, *consentiente*, ut sequens fiat, *remitti* a iudice, cui directio processus secundum canones delata est.

§ 4. *Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur*, ac proinde ob verbum « etiam » casus iurisiurandi praestiti comprehenduntur sub praescripto: *iudex testem* quemlibet *commonefaciat* modo personarum circumstantiis convenienti, *gravis obligationis* propter obedientiam, quae iustitiae administrandae deservit, *qua* obligatione *semper* in quibuslibet causis et singulis examinis quaestionibus *tenetur, veritatem dicendi*, idest: respondendi secundum propriam persuasionem.

275. Iuramentum de veritate dictorum statim subinfertur, uti contrarium praescripto circa iuramenti praecedentis omissionem, ut contraria prope posita magis elucescant. *Can. 1768* est unicus de hac re loquens. *Testes* omnes ac singuli, *tametsi iusiurandum* ad normam canonis praec.s *praestiterint de veritate dicenda*, nec suspicio extet de periurio, iure *poterunt nihilominus pro prudenti iudicis* praesidis tribunalis collegialis, vel unici, *arbitrio* seu voluntate, *absoluto examine* uniuscuiusque testis, *adigi*, quod verbum permittit exercitium potestatis coactivae, *ad* emittendum *iusiurandum de veritate dictorum* in attestatione, et hoc *sive* extensum *circa omnes positionum articulos* ad quos testis respondit, *sive circa aliquos* vel unum *tantum*, quia secundum regulam iuris 35 in 6°: « Plus semper in se continet quod est minus ». Conditiones sequuntur quas ponderare iudicem oportet: *quoties* a) *gravitas negotii et* simul b) *editae testificationis adiuncta*, ad quae pertinet quoque saltem aliquando ipsa testis persona, *id postulare videantur* viro prudenti, qualis iudex censetur.

Ita in cap. 5 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X, ubi « Quoties aliqui propter cognationem propinquitatis separari petuntur:.... (Eugenius III sic decernit): Probatio autem testium debet fieri duplici iuramento, ut iurent se non privato odio... (etc. ut supra relatum est)... ad hoc iurandum inductos: et (nota bene) sicut ipsi dicunt, rei veritatem accepisse a maioribus suis; et credere ita esse ».

276. De iureiurando secreti servandi en *can. 1769*, quando agatur de testibus. *Testes* iudiciales quilibet *adigi*, ergo potestate coactiva iudicis ex officio *etiam iureiurando*, vel sine hoc novo vinculo, *possunt*, et sic datur iudici praefata potestas, *ad secretum servandum*, cuius obiectum erit: *circa propositas* per iudicem *interrogationes dataque* per eos *interrogationibus responsa*, circa

haec duo copulative, sed a) saltem *usque dum acta*, inter quae illae recensentur *et allegata publici iuris fiant*, per dictam actorum publicationem, de qua infra; *imo etiam* b) *perpetuo ad normam can. 1623, § 3*, ubi causae huius perpetui secreti iniungendi et pro quibus personis enumerantur, deducendo ex hoc praescripto ibidem tractari de perpetuo secreto, sicut consequens erat perpetuitati causarum.

ART. IV. — *De testium examine.*

CAN. 1770. - § 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.

§ 2. Ab hac generali regula excipiuntur:

1° S. R. E. Cardinales, Episcopi et personae illustres quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testificandi causa: ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo iudicem certiorem facere debent;

2° Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut conditione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt;

3° Qui extra dioecesim degentes, in dioecesim reverti et ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt; ii audiendi sunt a tribunali loci in quo commorantur ad normam can. 1570, § 2, secundum interrogationes et instructiones a causae iudice transmissas;

4° Qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ita dissitis a tribunalis sede, ut sine gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque a iudice adiri possint. Hoc in casu iudex debet propiorem aliquem sacerdotem dignum et idoneum deputare, ut cum assistentia alicuius, qui actuarii munere fungatur, examen horum testium perficiat, transmissis pariter eidem interrogationibus faciendis, datisque opportunis instructionibus.

CAN. 1771. - Examini testium partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittendas censuerit.

CAN. 1772. - § 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.

§ 2. Prudenti tamen iudicis arbitrio relinquitur post edita testimonia testes inter se aut cum parte conferre, seu, vulgo, *confrontare*.

§ 3. Id autem fieri poterit si haec omnia simul concurrant, scilicet:

1° Si testes inter se aut cum parte in re gravi et causae substantiam attingente dissentiant;

2° Si nulla alia facilior ad veritatem detegendam suppetat via;

3° Si scandali vel dissidiorum periculum non sit ex collatione pertimescendum.

CAN. 1773. - § 1. Examen fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius.

§ 2. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice vel ab eo qui iudicis locum tenet, testibus deferendae sunt. Quapropter si partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi examini intersint et novas interrogationes testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponere debent, ut eas ipse deferat.

CAN. 1774. - Testis primo interrogari debet non modo de generalibus personae adiunctis, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferendae sunt interrogationes quae causam ipsam respiciunt et sciscitandum unde et quo-

modo ea quae asserit, habeat cognita.

Can. 1775. - Interrogationes breves sunto, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.

Can. 1776. - § 1. Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.

§ 2. Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri posse censeat.

Can. 1777. - Testes oretenus testimonium dicant et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, poterunt consulere.

Can. 1778. - Responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario non solum quod attinet ad substantiam, sed etiam ad ipsa editi testimonii verba, nisi iudex, attenta causae exiguitate, satis habeat unam depositionis substantiam referri.

Can. 1779. - Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis et generatim de omnibus memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur.

Can. 1780. - § 1. Testi, antequam ab auditorio discedat, debent legi quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.

Can. 1781. - Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testificationes publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.

Art. IV. De testium examen
- ubinam peragendo — Can. 1770
- quoad praesentiam
  - partium — » 1771
  - aliorum testium — » 1772
- faciendo
  - per determinatam personam — » 1773
  - cum interrogationibus
    - ordinatis — » 1774
    - debitis — » 1775
    - non prius communicandis — » 1776
- perficiendo
  - oretenus a testibus — » 1777
  - per actuarii
    - redactionem — » 1778
    - adnotationes additas — » 1779
  - cum subscriptionibus — » 1780
- forsitan iterando — » 1781

277. Inscriptio Articuli ac eius canones. — Jam considerare oportet ipsam probationem attestationum. Videlicet: quae normae sint servandae, ut ad facti veritatem eruendam tuto ducatur iudex. Cautelae adhibentur circa modum attestationes exquirendi ex parte tribunalis easque perficiendi ex parte testium, dum prius determinat can. 1770 locum in quo haec omnia peragere oporteat, et ultimus can. 1781 perpendit conditiones ut testes iterum excuti possint.

Quoad ipsum tribunal, edicitur quomodo secreto attestationum sit providendum, et hoc in can. 1771 et 1772, dum examen ipsum moderantur canones sequentes, et primo determinatur per can. 1773 persona exquirens attestationes, posteaque ipsi regulae dantur quoad interrogationum ordinem in can. 1774, circa earum requisita per can. 1775, et ne antea communicentur ordinarie can. 1776 statuit. Responsiones autem testium respiciunt sic alii canones, ut nempe illae oretenus fiant a testibus (can. 1777), statim redigendae in scriptis ab actuario (can. 1778), qui antea iubetur adesse ipsi examini, necnon ab eodem adnotanda quaedam iubet can. 1779, et attestationes a pluribus in testimonium sinceritatis subscribi praescribit can. 1780.

278. Locus ad examen testium statuitur cum exceptionibus causa personarum, quae in veritatis testimonium vocantur. *Can. 1770.* § *1* continet regulam: *Testes* iudiciales a quocumque inducantur *sunt examini* circa quod leges in praecedenti Articulo conditae sunt, *subiiciendi in ipsa tribunalis sede*, ubicumque hoc erigatur in quolibet propriae dioecesis Episcopi loco, sed ordinarie in aula penes suam Episcopi sedem, cum exceptione sub can. 1637, vel quoad Apostolicae Sedis tribunalia in singulorum aedibus, vel quoad delegatos ad tenorem mandati in loco designato aut iuxta can. 1697.

Sequuntur exceptiones, quas sic enumerat § 2. *Ab hac* declarata *generali regula*, quae « dicitur proprie quasi regulariter vera, quamvis patiatur exceptiones in se », quemadmodum de hac subiungitur verbum *excipiuntur*: (« hoc ergo operatur exceptio, ut illud quod alias sub verbis regulae comprehendebatur, ad determinationem regulae, exceptionis virtute tollatur ») [1]:

1°. S. R. E. Cardinales, de quibus specialiter agitur in Cap. III, Tit. VII, Lib. II, *Episcopi* tam residentiales, quam titulares, eo quod additur *et personae* physicae *illustres* in societate civili, *quae* nempe propter hanc rationem *suae civitatis iure*, quod

[1] Glossa in rubricam « de Regulis iuris » in 6°.

vulgo solet dici ius civile, *eximuntur ab obligatione* vi iuris processualis imposita *comparendi coram iudice* saeculari *testificandi causa*, sic defert Codex iuribus, quae diversa statuunt de hac re: *ii omnes* non eximuntur a ferendo testimonio, sed *eligere ipsi possunt* pro libitu *locum*, v. gr. propriae habitationis, vel tribunalis aulam, *ubi testificentur* pro eorum erga iudicem obedientia, *de quo* loco electo *iudicem* citantem vel citaturum eos *certiorem facere debent* ex obligatione per canonem statuta.

In cap. 8 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X ait Eugenius III: « Si qui testium valetudinarii sunt, et senes, vel debilitate confecti, aut paupertate depressi, ita quod non possint ad vestram praesentiam adduci, ad ipsos recipiendos mittatis personas idoneas et discretas ».

Item in cap. 2 « de iudiciis » (II, 1) in 6° Bonifacius VIII sic statuit. « Mulieres (quas vagari non convenit, nec virorum coetibus immisceri) auctoritate litterarum Sedis Apostolicae, vel Legatorum ipsius aut alia quacumque, ad iudicium personaliter evocari, vel trahi invitas causa ferendi testimonium, aut alia qualibet (quae in iure non exprimitur) prohibemus. Sed cum necessarium fuerit testimonium earumdem: iudex (in expensis partis producentis easdem) tabellionem, aut aliam personam idoneam, ad eas transmittat: vel si forte talis casus occurrerit, quo iure prohibente, receptio testium alteri committi non possit: iudex tunc propter hoc personaliter ad illas accedat: aut (si talis sit personae iudicantis conditio, quod id per ipsum non deceat fieri, vel non possit, mittat ad eas: proviso quod casus huiusmodi) videlicet ut iudex vadat personaliter (non fingatur: nec fraus interveniat in hac parte): alioquin fictor huiusmodi vel fraudator, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Caeterum foeminae religiosae, praesertim quae debent sub clausura morari, extra suum monasterium vel clausuram non vocentur ad iudicium vel trahantur ex quavis causa personaliter: etiam si ad hoc voluntas accederet earumdem. Decernimus quoque ut ipso iure sit irritum et inane, si quid contra praemissa contigerit attentari ».

His congruit canon addens: « excipiuntur » 2°. *Qui*, viri vel feminae, a) *morbo* urgente vel ob illum « valetudinarii », b) *aliove corporis* v. gr. incarcerationis *vel animi* ex causa magnae deiectionis ex damno, quod iudex persequitur, *impedimento*, *aut* c) *conditione vitae*, v. gr. in matre familias quae nequeat parvulos suos relinquere, sed exprimuntur, *uti moniales*, ad innuendum exceptionem iuris Decretalium extare semper propter insertam ibi ra-

tionem, atque « impedimentum » tale sufficit (a quocumque proveniat) quod *tribunalis* de quo agitur *sedem* ubilibet constitutam *adire nequeunt; ii* singuli ad ferendum testimonium quod attinet, *domi* habitationis *audiendi sunt*, a iudice sive per se sive per alium, adstante actuario.

In cap. 3 « de fideiussoribus » (III, 22) X ait Lucius III Cantuarien. Archiepiscopo: « Praeterea quia difficile foret intercessori, suos testes in Angliam ducere, iudicibus Bonon. (satisdatione idonea a Concellario ipso accepta, quod ad testes audiendos vadat, vel mittat infra terminum competentem) litteris tuis significes, ut eos vice tua recipiant, et examinent diligenter; et depositiones eorum transmittentes inclusas, significent quanta fides possit instrumentis vel testibus adhiberi ». Hanc Decretalem sic reddit generalem canon subdens *3°*. Supple « excipiuntur » *Qui extra dioecesim*, intra cuius fines causa iudicialis cognoscitur, a) *degentes*, b) *in dioecesim* hanc *reverti*, si ab ea, ad quam forsan pertineant, egressi fuerunt, idemque valet ac si numquam in ea fuerunt, sed illud erit de facto ut plurimum, *et* c) *ad tribunalis sedem* ordinariam iudiciorum vel extra ordinem, ubi agitetur causa, *accedere* personaliter, *sine gravi* pro teste *incommodo*, quod a prudenti viro tale iudicetur, *nequeunt*, quae impossibilitas de alterutro sub litteris b) et c) sufficit simul cum conditione sub littera a); *ii testes audiendi sunt* ex canonis praescripto, et « ii » ac partes exigere possunt a iudice adimplementum praescripti, *a tribunali* ecclesiastico *loci in quo commorantur* tempore deponendi testimonii, idest: dioecesis ad quam ille locus pertineat, a) ad *normam can. 1570*, § 2, videlicet: exercens « quodlibet tribunal ius (quod) habet in auxilium vocandi aliud tribunal, quod normas pro singulis actibus iure praescriptas servare debet » quoad citandum et audiendum testem, praeterea b) *secundum interrogationes* in examine testis proponendas *et instructiones* forsan a tribunali in auxilium vocato sequendas *a causae iudice* qua tali, vel authentice *transmissas* simul cum petitione iuridica praefati examinis virtute huius et canonis citati faciendi.

Canon extendit Decretalem ob parem rationem addens *4°* « Excipiuntur » *qui* adducti testes a) *in dioecesi*, intra quam agitatur causa, *commorantur* quolibet ex motivo atque modo quocumque, *sed* b) *in locis ita dissitis a tribunalis sede* quoad hoc iudicium, *ut sine gravibus impensis* praesertim ratione itineris, vel forsitan conditionis aut occupationis personarum, a) *neque ipsi iudicem adire* iuxta § 1, *neque* b) simul *a iudice* personaliter *adiri possint. Hoc in casu*, seu in duplicis conditionis postremae hypo-

thesi, *iudex debet* ex officio *propiorem* loco ubi testis commoratur *aliquem* (nulla determinatione requisita praeter sequentem) a) *sacerdotem*, sive saecularem, sive religiosum, etiam exemptum, acceptantem, b) *dignum* vero *et idoneum* ad perficiendum examen *deputare, ut cum assistentia alicuius* personae legitimae, *qui actuarii munere fungatur* ad acta iudicialia necessario, c) *examen horum* sub n° 4° *testium perficiat* per debitas interrogationes, quapropter subditur: d) *transmissis pariter*, prout nempe sub n° 3° est declaratum, *eidem* « sacerdoti » *interrogationibus faciendis* ad suae deputationis implementum, *datisque opportunis* pro diversitate casuum et exitus responsionum *instructionibus* circa peragenda vel supplenda ab eodem sacerdote.

279. De partium adsistentia huic examini sequens data est norma legitima. *Can. 1771. Examini testium* quorumlibet et a quocumque vel ubilibet fiat, *partes*, comprehensa etiam producente eos, actor et reus *assistere nequeunt* vi huius canonis, *nisi iudex* causam cognoscens, sive perficiat examen sive instructiones atque interrogationes transmittat virtute praecedentis canonis *eas*, unam vel utramque, *admittendas censuerit*, id ipsum concedens.

280. De praesentia testium aliorum sic cavet *can. 1772.* § *1* statuit regulam, quae etiamsi ageretur de vita et miraculis alicuius canonizandi fuit servanda vi cap. 52 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X. Sic enim legitur ibi: « Discretioni vestrae mandamus, quatenus testes, quos abbas et monachi sancti Martini Cisterc. ordinis super vita et miraculis piae memoriae M. abbatis monasterii supradicti duxerint producendos, examinare sigillatim curetis, cum ea diligentia, quae solet et debet in receptione testium adhiberi ». En generale praescriptum. *Testes* in iudicio *seorsim singuli examinandi sunt* iuxta canones huius articuli.

In iudicio Danielis de casta Susanna habemus exemplum magnae utilitatis regulae praecedentis, addito praescripto, quod refert § 2. *Prudenti tamen*, idest: dicta regula non obstante, *iudicis* causam discutientis *arbitrio, relinquitur* a legislatore, quandocumque ille censuerit conveniens, sed *post edita* « singulorum seorsim » *testimonia testes* eosdem *inter se* in examine *aut cum parte* alterutra *conferre*, seu de eadem interrogatione exquirere mentem, *seu, vulgo, confrontare* veluti unum contra alium examini subiicere, ut appareat quo modo differant ad invicem vel concordent circa aliquem articulum.

Quamvis arbitrio confrontatio testium relinquatur, illud non significat plenam libertatem, sed quibusdam regulis directam, quas enumerat § *3. Id autem fieri poterit* iure, non secundum iudicis

lubitum, sed tantummodo *si haec* tria, quae sequuntur; *omnia simul concurrant*, seu adsint de facto, *scilicet*:

1°. *Si testes* confrontandi *inter se aut cum parte alterutra* a) *in re gravi* propter ipsius momentum *et* b) *causae substantiam attingente* propter influxum decisivum in quaestionis diremptionem, *dissentiant* in eorum responsis;

2°. *Si nulla alia facilior* confrontatione, *ad veritatem* de illa re, in qua « dissentiant » *detegendam suppetat* iudicialis *via*;

3°. *Si* a) *scandali*, quod nempe: praebet proximo occasionem ruinae spiritualis *aut* b) *dissidiorum* inter eos testes ac partem vel cum aliis *periculum* prudenter praevidendum *non sit ex collatione* praedicta *pertimescendum.*

Haec tria perpendere prudentiae iudicis remittitur, iuxta § 2.

281. De examine ipso ex parte iudicis ecce *can. 1773* servandus.

§ *1. Examen* testium *fit* disiunctive *a iudice* illius causae ordinario vel delegato et palam est, *vel*, cum sit actus iudicialis, *ab eius delegato* ad hoc saltem competenti *aut auditore*, nam huius est tale munus vi can. 1582, *cui facienti* examen *assistat oportet notarius* vi can. 1585, § 1, ad actorum validitatem requisitus.

Huius ratio affertur in cap. 11 « de probationibus » (II, 19) X ex Concilio Generali his verbis: « Quoniam contra falsam assertionem iniqui iudicis, innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare: cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio: ne falsitas veritati praeiudicet, aut iniquitas praevaleat aequitati: Statuimus, ut tam in ordinario iudicio, quam extraordinario, iudex semper adhibeat, aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa iudicii acta conscribant: videlicet: citationes,... et interrogationes, confessiones, testium depositiones,... et caetera quae occurrerint competenti ordine conscribenda: loca designando, tempora et personas ».

Congruenter praescripto can. 1767, de iuramento testium, atque iuri faciendi interrogationes, cui relativa est in teste obligatio respondendi ei, velut Superiori competenti, statuit § 2. *In examine* testium iudiciali *interrogationes*, quarum in can. seq. qualitates ponuntur, *non ab alio quam a iudice vel ab eo qui iudicis locum tenet* ad normam § 1, *testibus* singulis *deferendae sunt* ut respondeant. Exponens praescriptum, subdit legislator: *Quapropter si partes* singulae, tam actor, quam reus, quo verbo innuit illas iure posse quod sequitur, *vel promotor iustitiae* « pro causis tum contentiosis (quibusdam) tum criminalibus » (can. 1586), equidem

uti potest vi can. 1587 § 2, quod sequitur, *vel defensor vinculi*, « pro causis, in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii » (can. 1586), et illius « est » (can. 1968, 1°) novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere », si ergo praedicti singuli a) *examini* testium *intersint et* b) *novas*, seu a iudice non propositas *interrogationes* praesertim « ab examine emergentes » *testi*, qui sub examine invenitur, *faciendas habeant*, *has non testi* propterea non obligato tunc respondere, *sed iudici vel locum eius tenenti* cum auctoritate in testem *proponere debent* « faciendas », *ut eas ipse deferat* testi respondendas vi can. 1766, § 2.

282. Interrogationum ordo et qualitates omni ex parte regulantur. Sic enim redactus est *can. 1774. Testis* quilibet *primo*, ut de testis persona constet, antequam deponat testimonium, *interrogari debet non modo*, quae verba includunt quoque interrogationes *de generalibus*, quia in quolibet inveniuntur teste, *personae* ipsius *adiunctis*, quae nempe ipsam singularem connotant, *hoc est de nomine*, *cognomine* familiam eius respiciente, *origine* quae diversa statuitur in can. 90, si filius sit legitimus, vel illegitimus aut posthumus, vel si agatur de filio vagorum, *aetate*, *religione*, quam profitetur, *conditione* sociali, an coniugatus vel non, filiusfamilias patri, vel tutori subiectus, etc., *domicilio* sui actuali ad normam can. 92, vel quod forsan « necessario retinet » iuxta can. 93, *sed etiam* seu praeter illa et « primo », ut supra, *quae ipsi* testi *cum partibus*, actore aut reo, *in causa* pro qua testis vocatur, *sit necessitudo* propter cognationem, communitatem negotiorum, vel hereditatis, vel spem lucri timoremve damni, etc.; *deinde*, seu his omnibus in iudicium deductis, *deferendae sunt* ut in can. praec., *interrogationes quae causam ipsam respiciunt* et quarum occasione attestationes in probationem fiunt, *et* pro singulis vel omnibus *sciscitandum est* ab eodem, ut patet, *unde*, an nempe proprio visu sensuve perceperit quae deponit, an ab aliis receperit, *et quomodo* circa perceptionis circumstantias, *ea quae asserit* per responsa, *habeat cognita*.

Hanc examinis amplitudinem innuit Innoc. III in cap. 37 « de testibus et attestationibus (II, 20) X aiens: « Mandamus, quatenus recipias testes, quos utraque pars, tam super principali negotio, quam in personas testium duxerit producendos: ac eos diligenter examinare procures, et de singulis circumstantiis prudenter inquirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, et certitudine, cuncta plene conscribas »... Ordinem vero interrogationum praescribit Greg. IX

in 6° (cap. 2 huius tituli 10 in Lib. II) dicens: « Testes etiam,... examines (secundum partis adversae interrogatoria, quae tibi sub eadem bulla transmittimus) diligenter: primo tamen in personam cuiuslibet testis... producti, facta sigillatim specificatione criminum et aliorum obiectorum sibi in eisdem artículis contentorum ».

283. Interrogationum qualitates designat praescribendo *can. 1775. Interrogationes* singulae in testium examine iudiciali a) *breves sunto*, ita enim facile intelliguntur, b) *non plura simul* sub unica interrogatione *complectentes*, quae possint secerni, secus ansam difficultatis praebent testis menti ad respondendum, eo quod plura responsa in mente eius ordinanda volvuntur, c) *non captiosae*, seu quibus eruatur fortassis non intentum a teste in responso proprio, d) *non subdolae*, idest: quae circumveniant testem ad eruendas asseverationes illius, quod ab interrogante desideratur, e) *non suggerentes responsionem* dandam, quae sic praevie nota supponeretur, et ad hoc pertinet ius Romanum dicens [1]: « qui quaestionem habiturus est non debet specialiter interrogare, quia hoc magis suggerentis quam requirentis videtur », videlicet: interrogatio sic fiat ut excitet testem ad unum vel oppositum confitendum. Sequuntur qualitates, nempe ut « interrogationes » praefatae sint: f) *remotae a cuiusvis offensione*, quae necessario educeretur ex interrogatione, cum vitari posset, *et* demum g) *pertinentes* iudicio prudentis *ad causam quae* in hoc singulari iudicio *agitur*, alioquin testis ad respondendum non obligatur, ut patet ex can. praec. 1774.

284. Interrogationes non communicandas, ante ipsum examen iubet *can. 1776*, velut cautela pro assertionum veritate tutanda. Hinc § *1* statuit. *Interrogationes* « in examine deferendae » ex can. 1773, § 2, *non sunt* a quocumque, praesertim a iudice, eas noscente, *cum testibus* singulis, etiam ad quos dirigendae non erunt, *antea* idest: ante ipsum examen quocumque tempore ac loco *communicandae* directe vel indirecte, ita ut testis de illis conscius fiat prudenter.

Quae videretur exceptio est praescripta sub § 2, propterea sic incipiens: *Attamen si ea quae testificanda sunt* respectu habito ad interrogationes deferendas *ita a memoria sint remota* ratione temporis quo acciderunt vel circumstantiarum secundum prudentis iudicium, *ut nisi prius recolantur* per attentam reflexionem ad connexionem idearum, *certo affirmari* cum prudentia *nequeant*, *poterit iudex* solus, cui proinde de illis remittitur iudicium, *non-*

[1] L. 1. § *Qui quaestion.* ff. De quaest.

nulla examinanda *testem* hunc vel illum, nempe: unumquemque *praemonere* sufficienti antea tempore, cum hac conditione attendenda circa praevium tempus, *si id*, praemonitio haec, *sine periculo* fraudandae veritatis in testimonio illius vel aliorum, *fieri posse censeat* prudenti iudicio.

285. Modus testimonium ferendi talis est. *Can. 1777. Testes* quilibet a) *oretenus testimonium* interrogationibus correlativum *dicant, et* insuper additur b) *scriptum* quodlibet pro testimonio ferendo, a se etiamsi post interrogationem fuerit vel ab alio exaratum, *ne legant* coram iudice, cum exceptione *nisi de calculo* per arithmeticam operationem *et rationibus*, quae data et expensas continent *agatur; tunc enim* datur haec sola permissio: *adnotationes* ex illis vel praevia reminiscentia exaratas, *quas* proinde *secum attulerunt, poterunt* non legere, sed *consulere* ad recte respondendum. Nec apparet qua de causa eas adnotationes iudici vel auditori forsan expostulanti tradere debeat, cum testis depositio oralis sola sit attendenda, et ille pro conscientia sua ex iuramento ad interrogata respondere teneatur.

286. Testimoniorum redactio in scriptis facienda per actuarium alio ex canone patet. *Can. 1778* praescribit: *Responsio* unaquaeque testis *ex continenti* ad vitandam oblivionem in illius fidelitate atque depositionum confusionem « quod ex dictis testium non possit veritas declarari » [1] *redigenda est scripto* equidem in actis, nam *ab actuario* a) *non solum quod attinet ad substantiam* respectu interrogationis, et quoad sensum, *sed etiam* b) *ad ipsa editi testimonii verba*, sic enim tergiversandi vel falso intelligendi testimonium via praecluditur, *nisi iudex*, et taxative *attenta causae exiguitate* respectu iudiciorum materias, *satis habeat* pro suo efformando caute iudicio *unam depositionis* uniuscuiusque *substantium* ut supra *referri*. Ergo actuarius ex seipso regulam, non exceptionem servare debet.

287. Actuarii munus circa praefatum examen accurate declarat *Can.* 1779 sic iubens. *Actuarius in actis* « causae » (can. 1642, § 1) *mentionem faciat* liquido ac sufficienter a) *de praestito, remisso aut recusato iureiurando* iuxta can. 1767-1769 observantiam, b) *de partium aliorumque praesentia* secundum can. 1771-1773, c) *de interrogationibus ex officio additis* forsitan in examine ex iudicis motu proprio, aut « si partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi qui examini intersint novas faciendas habeant » ad normam can. 1773, § 2, *et* d) *generatim de omnibus*

[1] Cap. 53 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X.

memoria dignis per se, sed reputandis vel ex certo iudicio proprio vel ex iudicis prudenti arbitrio, *quae forte acciderint* undecumque in tribunali proveniant, *cum testes* singuli *excutiebantur*, ad quod pertinere poterit tempus immediate coniunctum prius et postea. Et haec quidem omnia « ne falsitas veritati praeiudicet, aut iniquitas praevaleat aequitati », uti loquitur Conc. Generale in cap. 11 « de probationibus » (II, 19) X.

288. De testimoniis perficiendis decernit *can. 1780.* Cum in cap. 7 « de testibus cogendis vel non » (II, 21) X legatur: « Quorum testimonia si quandoque non studiose, sed in proferendo erraverint, et se incontinenti correxerint, reprobari non debent: secus autem erit si correctioni suae interposuerint intervallum.

In n. 14 Instructionis S. C. de Prop. Fide « de processu matrimoniali » anno 1883 datae [1] scriptum est: « Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subiicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illiteratus, faciet hoc signum Cru+cis; ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit ».

Haec norma deservit ad praxim praescripti, quod § *1* respiciens caput Decretalium edixit. *Testi* cuiuslibet causae, *antequam* in quolibet examine *ab auditorio* seu loco ipsius *discedat*, *debent legi* « clara et intelligibili voce » convenienter ipsas interrogationes et ad singulas *quae actuarius de iis quae ipse* testis *viva voce* ad normam can. 1777 *testatus est*, *scripto* sive quoad « ipsa editi testimonii verba », sive « quoad substantiam » *redegit* ad normam can. 1778, *data eidem testi* vel expresse admonito a iudice, vel sponte utenti, iudice annuente, *facultate addendi* singulis responsis, *supprimendi* ex dictis propriis, *corrigendi*, quae forsan minus recte scripto fuerunt redacta, *variandi* etiam quoad verba, vel aliquod dictum declarando.

§ 2. *Denique*, tempore, quod § 1 designavit, *actui* de examine *subscribere debent* a) *testis*, b) *iudex* vel moderator actorum *et notarius*, qui supra dicitur « actuarius » qua iudicialis.

289. De iterando testium examine cavet *can. 1781. Testes* singuli, *quamvis iam excussi* per examen in eadem causa, *poterunt* modo permissivo, a) *parte* alterutra *postulante* b) *aut ex officio*, partibus forsan contradicentibus, cum hoc explicito supposito

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 1587.

a) *antequam acta seu testificationes publici iuris fiant* secundum canones sequentis articuli, post quam evulgationem non poterunt iure, *denuo ad examen*, legitime ut supra perficiendum *vocari* equidem a iudice, b) *si iudex id* fieri *necessarium* iudicio *vel utile ducat* respiciendum singulis in casibus testium, attendens ad sequentem essentialem conditionem: c) *dummodo tamen omnis collusionis* inter ipsos testes vel hos inter et partes *vel corruptelae* illorum quoad veritati fidem faciendam *absit* ex circumstantiis *periculum*.

Exemplum huius legitimae iterationis affert cap. 37 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X, ubi ait Innoc. III Episcopo Placentino: « Volentes autem effrenatam multitudinem testium refraenari: volumus ut hinc inde quadragenarium numerum testium excedere non permittas: ita videlicet ut si Faventini testium depositiones ratas habere voluerint, quae a Ferrarien. episcopo et abbate Pompon. receptae fuerint: testes ipsi computentur in numero praelibato: alioquin (cum attestationes ipsae sint clausae) iidem testes, si necesse fuerit, iterato producantur ».

Art. V. — *De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione.*

Can. 1782. - § 1. Cum partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, testimonia statim post absolutum omnium testium examen poterunt, decreto iudicis, evulgari.

§ 2. Sed poterit iudex differre testimoniorum evulgationem in tempus quo cetera probationum capitula fuerint absoluta, si id e re existimet.

Can. 1783. - Post testificationum evulgationem:

1.° Cessat facultas reprobandi testis personam, excepto casu de quo in can. 1764, § 4;

2.° Sed est ius reprobandi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum scilicet obiiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum nempe testimonia impugnantur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.

Can. 1784. - Reprobationem iudex decreto suo reiiciat, si eam futili inniti fundamento aut ad retardandum iudicium factam animadvertat.

Can. 1785. - Si iudicium reprobationis admittatur, iudex brevem terminum parti postulanti praestituat ad probandam reprobationem, et deinde procedat uti in aliis incidentibus causis.

Can. 1786. - Post evulgatas testificationes, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi caute et ex gravi ratione in causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam; ex gravissima ratione in ceteris; et in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita, et requisito voto promotoris iustitiae vel defensoris vinculi, si hi iudicio intersint; quae omnia iudex decreto suo definiat.

290. Inscriptio articuli et canonum ordo. — Cum ex canone 1771 pro norma generali « examini testium partes assistere nequeant » et testium depositiones sint probationes in iudicio, interest partibus easdem noscere, ut queant se defendere ab eis sibi forsan oppositis. Propterea subiungitur *Art. V* legitimam statuens notificationem illam, propter quod inscribitur. *De testimoniorum evulgatione*, seu communicatione tali peracta, quae secretum iudicii excedat, *eorumque reprobatione* per rationes a parte afferendas, quae ex illis se gravatam sentiat ob defectum veritatis vel observantiae legum pro examine vigentium.

Hinc primo tempus evulgationis edicit can. 1782 cum effectibus, quos exprimit can. 1783, consequutos in partibus. De reiectione aut admissione reprobationis ex parte iudicis agunt can. 1784, 1785, dum can. 1786 decernit effectum evulgationis quoad eosdem iterum audiendos testes.

291. De tempore quo testimonia evulgentur decernit *can. 1782*, congruenter capp. Decretalium [1], in quibus legitur: « exponenda sunt ei (accusato) illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, et a quo sit dictum appareat, publicanda », itemque: « Si vero testes contra eundem abbatem producti fuerint, dictorum ipsorum ei copiam faciatis ».

Igitur § *1* sic redigitur. *Cum* a) *partes*, una et altera *aut* b) *earum* ut antea *procuratores examini* testium singulorum ad normam can. 1771 *non interfuerunt*, secus enim satis edoctae sunt, *testimonia* in tali examine probata *statim post absolutum* non solum illud, sed *omnium* ex utraque parte *testium examen poterunt*, quin praescribatur tunc fieri, *decreto* seu pronunciatione *iudicis* legitima, *evulgari*, hoc est: illis nota fieri.

Sed cum scopus evulgationis sit, ut partes infirmare queant per propriam defensionem testimoniorum probationem, admonet § *2*. *Sed poterit iudex*, non iam omittere dictam evulgationem, quae iubetur in ampliore regula canonis 1858, sed *differre testimoniorum* declaratam *evulgationem in tempus* « ante causae discussionem et sententiam » (can. cit.) *quo cetera probationum capitula fuerint absoluta* et deveniatur ad « publicationem processus » (can. 1859), *si id e re existimet*, praeferens nempe hoc prudenter.

292. Evulgationis praedictae effectus recenset *can. 1783* dicens: *Post testificationum* declaratam in can. praec. *evulgationem*:

[1] Capp. 24 et 26 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V. 1) X.

1°. *Cessat facultas*, quam igitur potuit usque tunc pars exercere *reprobandi testis personam*, videlicet: afferendo ac probando motivum, quo haec ad testificandum admittenda non sit, aut saltem depositio eius sit a iudice praetermittenda in ipsius efformando iudicio, *excepto casu de quo in can. 1764, § 4;* quando nempe « reprobatio testis facta non fuit intra triduum » ibi definitum, « nisi a parte » ostendatur, quod ibidem exigitur. Ad talem paragraphum legi potest cap. Decretalium a quo praescriptum hoc est exortum.

2°. *Sed*, sive cumulative cum declarata facultate, sive postquam haec cessaverit, *est ius quod* ab eo, cuius interest, exequi debet et iudex permittere, *reprobandi testes* a) *sive quod attinet ad modum* peracti *examinis* non legitimum, quod sic exponit canon: *cum scilicet obiiciuntur* contra depositionem *regulae iuris* articuli praecedentis *in examine peragendo neglectae*, seu non observatae, quando excusatio ab ipsis non aderat, b) *sive quod attinet ad testificationes ipsas*, singulas *cum nempe testimonia impugnantur* a partibus, promotore iustitiae, defensore vinculi probationes afferentibus a) *de falso, aut* b) *de variatione* idest: mutatione a teste in depositione prolata, c) *contradictione*, cum aliis testibus vel in suipsius testimonio, d) *obscuritate*, quando veritas responsi non elucet, e) *defectu scientiae*, quia fortassis audita solum retulit, *et similibus*, quae videlicet obstare videntur scientiae ac veracitati testis in deponendo.

Ad elucidationum huius praescripti ducit argumentatio iuridica, quae integrat cap. 9 « de probationibus » (II, 19) X: « Quamquam autem pars Faventinorum testes multos produxerit super negotio principali, vix tamen ex illis sex remanserunt concordes, cum alii sibimet in serie sui testimonii contradicant et quidam alii sint in dicto sui testimonii singulares. Ad reprobandum vero quosdam testium eccl. Raven. et si ex parte Faventin. quidam sint testes inducti, plures tamen illorum reprobantur, quia sibi invicem evidentissime contradicunt: quidam vero alii pauci numero, quamvis non reprobentur expresse, usque adeo tantae malae famae sunt, et levis opinionis, quod eorum dictis nulla vel modica est fides adhibenda. Iidem quoque testes Faventinorum generaliter repelluntur, quia non probant illud ad quod probandum eorum Syndicus se adstrinxit, videlicet: quod corrupti falsa dixissent: quoniam etsi de corruptione videantur aliquid dicere, de falsitate penitus nihil dicunt ».

293. De reprobatione testium non admittenda sequentem dat normam *can. 1784* innixam cap.[1] 49 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X. Ait enim ibidem Honorius III: « Mandamus, qua-

tenus recipiatis testes, quos contra personas productorum super principali negotio partes duxerint producendos: quos si rursus pars altera vel utraque voluerit reprobare, contra illos probationes admittere procuretis, ita quod ultra non liceat partibus ad reprobationem testium aspirare: ne, si producendi quartos contra tertios, et sic deinceps partibus licentia tribuatur, negotium diutius protelari contingat ».

Canonis vero praescriptum est. *Reprobatione* cuiuslibet testis, sive quoad ipsius personam, sive quod attinet ad modum examinis, sive quod attinet ad testificationes ipsas, *iudex decreto suo*, seu pronunciatione quoad illam decisiva, *reiiciat* ex iuris praecepto, *si eam* a) *futili inniti fundamento*, idest: ratione aut motivo, *aut* b) *ad retardandum iudicium factam* ex circumstantiis vel ex prolatis rationibus *animadvertat* secundum ipsius prudentiam.

294. De casu admissae reprobationis decernit *can. 1785* sequens vestigia cap.is 9 « de probationibus » (II, 19) X his verbis expressa: « Post hoc idem obiecit in testes praedictos, quod corrupti falsa dixissent. Unde quia talis exceptio non solum ante, sed etiam post sententiam potest opponi, licet nonnulli crederent Faventinorum partem exceptionem huiusmodi per excogitatam malitiam ad impediendum processum negotiii obiecisse: quia tamen nolumus a iuris tramite declinare: magistris G. et T. praecipimus, ut testes quos super hac exceptione procurator Faventinorum duceret producendos, infra mensem, recipere et examinare curarent, de singulis circumstantiis subtiliter inquirentes: indulto ex tunc altero mense procuratori ecclesiae supradictae, infra quem, si vellet, ad reprobationem testium illorum produceret testes coram eis ».

En textus canonis. *Si iudicium reprobationis* testis propositae discutiendum *admittatur* apud tribunal, *iudex* a) *brevem terminum*, qui iuxta circumstantias diebus aliquot vel una alterave hebdomada coarctetur, *parti* reprobanti ac *postulanti* dilationem *praestituat ad probandam* prout de iure *reprobationem*, quando nempe illas probationes in promptu non habeat, *et* b) *deinde post exhibitas* probationes *procedat uti in aliis incidentibus causis*, qui modus regulas habet insertas sub sequenti Titulo XI.

295. Vetitum post testimoniorum evulgationem servandum fert *can. 1786* sequens praecedentem disciplinam. Videlicet: in cap. 6 de probationibus (II, 19) X sic scriptum est: « Quia vero requisisti a nobis quid agendum sit, cum quidam alius probare velit contra praedictam probationem iuramentis canonicis factam,

et partibus publicatam, nullo eos sese consanguinitatis gradu contingere: respondemus, quod standum est probationi priori ». Atque plenius idipsum exponit cap. 2 « de testibus » in Clem. (II, 8). Ait enim Clem. V in Conc. Viennensi: « Testibus rite receptis, et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem vel directo contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere: sic non debet in appellationis causa licere: Cum non minus in appellationibus, quam in principali causa subornatio sit timenda ». Huic doctrinae concordat, etsi primo aspectu videatur opponi, cap. 19 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X. Ait enim Alex. III: « Causam quae vertitur inter vos et plebanum et clericos Sanctae Mariae de Martu. commisimus iudicibus terminandam: cumque utraque pars in eorum esset praesentia constituta, et testes essent hinc inde recepti, et eis ab utraque parte renunciatum, et attestationes etiam publicatae, quoddam privilegium nuper a nobis impetratum in medium protulisti. et infra. Iudicibus ipsis mandavimus, ut super aliis capitulis, si qua alia fuerint ab his super quibus testes recepti sunt, et eorum attestationes publicatae, testes (si qui idonei producti fuerint) recipiant... »

Secundum haec omnia decernit canon: *Post evulgatas testificationes*, ut declaratum est initio can. 1783, a) *testes iam auditi* ea in causa *denuo super iisdem* circa quae fuerunt examinati *articulis*, quae prohibitio non respicit alios articulos, etiam iterato producti *ne interrogentur* in iudicio, neque b) *novi*, seu antea non producti *testes admittantur* super quibuslibet articulis iam existentibus in ea causa, quae duae prohibitiones vigent quoque in appellationis instantia. Quoad utrasque vigent exceptiones quae sequuntur: *nisi caute* et hoc semper servandum erit ne oriantur scandala vel gravia inconvenientia iudicio vel parti alterutri, *et* a) *ex gravi ratione* ponderanda per iudicem *in causis quae numquam transeunt in rem iudicatam*, « de statu nempe personarum » declarandis ad can. 1903; b) *ex gravissima ratione*, quod bene notetur *in ceteris causis*, dummodo adhuc non transierint in rem iudicatam; *et in quolibet casu* secundum has exceptiones licito a) *omni fraudis* idest circumventionis ad decipiendum *et subornationis* quoad pandendam a teste veritatem *periculo remoto* per media a iudice prudente adhibenda, b) *altera parte*, contra quam producuntur, *audita*, nam forsitan eius obsit indemnitati vel manifestatio cuiusdam circumstantiae iudicem opportune illustret, *et* c) *requisito* ad validitatem admissionis *voto*, quod sicut et partis sequi non obligatur iudex, *promotoris iustitiae vel defensoris vin-*

culi, si hi iudicio intersint, videlicet: in causis, quas designat can. 1586. Explicit sic praesens canon: *quae omnia* fuisse et quo modo servata *iudex decreto suo* ad testes admittendos vi exceptionum *definiat* exprimendo ipsa.

ART. VI. — *De indemnitate testium.*

CAN. 1787. - § 1. Testis ius habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis.

§ 2. Iudicis est, auditis parte ac teste, et, si opus sit, etiam peritis, taxare indemnitatem et impensas testi solvendas.

CAN. 1788. - Si intra peremptorium terminum a iudice praestitum congrua pecuniae quantitas de qua in can. 1909, § 2, ab eo qui testes inducere vult deposita non sit, is testium examini renuntiasse censeatur.

296. Inscriptio articuli eiusque canones. — Deinde quoad ipsos testes praecepto iudicis obedientes fuit providendum, ne aliquod inde damnum pati cogantur. Propterea sequitur *art. VI* inscriptus *De indemnitate testium* causa iudiciorum. Hic articulus duos continet solum canones. Primus indemnitati providet directe et alter tribuit primo vim ineluctabilem.

297. Testis ac iudicis propria quoad indemnitatem curandam exprimit *can. 1787*. Sic enim scriptum est in cap 11 « de rescriptis » in 6° (I, 3): « Pro ferendo quoque testimonio, (praetextu cuius aliqui alios faudulenter interdum a iudicibus vocari procurant, ut eos laboribus et expensis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eisdem) nullum ullatenus convocet, nisi quando conditio et status causae requirent. Sed nec tunc, (nisi a producente) competentes vocato pro testimonio, veniendo, stando, et redeundo, faciat ministrari expensas ». Praevie edicit § *1. Testis* quilibet admissus *ius habet* strictum a) *ad petendam* ex parte producentis *compensationem* secundum aequalitatem *impensarum*, *quas*, etiamsi aliunde sibi utiles, *sustinuerit ratione itineris* hac de causa suscepti *et commorationis* pro victu et habitatione *in loco iudicii*, nempe: civitate, oppido, etc. *et* b) *congruam* ex prudenti iudicio *indemnitatem pro interruptione*, *quam* illa de causa sustineat *sui negotii* quod gerit, *vel operis*, cui incumberet.

Et quia in hac re dubia exsurgere queunt, praeoccupat ea § 2. *Iudicis* munus *est*, a) *auditis parte* producente *ac teste*, *et* b) *si opus sit*, ob mutuam illorum disparitatem, *etiam peritis* de negotio vel opere, *taxare* idest: in quantitate statuere b) *indemnitatem* supra dictam in § 1° *et impensas* ibidem declaratas *testi* praefato *solvendas* in illius praescripti adimplementum.

298. Cautio pro testium indemnitate sic a iure determinatur, ut haec salva sit, et simul partibus detur sufficiens modus persequendi iura sua in iudicio. Propterea *can. 1788* praescribit. *Si intra peremptorium terminum*, eo quod statim ac ille transegerit, applicatur canonis norma, *a iudice praestitutum*, ne pars pro lubitu differat quod sequitur, *congrua pecuniae quantitatis de qua in can. 1909*, § 2 dicitur « potest iudex pro suo prudenti arbitrio exigere ut pecunia... pro indemnitate testium... deponatur penes tribunalis cancellariam aut saltem congrua cautio praestetur pecuniam deinde solutum iri », *ab eo qui testes inducere vult* pro iure suo *deposita non sit* saltem per cautionem supradictam, *is testium examini* seu huic probationi *renuntiasse censeatur* praesumptione iuris et de iure.

Art. VII. — *De testimoniorum fide.*

Can. 1789. - In aestimandis testimoniis iudex prae oculis habeat:

1.° Quae conditio sit personae, quaeve honestas et an aliqua dignitate testis praefulgeat;

2.° Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de credulitate, de fama, aut de auditu ab aliis;

3.° Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus, vel vacillans;

4.° Denique utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis.

Can. 1790. - Si testes inter se discrepent, iudex perpendat utrum edita ab eis testimonia sibi invicem adversentur, an sint dumtaxat diversa vel adminiculativa.

Can. 1791. - § 1. Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis.

§ 2. Si sub iuramenti fide duae vel tres personae, omni exceptione maiores, sibi firmiter cohaerentes, de aliqua re vel facto in iudicio testificentur de scientia propria, sufficiens probatio habetur; nisi in aliqua causa iudex ob maximam negotii gravitatem, vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem.

299. Inscriptio articuli et huius canones. — Hucusque normas praestituit Codex aptas securitati huius probationis perficiendae. Quanti vero haec probatio facienda sit pro casuum diversitate iudex hauriet ex regulis, quas continet *Art. VII* inscriptus *De testimoniorum* seu responsionum testium *fide*, quam omnibus perpensis illa merentur. Et quidem can. 1789 enumerat ea, quae in testibus hoc sub respectu sint perpendenda, can. 1790 considerat casum oppositionis inter dicta testium, et can. 1791 exponit vim iuridicam probationi huic tribuendam.

300. Iudicis munus pro testimoniis ponderandis explicat *can. 1789* complectens diversas Decretalium dispositiones successivo tempore latas, et quas experientia fulciri constat. *In aestimandis testimoniis* ad proprium efformandum iudicium secundum

rei veritatem *iudex* sententiam laturus *prae oculis* tanquam iuris normas *habeat*:

1° *Quae* a) *conditio sit personae testis*, b) *quaeve honestas et* c) *an aliqua dignitate testis praefulgeat.* Facit ad litteram a) quod ait Alex. III in cap. 22 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X: « Consultationi tuae taliter respondemus, quod cum mater filiae incrementum et honorem videtur diligere, ubi vir superior est divitiis et nobilitate, potentia, vel honore, testimonium eius videtur esse suspectum: et ideo non esse aliquatenus admittendum (contra virum negantem se mulierem filiam affidasse). Super illa vero quaestione quam fecisti, an mulier coniungenda non sit viro, pro eo quod sola mater alterutrius, eos esse consanguineos confitetur: Respondemus quod si non est firmatum matrimonium inter eos, matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent coniungi: quia praesumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero matrimonium est firmatum, non debet sine plurium iuramento dissolvi ». Circa testis honestatem sic idem Pontifex respondet in cap. 23 cit. tit.: « Mandamus, quatenus si inter vos et quoscumque Judaeos emerserit quaestio, in qualibet causa Christiani, et maxime clerici, non minus quam duorum vel trium virorum, qui sint probatae vitae, et fidelis conversationis testimonium admittatis: iuxta illud Dominicum: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum ».

Denique circa testium dignitatem attendendum est cap. 32 eiusdem tituli, ubi scriptum est: « Cum igitur hinc plures, inde vero sint numero pauciores producti, quos non solum diversa sed aversa penitus in quibusdam constat testimonia reddidisse: quia etiam ad multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium qualitatem, et ad ipsorum deposita, quibus potius lux veritatis assistit, ex quibus motum animi sui convenit iudicem informare: Mandamus quatenus si testes utrinque producti eiusdem honestatis et aestimationis extiterint, cum constet testes monachorum esse testibus archidiaconi numero pauciores, pro archidiacono sententiam proferatis. Si vero testes ex parte monachorum producti, tantae praeeminentiae fuerint, quod eorum auctoritas aliorum sit merito multitudini praeferenda, ab impetitione archidiaconi absolvatis eosdem ».

His concordat canon dicens: *1° Quae* a) *conditio sit personae* testis, tum in se an catholicus vel non, sed honestus, tum respectu partium, alterutri nempe coniunctus, quod favere vel obstare posset ipsius testimonio veridico, b) *quaeve honestas* cognita, *et* c) non omittendo prae oculis habere *an aliqua dignitate*, tum eccle-

siastica, v. gr. Episcopatus, Abbatiae nullius, vel inferiori quoque, tum civili magistraturae etc. *testis praefulgeat*, quod verbum innuit veram in iure dignitatem.

« Praeterea (Caelestinus III ait) [1] cum quis accusatur aliquam cognovisse: an sint testes interrogandi de visu, aut sola viciniae fama sufficiat, vel si iuratis testibus sit credendum, qui se carnalis copulae conscios esse fatentur, sed de visu nihil affirmant? Respondemus, quod si testimonium conveniens de visu reddatur, vel etiam de auditu, et praesumptionem violentam fama consentiens subministret, ac alia legitima documenta suffragentur, standum est testimonio iuratorum. Etenim circumspectus iudex atque discretus, motum animi sui, ex argumentis et testimoniis, quae rei aptiora esse compererit, confirmabit ».

Huic textui canon cohaeret dicens: 2° *Utrum* a) *de scientia facti propria* quomodocumque at directe obtenta cum quolibet ex sensibus, sed *praesertim de visu*, qui perfectior ac securior est *et auditu*, qui praestat aliis sensibus quoad suum obiectum, *proprio* circa factum, veluti de causa scientiae *testificetur*, b) *an de credulitate*, quam sibi efformavit ex diversis factorum et personarum circumstantiis, c) *de fama* bene distinguenda a rumore, quia apud bonos et discretos illa opinio vigeat, d) *aut de auditu ab aliis*, qui factum forsan perceperunt. Hinc testes distinguuntur de visu, de credulitate, de fama et de auditu.

Haec omnia enumerat cap. 37 tit. cit. ubi legitur: « Mandamus, quatenus recipias testes, quos utraque pars, tam super principali negotio, quam in personas testium duxerit producendos: ac eos diligenter examinare procures: et de singulis circumstantiis prudenter inquirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, et certitudine, cuncta plene conscribas ». Modum perpendendi quaedam horum testimonia plene evolvit cap. 47 huius tituli referendum alibi, quando agetur de causis matrimonialibus.

Quoad certitudinem vero in teste, prosequitur canon 3° *Utrum* a) *constans sit* testis in tenendo quod semel asseruit *et* b) *firmiter sibi* in depositionis decursu *cohaereat* ita ut assertiones simul prudenti veritatem facti commostrent; *an.* c) *varius* propter diversitates redolentes contrarietatem, d) *incertus* propter immixtas dubii particulas, *vel vacillans* ostendendo aliquam mentis instabilitatem circa facti circumstantias.

[1] Cap. 27 « de testibus et attestationibus « (II, 20) X.

4° *Denique utrum* testis quilibet *testimonii* seu propriae depositionis *contestes habeat*, nempe: idipsum quoad factum vel huius circumstantias, *an* econtra *sit singularis* in hac vel altera affirmatione. Dicitur enim in Conc. Generali [1]: « cum secundum ordinem solitum iudiciorum non sufficiat unius testis assertio, etiamsi praesidali praefulgeat dignitate ».

301. Iudicis obligatio est quod praescribit *can. 1790. Si testes* adducti *inter se* quoad asseverationes *discrepent*, idest: dissona inveniantur testimonia saltem primo adspectu, *iudex perpendat utrum edita ab eis* discrepantibus *testimonia* a) *sibi invicem adversentur*, eo quod contraria exponant, *an* b) *sint dumtaxat diversa*, eo quod mutuo non sint contraria, sed simul constare queant saltem quoad substantiam, *vel* c) *adminiculativa*, quia simul factum statuunt vel alias probationes corroborant.

302. De huius probationis sufficientia normas exhibet *can. 1791*. Alex. III ait in cap. 23 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X: « licet quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quae unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur ». Huic cohaeret § *1* decernens: *Unius testis depositio*, etiamsi « de scientia propria equidem de visu deponat, constans et firmiter sibi cohaerens » *plenam fidem*, quae nempe ad sententiam iudicetur sufficiens, *non facit*, cum unica exceptione: *nisi* a) *sit testis qualificatus* propter officium vel dignitatem, b) *qui deponat de rebus ex officio* proprio *gestis*. Huius exemplum comperimus in cap. 13 « de praescriptionibus » (II, 26) X, ubi Innoc. III refert: « Sed inter alia fuit ex adverso responsum, quod... scrinarius alio modo scripsisset dicta testium, quam dixissent ». Ad quod respondet S. Pontifex: « nec credentes ipsum scrinarium (cum iuratus sit officium diligenter exsequi) aliud scripsisse quam a testibus diceretur ».

Quandonam vero vim convincentem obtineat haec testium probatio iudicialis, demonstrat § 2. *Si* a) *sub iuramenti fide*, quae conditio pluries requiritur in cap. 47 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X, b) *duae vel tres personae* secundum illud: « in ore duorum vel trium stat omne verbum », c) *omni exceptione maiores*, seu ut legitur in cap. 24 cit. tit.: « nec contra ipsos aliquos audias nisi probatae essent vitae et opinionis, de quibus verisimile non esset, quod deberent pro aliquo deierare », d) *sibi firmiter cohaerentes*, uti admonet cap. 22 « de electione et electi potestate » (I, 6) X his verbis: « praedicti tres electores iuramenti vin-

[1] Cap. 47 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X.

culo adstringantur dicere veritatem, quot ex canonicis examinationis tempore in praefatum archidiaconum convenerunt. Et si tres simul, aut duo saltem ex ipsis iurati, dixerint maiorem canonicorum partem, in ipsum archidiaconum convenisse, vos contradictoribus silentium imponatis, cum contra hoc eorum esset probatio insufficiens: eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares », et quidem ut in casu: e) *de aliqua re* v. gr. consanguinitate *vel facto* v. gr. contractu, electione, *in iudicio testificentur*, *de scientia propria*, his coniunctim habitis *sufficiens* ad sententiam *probatio iure habetur*, sicut generalis regula; videlicet: *nisi in aliqua causa iudex* disiunctive *ob maximam negotii gravitatem*, tum intrinsecam tum extrinsecam ob circumstantias, *vel ob indicia quae aliquod* etsi non valde grave, sed prudens *dubium de veritate rei assertae*, seu de ipsa attestatione, *ingerunt*, ita ut *necessariam censeat* pro sua conscientia *pleniorem* causae *probationem*, quam proinde requirere iure posset.

CAPUT III.

De peritis.

Can. 1792. - Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 1793. - § 1. Iudicis est peritos eligere vel designare.

§ 2. Hanc designationem in causis mere privatis iudex facere potest rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito promotore iustitiae aut vinculi defensore.

§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.

Can. 1794. - Peritorum est peritiam suam ad veritatis et iustitiae leges exigere, neque falsum affirmando neque verum occultando; in quo si deliquerint, puniantur ad normam can. 1743, § 3.

Can. 1795. - § 1. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur, qui competentis magistratus auctoritate idonei fuerint comprobati.

§ 2. Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 1757, ne ad peritorum quidem officium assumi possunt.

Can. 1796. - § 1. Easdem ob causas quibus testes, possunt et periti recusari.

§ 2. Iudex suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio, necne, et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat.

Can. 1797. - § 1. Periti demandatum munus suscipere censentur praestatione iurisiurandi de munere fideliter implendo.

§ 2. Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi, sed etiam exsecutioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuat.

Can. 1798. - Post iusiurandum praestitum, si periti intra praefi-



nitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa executionem defugiant, tenentur damnorum.

CAN. 1799. - § 1. Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Tempus intra quod examen perficiendum est et votum proferendum, si necessarium vel opportunum iudici videatur, potest ab ipso iudice praefiniri et etiam, auditis partibus, prorogari.

CAN. 1800. - § 1. Si dubitetur quis scriptum aliquod exaraverit, iudex praeter scripturam quaestioni obnoxiam assignet peritis, proponentibus partibus, scripturas cum quibus illa comparari et conferri debeat.

§ 2. Si de scripturis, quae sint inter se comparandae, partes dissentiant, iudex seligat, comparationis gratia, eas, quas pars ipsa alias recognovit, aut quas qui accusatur auctor scripturae controversae, scripsit ut persona publica et in archivis aut alio publico tabulario custodiuntur ; aut eius subscriptiones quas ex fide notarii vel personae publicae constet coram ipsis fuisse exaratas.

§ 3. Quod si scripturae a partibus et a iudice pro comparatione designatae, peritorum iudicio, investigationi non sufficiant, et is cui scriptura controversa tribuitur, in vivis sit, iudex ad instantiam partis aut etiam ex officio eum citet, ut manu propria coram iudice vel eius delegato scribat quidquid periti, iudex ipse, eiusve delegatus dictaturi sint.

§ 4. Recusatio scribendi, non probata legitima recusationis causa, habetur ut confessio genuinitatis scripturae controversae in praeiudicium recusantis.

CAN. 1801. - § 1. Periti votum suum vel in scriptis proferre pos-

sunt, vel oretenus coram iudice; sed si ore proferatur, statim in scriptis redigi debet a notario et a peritis subscribi.

§ 2. Peritus autem, praesertim si sententiam suam in scriptis protulerit, accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.

§ 3. Periti debent indicare perspicue qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur.

Can. 1802. - Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiant, nisi, lege non contradicente, iudex unam a singulis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur.

Can. 1803. - § 1. Si periti inter se discrepent, licet iudici aut peritioris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere.

§ 2. Eadem facultas iudici est quoties periti post electionem in suspicionem inciderint vel impares atque non idonei muneri perspecti fuerint.

Can. 1804. - § 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.

§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

Can. 1805. - Peritorum expensas et honoraria iudex, receptam uniuscuiusque loci consuetudinem prae oculis habens, ex bono et aequo taxare debet, salvo iure recursus ad normam can. 1913, § 1.

303. Inscriptio Capitis et canonum coordinatio. — Quia in praecedenti capite actum est de testibus, subsequitur *Caput III* agens de peculiaris mentionis testibus, videlicet: *De peritis* in aliqua arte, qui adhibentur in foro ad hoc ut iudici patefiant ope ratiocinationis et regularum propriae artis, de his facti circumstantias; ac praesertim de ipsius causis et effectibus, quae iudici scire intersunt circa factum quod, ut plurimum erit aliter probatum vel probandum. Hinc admittimus deffinitionem sequentem [1]: periti sunt « testes, aliquam scientiam vel artem callentes, qui primum de facto sensibus obiecto deponunt, deinde, ope ratiocinationis et subsidio suae artis, de eius causis, natura et effectibus, seu ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam ».

Notanda haec sunt circa ordinem canonum. Semel statuta eorum necessitate iuridica in Ecclesiae tribunalibus per can. 1792, quo modo sint deligendi statuunt can. 1793-1796, videlicet: a quo sit facienda electio, quodnam sit eorum munus, quinam sint inter plures seligendi, et an possint recusari a partibus, sicut decretum fuit de testibus. Postquam legitima praecesserit designatio, explicatur actus quo ipsi suscipiunt munus et qualis sequatur inde effectus iuris. Quod praestant can. 1797, 1798, addito can. 1799

[1] P. Noval. Commentarium Cod. I. C. Par. I, De Iudiciis, n. 513.

circa muneris peculiarem determinationem in singulis causis. Quidquam singulare circa munus peritorum de calligraphia moderatur can. 1800. Expleto peritorum studio, sequitur relatio tribunali exhibenda, ut nempe fiat in scriptis secundum can. 1801, et separatim ab unoquoque iuxta can. 1802. Denique obligationes iudicis hac de causa proponuntur, can. 1803-1805, specialis in casu quo peritorum relationes discrepent inter se, altera generalis servanda in causae ponderatione atque deffinitione, ac demum tertia in compensationem et remunerationem peritorum ordinata.

304. Quando periti sint adhibendi praescripto iuris canonici ostendit *can. 1792.* Quamvis hac probatione opus sit in foro ecclesiastico ut plurimum pro causis de impotentia, cum exurgere possit eadem necessitas aliis in causis generalis est norma. *Peritorum opera utendum est* praescripto iuris *quoties* in eodem vel diversis iudiciis *ex iuris*, sicut in praefatis matrimonialibus *vel iudicis* secundum ipsius prudentiam *praescripto eorum* in diversis artibus « peritorum » *examen* per ipsos faciendum circa personam, locum vel rem *et votum* idest: relationem cum propria inde conclusione *requiritur* ex natura rei *ad factum aliquod* ita vel aliter (v. gr. sanationem) *comprobandum* ex his quae perseverant, *vel ad veram alicuius rei* v. gr. de incorruptione cadaveris *naturam* v. gr. in casu secundum vel ultra vires naturales, *dignoscendam* ex scientiae vel artis principiis vel doctrinis.

305. Servanda in eorum electione praescribit *can. 1793.* Et primo personam eligentem statuit § *1. Judicis est* proprium *peritos*, quorum opera requiritur in eo iudicio *eligere*, si plures adsint, *vel designare* ut iudicialiter opus praestet suum, etiamsi alius eligi nequeat.

Ita extat praescriptum pro causis matrimonialibus in Instructione S. C. Conc. de die 22 Augusti 1840. « Exhibitis notulis a partibus Iudex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem ... etc. ».

His congruit § 2. *Hanc* in §° 1 declaratam *designationem* a) *in causis mere privatis*, eo quod partibus intersunt, *iudex facere potest*, quin obligetur, *rogatu* a) *utriusque partis*, quae in eosdem concordent, *vel etiam* b) *alterutrius* tantum illum peritum offerentis aut postulantis, sive actoris sive rei, *altera tamen* parte in hunc *consentiente;* b) *in causis vero bonum publicum* directe vel quali-

tercumque *respicientibus*, et cognoscendis ex interventu alterius ex sequentibus officialibus, *audito*, etsi non consentiente, *promotore iustitiae* in causis criminalibus *aut vinculi* matrimonialis vel sacrae ordinationis *defensore*, sive adsit rogatus partium, sive non, ita ut possit iudex agere ex officio.

Quoad munerum peritorum, qui adhibendi sint pro veritatis securitate, haec decernit § 3. *Prudenti iudicis arbitrio*, cui proinde parendum est, *relinquitur* a legislatore a) *unum* solummodo b) *pluresve peritos eligere pro* uniuscuiusque *causae natura* magis vel minus gravi *et rei* elucidandae *difficultate* intrinseca vel ex circumstantiis, *nisi lex ipsa*, idest: aliquis canon *numerum peritorum* in causa illa adhibendorum *praefiniat*, quia tunc ipse iudex debet legislatoris voluntati deferre.

306. Peritorum munus quo modo sit exercendum ostendit *can. 1794. Peritorum est* edicitur *peritiam suam*, sententiam nempe pro ratione propriae artis in casu *ad veritatis* tum rei tum normarum artis *et iustitiae*, quatenus partium iura respicit illa, *leges exigere* conformem pro ipsorum peritorum diligenti studio, a) *neque falsum affirmando* contra priores, b) *neque verum* ab ipsis deprehensum *occultando* praesertim contra leges alias, atque additur sanctio, quapropter alterutrum esset delictum ad normam can. 2195, § 1, *in quo* munere sic declarato *si deliquerint* ad normam canonum Libri V, *puniantur* poenis ferendae sententiae sed determinatis (can. 2217, § 1, 1°) atque per verba praeceptiva expressis ,can. 2223, § 3), *ad normam* videlicet *can. 1743*, § 3. Huiusmodi est illud praescriptum: « si postquam responderit (per peritiam) mendax (haec) reperta fuerit, (propter can. 1797, § 1) laicus, interdicto personali, clericus suspensione plectatur ».

307. Qualitates peritorum inspiciendas enuntiat *can. 1795.* § *1. Ad periti munus* iudiciale, *ceteris* dotibus scientiae, honestatis morum, diligentiae ac conscientiae, *paribus* morali iudicio, *deligantur* inter plures, *qui competentis* iuxta normas civiles *magistratus*, nempe deputati ad hoc officio in societate, *auctoritate idonei* per testimonium *fuerint comprobati.* Unde si tales ad manus existunt sunt ad normam canonis praeferendi.

Econverso statuit § 2. *Qui a testimonio ferendo* coram tribunali *excluduntur* seu *ad normam can. 1757*, sive « ut non idonei », sive « ut suspecti », sive « ut incapaces », *ne ad peritorum quidem officium* lato sensu ecclesiasticum *assumi* legitime *possunt.* Si secus fiat, eorum peritia non valet consequenter ad can. 1758.

308. De peritorum recusatione sequitur *can. 1796*, eo quod in praecedenti canone sunt hi testibus iuridice aequiparati. Hinc

§ 1 hanc normam generalem tradit. *Easdem ob causas* in can. 1764 enumeratas ac declaratas *quibus testes, possunt* legitime *et periti* delecti *recusari* ab illis quorum intersit causa. Quod ius recusandi invenitur recognitum in Decretalibus. Nam legitur in cap. 14 « de probationibus » (II, 19) X: « recepturi postmodum non solum probationes viri, quas inducere voluerit contra mulieres illas, quae ad investigandum signa virginitatis ex parte puellae fuerunt introductae, verum etiam probationes alias hoc negotium contingentes, quas pars utralibet duxerit producendas ».

Non aliter ac in can. 1785 de testium recusatione, decernit § 2 quoad peritorum recusationem. *Iudex suo decreto edicat* post considerationem rationum pro recusatione adductarum, *utrum sit admittenda recusatio* periti proposita, *necne, et, recusatione* per hoc decretum *admissa, in locum* illius *periti recusati alium sufficiat* secundum canones praecedentes.

309. De muneris acceptatione agit can. 1797. Sicuti can. 1767 urget testem, ut iusiurandum testimonio suo praemittat, sic *can. 1797* idipsum de peritis esse intelligendum enuntiat sub § *1. Periti* delecti *demandatum* iudiciale *munus suscipere* libere *censentur* solummodo *praestatione iurisiurandi de munere fideliter* idest: ad normam can. 1794 *implendo.*

Vidimus in § 2 canonis 1767 edictum esse, quod « partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt », sed ex can. 1771 didicimus quod « examini testium partes assistere nequeunt ». Haec videtur respexisse legislatorem, dum sic exorditur § 2. *Partes non solum interesse possunt* ipsae per se « earumve procuratores », quae illos repraesentant, *iusiurandi praestationi* a peritis coram tribunali, *sed etiam executioni muneris* inspiciendi res, loca, personam, scripta, *perito demandati* in causa, sed adduntur exceptiones multiplici ex causa, nempe. *nisi aliud*, idest: abesse *rei* examinandae a) *natura* v. gr. analysis corporum quorumdam, *vel* b) *honestas exigat* v. gr. de inspiciendis virginitatis signis, *aut* c) *lex* talem absentiam *vel* d) *iudex* propter circumstantias *statuat* oppositum normae generali; unde consequenter idipsum statuere potest, et tunc eidem sicuti legi in casu parendum est.

310. Sanctio ad muneris adimplementum quod spectat, sequitur. *Can. 1798. Post iusiurandum* a perito *praestitum*, proindeque acceptato munere hoc iuxta can. 1797, § 1, *si periti* a) *intra praefinitum* a iudice *tempus* explendi peritiam, sive quoad examen, sive quoad illam in scriptis exhibendam, *mandato* praefato *non paruerint* exsecutione, *aut* b) *sine iusta causa* idest: quae ra-

tionabilis sit ac proportionata prudentis iudicio, *exsecutionem* supra declaratam *defugiant* saltem per dilationes, *tenentur* equidem iure canonico, et forsitan in conscientia quoque propter culpam theologicam *damnorum* reparandorum, quae inde sequantur.

311. Iudicis munus erga peritos ab eo delectos exponit *can. 1799*. Et primo quidem circa examen pro exhibenda peritia statuit § *1. Iudex*, sive unicus, sive collegialis, a) *attentis iis quae a litigantibus forte deducantur* in iudicium, *omnia et singula capita decreto* suo per quod demandat peritis eorum munus *definiat* seu exponat, *circa quae periti opera* requisita ad causam rite expediendam *versari debeat*. Et palam est secundum iudicis officium in causa.

§ 2 respicit periti diligentiam quandoque urgendam. *Tempus intra quod* a) *examen* rei, loci, personae *perficiendum est* a perito, ita ut ultra procrastinandum non sit illud, *et* b) *votum proferendum* seu peritia exhibenda iudici, sub conditione *si necessarium* propter urgentem causae definitionem, *vel opportunum* ob circumstantias rei aut personae examinandae, vel multiplices periti occupationes, *iudici videatur*, *potest* secundum legem *ab ipso iudice* solo a) *praefiniri* in supradicto decreto, vel postea, *et etiam*, pro sequenti vero *auditis partibus* in causa, *prorogari* tempus antea praefinitum.

312. De peritis circa calligraphiam specialiter cavet plura *can. 1800*. Et quidem talis est § *1. Si dubitetur quis scriptum aliquod* manu *exaraverit* per totum vel subscribens illud, *iudex* sic procedat: *praeter scripturam quaestioni* praedictae iudiciali *obnoxiam assignet peritis* tradens eisdem, sed *proponentibus* communi consensu *partibus* in causa, *scripturas* saltem duas alias secundum reg. iuris 40 in 6°: « Pluralis locutio duorum numero est contenta », *cum quibus*, veluti per eos certe exaratas, de quorum manu est dubium, *illa* « quaestioni obnoxia » *comparari* quoad calligraphicam formam *et conferri* quoad stylum *debeat* secundum artem huic utilem.

Cum scripturae aliae sint ab utraque parte recognoscendae uti genuinae, subditur § 2 idipsum supponens. *Si de scripturis*, non solum « quaestioni obnoxia », dicitur enim *quae sint inter se comparandae*, videlicet: aliae simul cum illa, *partes dissentiant*, num sint auctoris de quo dubitatur, num sint aptae ad comparationem efficacem, *iudex seligat* ex huius canonis praescripto, *eas* taxative, a) *quas pars ipsa* nunc dissentiens *alias recognovit* in iudicio vel extra illud, *aut* b) *quas qui accusatur*, quo verbo innuitur: *auctor scripturae controversae* ut plurimum vult celare opus a se factum, quia sit quidquam non sibi laudabile, *scripsit ut*

persona publica, fidem tunc legitime expostulans, *et* insuper *in archivis* ad illas custodiendas destinatis *aut alio publico tabulario* sic dicto, propter moralem in Ecclesia personam ad quam pertinet, vel melius propter publicam a qua dependet aliqualiter illud, *custodiuntur*, tunc enim scripturae gaudent authenticitate coram societate; *aut* c) *eius* accusati, ut supra, *subscriptiones* proinde manu scriptas, *quas ex fide notarii vel personae publicae*, idest: quas ex assertione harum personarum scripta *constet coram ipsis fuisse* illas « subscriptiones » praedictas *exaratas*.

Aliud vero contigere potest, quod respicit § *3. Quod si* a) *scripturae*, diversae ab illa quaestioni obnoxia, eo quod *a partibus* admissae *et a iudice pro comparatione* respectu illius a peritis perficienda *designatae* fuerunt iuxta praecedentes paragraphos. *peritorum* delectorum, ut supra, *iudicio*, *investigationi* ipsis demandatae *non sufficiant*, *et* b) *is cui scriptura controversa tribuitur* ab alterutra parte, vel ratione probationis alicuius, *in viris sit*, *iudex* a) *ad instantiam partis* alterutrius, *aut etiam* b) cum illa desit instantia *ex officio cum* auctorem scripturae praesumptum *citet* ex huius canonis praecepto, equidem in hunc finem: *ut* a) *manu propria* b) *coram iudice vel eius delegato* ad hunc saltem actum *scribat* c) *quidquid* a) *periti*, b) *iudex ipse*, c) *eiusve delegatus* pro uniuscuiusque disiunctivo arbitrio *dictari sunt* eidem citato.

De huius praecepti legali effectu cavet § *4. Recusatio scribendi*, sive eo quod non pareat citationi scopum innuenti, sive expressa verbis aut alio signo, b) *non probata legitima* idest: sufficiente ad mentem legum *recusationis causa*, *habetur* in iure *ut* a) *confessio genuinitatis scripturae controversae*, videlicet: quod ab eo fuerit haec exarata, sed sensu bene perpendendo, nempe: *in praeiudicium recusantis*, iuxta reg. iuris 43 in 6°: « Qui tacet, consentire videtur », quae viget, dum tacens loqui tenetur. Secus enim esset altera, nempe 44 reg. iuris in 6° sequenda: « Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur ».

313. Relatio peritorum sequentibus normis regitur. *Can. 1801.* § *1. Periti* singuli *votum suum*, nempe: propriam sententiam rationibus facti et artis fulcitam pro munere ipsis concredito a) *vel in scriptis proferre possunt* tradendis cancellariae, actuario aut tribunali, b) *vel oretenus coram iudice* qua tali; *sed* in hac solum altera hypothesi, videlicet: *si ore proferatur*, a) *statim in scriptis redigi debet* successive *a notario* seu actuario, ut in artis asservetur, b) *et a peritis* dantibus illud votum singulis *subscribi*. Nec subscriptio peculiaris actuarii vel iudicis est hic necessaria, cum notarii scriptura sufficiat ad fidem gignendam actibus.

Ad similitudinem depositionis testium, statuit adhuc § 2. *Peritus autem* in iudicio adhibitus, *praesertim si sententiam suam in scriptis protulerit*, quia facilius accidere potest sequens necessitas, sed quamvis oretenus votum suum peritus deprompserit, *accersiri potest a iudice* modo obligatorio et praecise *ut explicationes* suae peritiae vel circa obiectum examinis a se peracti, *quae ulterius necessariae videantur sibi* ex processu, *suppeditet* peritus iuxta munus susceptum.

De modo conficiendi peritiam seu votum cavet § 3. *Periti* singuli iudiciales *debent* in relatione propria *indicare perspicue* idest: manifestare distributive a) *qua via*, si plures dentur, *et* b) *ratione* quoad modum servatum *processerint in explendo munere* examinandi *sibi demandato* et haec ad factum per illos pertinent, *et* c) *quibus potissimum argumentis*, secundum principia seu regulas propriae artis applicatas circumstantiis facti per examen deprehensis, *sententia ab ipsis* singulis *prolata nitatur*. Ita enim iudex potest in conscientia sua perpendere fidem, quam peritiae ei datae merentur.

314. De diversa peritorum relatione, quae multoties accidere potest, agit legislator, dum additur *can. 1802. Periti*, quando plures eligantur ad normam can. 1793, § 3, *suam quisque relationem* in can. 1801 adimplementum *a ceteris*, altero vel aliis *distinctam conficiant*, oretenus vel in scriptis, quod ultimum canon praecipue respexit addens exceptionem: *nisi* a) *lege* ecclesiastica *non contradicente*, quia in tali hypothesi haec urgeret, b) *iudex unam* peritiam *a singulis* omnibusque peritis *subscribendam*, facientibus sic eam propriam ex condicto, *fieri iubeat*, quo casu ad hoc periti tenentur; ne vero veritas detrimentum patiatur, cavet canon: *quod si fiat*, videlicet: unica relatio declarata, *sententiarum discrimina* quoad illius diversa puncta, *si qua fuerint* inter peritos, *diligenter adnotentur*, idest: attente in calce paginae, in textu ipsius relationis, vel post ipsam ante subscriptiones.

315. De diversa peritorum sententia propter connexionem ad praecedentem statim subditur *can. 1803. § 1. Si periti* duo saltem delecti *inter se* in voto *discrepent*, *licet iudici* atque iuxta reg. 70 iuris in 6°: « in alternativis... sufficit alterum adimpleri », *aut* a) *peritioris*, quam ipsi delecti, *suffragium*, non directe quoad munus eidem deferendum, sed *super relatis*, tum in facto tum in applicatione principiorum artis, *a primis* iudicialibus *peritis* inter se discrepantibus *exquirere*, *aut* b) *novos* seu alios *de integro* cum abstractione priorum peritiarum *peritos* saltem duos *adhibere* in usum causae.

§ 2 ait. *Eadem facultas* sub littera b) declarata *iudici est quotics periti* priores singuli *post electionem* forsan acceptatam ab eis, a) *in suspicionem* de ipsorum fidelitate ac diligentia *inciderint* propter emersas rationes vel tunc deprehensas, *vel* b) *impares* pro gravitate causae *atque non idonei* propter qualitates eorum artis respectu habito ad obiectum examinis *muneri* eisdem demandato *perspecti fuerint*, quod moralem certitudinem indigitat.

316. Vis huius probationis exprimitur, quando iudici normam statuit sequentem *can. 1804. Iudex* a) *non peritorum* duorum saltem, priorum aut subsequentium ex can. 1803, *tantum conclusiones*, quas vero attendere debet, *etsi concordes*, quando nempe viderentur aequipollere depositionibus duorum testium huiusmodi, *sed* b) *cetera quoque causae adiuncta*, inter quae sunt deducenda ex aliis probationibus, *attente* pro sui muneris gravitate *perpendat*.

Immo praevie monet § 2. *Cum reddit* in sententia *rationes decidendi* ad normam can. 1874, § 1, *exprimere debet quibus* determinatis *motus* in animo suo *argumentis* quae in peritiis inveniantur vel ex eis eruantur, *peritorum conclusiones aut admiserit* impellentes ad sententiam *aut* huic forsan adversas *reiecerit*.

317. Circa expensas propter peritos adhibitos statuit *can. 1805. Peritorum* iudicialium *expensas* fortassis sustinendas itineris, victus in alieno oppido, in peritiae adimplemento factas, *et honoraria*, quae pro munere ipso debeantur, *iudex* causae illos constituens, a) *receptam* in aequali re vel simili *uniuscuiusque loci*, ubi exerceatur iudicium, *consuetudinem prae oculis habens* uti normam directivam, b) *ex bono et aequo* idest: pro prudenti compensatione *taxare debet* veluti regulam iustam ex auctoritate, *salvo* c) *iure* in peritis et in partibus *recursus* « coram eodem iudice oppositionem faciendo intra decem dies a pronunciatione circa expensas et honoraria », quia subditur *ad normam can. 1913 § 1.*

CAPUT IV.

De accessu et recognitione iudiciali.

CAN. 1806. - Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

CAN. 1807. - Iudex recognitionem peragere potest vel ipse per se vel per auditorem aut iudicem delegatum.

CAN. 1808. - § 1. Iudex, rem vel locum recognoscens, peritos adhibere potest, si ipsorum opera necessaria vel utilis videatur.

§ 2. Si periti adhibeantur, serventur, quantum fieri potest, quae praescripta sunt can. 1793-1805.

Can. 1809. - Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videatur, poterit ipse prohibere ne partes vel earum advocati iudiciali recognitioni intersint.

Can. 1810. - Iudex testes, vel ex officio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos, potest in ipso iudiciali accessu examini subiicere, si id expedire videatur ad pleniorem probationem aut ad removenda dubia ob quae recognitio decerni debuit.

Can. 1811. - § 1. Notarius diligenter curet ut constet ex actis qua die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint.

§ 2. Peractae recognitionis instrumenta tum iudex tum notarius subscribant.

318. Inscriptio capitis et eius canones. — Quia cum periti munere similitudinem habet aliud medium probationis, de isto subsequitur *Caput IV* inscriptus: *De accessu* iudicis ad locum, ubi delictum fuit patratum, vel qui dat ansam controversiae, *et recognitione*, tum sequente ipsum accessum, tum sine illo de re disceptationi obnoxia, illo atque ista *iudiciali*, quia ab ipso tribunali et iudicii motivo peracta. Ut vero haec rite procedant cum fructu, legislator dat regulas, sive pro ipso iudice talem accessum aut recognitionem decernente ac exsequente in can. 1806, 1807, quoad peritos adhibendos quandoque iuxta can. 1808, quoad interventum partium ac testium concedendum vel inhibendum vi can. 1809, 1810, ac denique munus actuarii moderando in hac iudicii parte secundum can. 1811.

319. Quo modo sit haec probatio decernenda cavet *can. 1806*. Hoc medium iudiciale iam in Decretalibus memoratur, quando Alex. III inquit [1]: « Quia indicante abbate C. comperimus, inter eum et abbatem sanctae Luciae, exortam de finibus quaestionem: agrimensoris diffinitione, illam prospeximus finiendam. Hortamur igitur, ad loca, de quibus est contentio accedentes, eam in vestra faciatis praesentia terminari: Quadraginta tamen annorum praescriptione utrique parti servata ».

Quando et qualiter sit adhibendum hoc ipsum, docet sic canon. *Si* a) *ad controversiae locum* veluti obiectum illius *iudex*, cuius prudentiae defertur in hac re, *accedere* auctoritative *atque* b) *ipsam rem controversam* ibidem vel coram tribunalis aulam, vel alibi, *inspicere* proprio sensu sui vel delegati *necessarium existimet* ad rectam diffinitionem, *decreto* idest: pronunciatione auctoritativa statuat, *quo* decreto a) *ea quae in accessu*, pro illa ergo tantum hypothesi, *praestanda sint* per quoslibet, b) *auditis parti-*

[1] Cap. 9 « de praescriptionibus » (II, 26) X.

bus, quae fortassis quidquam velint fieri, c) *summatim describat*, innuendo ea breviter.

320. Quis id perficere debeat *can. 1807* edocet. *Judex* unipersonalis, vel tribunal collegiale *recognitionem* loci, vel rei *peragere potest* iure a) *vel ipse per se* b) *vel per auditorem* secundum ipsius munus in can. 1582 declaratum, *aut iudicem* synodalem ad hoc saltem *delegatum*. Hinc praeses tribunalis collegialis vel aliud membrum hanc recognitionem rite perficit, saltem annuente tribunali.

321. Interventus peritorum admittitur, servatis normis quas continet *can. 1808*. § *1. Judex* in praec. can. declaratus, sed *rem vel locum recognoscens* actu, *peritos* pro suo iure *adhibere potest*, ut iuvent propria eorum arte, tantummodo *si ipsorum opera necessaria* pro bono recognitionis exitu *vel utilis* in se iudici *videatur*.

§ *2. Si periti adhibeantur*, in usu facultatis sub § 1, *serventur* ex canonis praescripto, sed *quantum fieri potest* ob diversitatem hypothesis nunc et prius, *quae praescripta* et declarata *sunt can. 1793-1805* in praecedenti capite, per hunc canonem ad hoc extensa.

322. Praesentia partium supponitur concessa in genere, dum *can. 1809* inhibitionem statuit veluti excipiendo. Videlicet. *Si iurgii* cuiuslibet *vel perturbationis* tum cuiusdam ex interessentibus recognitioni, tum eiusdem recognitionis, *periculum pertimescendum* ex personarum vel actus circumstantiis *iudici videatur*, *poterit ipse* iure *prohibere*, cui factae obtemperandum erit, *ne* a) *partes* etiam singulae *vel* b) *earum advocati*, imo hi ac illae simul *iudiciali recognitioni*, ubilibet haec fiat, *intersint*.

323 Alii recognitioni interessentes per exceptionem admittuntur a legislatore. *Can. 1810. Iudex* in causa *testes* saltem duos, ut ipsorum testimonium fidem faciat, a) *vel ex officio* suo *accitos* idest: praecepto citatos, *vel* b) *a partibus* singulis *ante recognitionem* exercitam *rite* seu iuxta canones *productos* pro earum iure hinc profluente, *potest*, quin obligetur, *in ipso iudiciali accessu*, nam de recognitione apud tribunal peracta iam prius manet provisum, *examini* ad normam can. 1775 *subiicere*, tantum *si id expedire* ob circumstantias *videatur* iudici a) *ad pleniorem* in causa *probationem aut* b) *ad removenda dubia* fortassis ex testimoniis orta *ob quae recognitio* localis *decerni debuit*, quibus verbis innuitur exemplum necessitatis a can. 1806 requisitae.

324. Munus actuarii in hac recognitione descripsit *can. 1811*. *Notarius* ad acta iudicialia a) *diligenter curet* ratione sui officii sub can. 1585 declarati, b) *ut constet* sufficienter *ex actis* causae c)

qua die et hora recognitio localis *facta sit*, d) *quae personae*, tum recognoscens, tum aliae, sive periti, sive partes, sive earum advocati, sive testes sint, e) *quae* demum, *recognitione* dicta *durante*, *aut dicta* per illos *aut peracta* per quoscumque ad recognitionem pertinentia, *aut a iudice* solo *decreta sint*, nempe: ipsius iudiciales pronunciationes.

Ad quorum fidem § 2 statuit. *Peractae recognitionis* idest: sub finem ipsius *instrumenta*, tum acta notarii iuxta § 1, tum alia v. gr. delineationes vel relationes peritorum summariae, *tum iudex tum notarius* de quo in § 1° *subscribant* ex legis praecepto.

CAPUT V.

De probatione per instrumenta.

Art. I. — *De natura et fide instrumentorum.*

Can. 1812. - In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

Can. 1813. - § 1. Praecipua documenta publica ecclesiastica haec sunt:

1.° Acta Summi Pontificis et Curiae Romanae et Ordinariorum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, itemque attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel eorum notariis;

2.° Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta;

3.° Acta iudicialia ecclesiastica;

4.° Inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis Curiae vel paroeciae, vel religionis, et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis vel Ordinariis, vel notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica.

§ 2. Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.

§ 3. Litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, privatorum documentorum numero habentur.

Can. 1814. - Ducumenta publica sive ecclesiastica sive civilia genuina praesumuntur, donec contrarium evidentibus argumentis evincatur.

Can. 1815. - Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad instar causae principalis.

Can. 1816. - Documenta publica fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur.

Can. 1817. - Documentum privatum, sive agnitum a parte sive recognitum a iudice, probat adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab eis habentes, perinde ac confessio extra iudicium facta; sed per se non habet vim probandi adversus extraneos.

Can. 1818. - Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, iudicis est aestimare an et quanti huiusmodi documenta facienda sint.

325. Inscriptio Capitis, distributio et inscriptio articuli primi. — Praeter probationem testium, qui se sistunt coram iudice,

adest probatio eorum, qui de factis antiquis testimonium post illorum existentiam reliquerunt. Hinc praecedentia capita subsequitur *Caput V* inscriptum *De probatione* facti equidem iudiciali *per instrumenta* uti medium quo illud describitur cum sufficienti ad fidem testimonio. Illa instrumenta per se extant et praesupponuntur iudicio ac sunt per se eidem extranea. Unde profluit logica distributio in duos articulos. Quorum *Art. I* considerat in seipsis illa instrumenta quoad naturam et fidem quam merentur, propterea inscriptus *De natura et fide instrumentorum.*

Septem complectitur canones. Statuto prius principio de instrumentis, quae iudiciis deserviunt, distinctionem ipsorum tradit can. 1813 post can. 1812. De fide ipsorum intrinseca est principium in can. 1814 enunciatum, dum illa in iudicio considerantur per sequentes canones. Et primo relationem eorum ad principalem causam respicit can. 1815, atque sequuntur normae de fide apud tribunalia sectanda documentorum tum publicorum, tum privatorum, tum utrorumque casu quo defectum in eisdem materialiter deprehendatur.

326. Principium de hac probatione sequitur. *Can. 1812. In quolibet iudicii genere*, videlicet: contentioso vel criminali, persequente ius sive proprietatis sive possessionis, vel directo ad declarationem facti iuridici, spirituali vel temporali, *admittitur* in foro Ecclesiae iudiciali *probatio* libere exhibita *per documenta*, scripta videlicet quae mentem edocent de aliqua re, *tum publica tum privata*, indifferenter ad hoc quod spectat, et quarum distinctio patet statim in seq. canone.

327. Enumeratio documentorum sic exhibetur. *Can. 1813. § 1. Praecipua*, quod verbum supponit alia existere minoris momenti vel praxis, *documenta publica ecclesiastica*, sic dicta propter ipsorum obiectum et praesertim ratione exarantis ea, quia est persona apud Ecclesiam recognita uti faciens fidem, *haec sunt*:

1°. Acta Summi Pontificis quae ab eodem promanant, etsi forsan ab administris subscripta loco eiusdem, *et Curiae Romanae*, seu singulorum dicasteriorum, quibus haec constat secundum can. 242, *et Ordinariorum* ad normam can. 198, § 1, b) *in exercitio suorum munerum* iuxta diversa iura et obligationes, c) *authentica forma* propter sigillum et subscriptionem *exarata, itemque* loco eorum *attestationes authenticae* ut supra *de iisdem actibus* etsi summarie recensitis *datae scripto* a) *ab illis* auctoribus *vel* b) *eorum* ex institutione *notariis* ad fidem adstruendam circa eadem designatis;

2° *Instrumenta*, quae aliquem iuridicum actum scripto perficiunt, vel saltem testificantur, *a notariis ecclesiasticis* propter auctoritatem, qua sunt instituti, *confecta;*

3°. *Acta iudicialia* quaelibet sive processus sive causae, dummodo *ecclesiastica* propter forum, propter publicam personam actuarii, « quam iudex semper adhibet tam in ordinario, quam in extraordinario iudicio, qui fideliter universa iudicii acta conscribat » [1].

4°. *Inscriptiones* ad normam can. 470, § 1, conscriptae singulae *baptismi, confirmationis*, ad normam can. 1010 « notatae in peculiari libro » *ordinationis, professionis religiosae* cuiuslibet in documento subscripto ad normam can. 576, § 2, *matrimonii, mortis, quae habentur* ex illorum canonum praescripto *in regestis* seu libris ad haec diversa adnotanda *Curiae* dioecesanae vel abbatialis, quoad ordinationes, *vel paroeciae* quoad cetera alia, si excipias professionem religiosam pro qua subditur *vel religionis, et* pariter *attestationes* de his singulis actibus ecclesiasticis *scriptae* manu vel instrumento *ex iisdem* saltem quoad sensum *desumptae et a parochis* ex libris paroecialibus, *vel Ordinariis* ad normam can. 198 § 1, ex aliis libris pro diversitate actuum et Ordinariorum, *vel notariis ecclesiasticis* ad haec singula legitimis *confectae aut earum* tam inscriptionum, quam attestationum *exemplaria* forsan multiplicata, dummodo sint *authentica* propter sigillum et subscriptionem competentis personae publicae. Sic enim legitur in cap. 16 « de fide instrumentorum » (II, 22) X: « Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam iustam causam exemplari petantur: Coram ordinario iudice vel delegato ab eo specialiter, praesententur: qui si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa praecipiat exemplari, eamdem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura ».

De his exemplaribus valet quod de innovatione privilegiorum simili decernit Innoc. III his verbis [2]: « praedicta privilegia quasi iam nimia vetustate consumpta, cum fuerint non pergameno, sed in papyro conscripta, duximus innovanda: nolentes quod ex innovatione huiusmodi novum ius monasterio acquiratur, sed antiquum (si quod habet) per innovationem privilegii conservetur ».

§ 2 innititur cap. 9 « de fide instrumentorum » (II, 22) X: « Super tertio vero articulo respondemus quod si consuetudo illius patriae obtinet approbata, ut instrumentis illius regis fides adhibeatur, vos ea secure poteritis admittere, praesertim cum su-

[1] Cap. 6, tit. XIX, lib. II. — [2] Cap. 4 « de confirmatione utili vel inutili » (II, 30) X.

praedictus rex tantae fuerit honestatis, quod ipsius instrumenta maximae auctoritatis sint in partibus Scoticanis ». Sic in novo iure innovationem adhibente propter hodiernos mores Codicum civilium diversa fortassis statuentium. *Documenta publica*, eo quod ad publicam fidem faciendam valent, *civilia* videlicet: in foro societatis civilis, *ea sunt*, et sic admittenda in foro Ecclesiae, *quae secundum uniuscuiusque loci*, sive regnum, sive respublica sit, sive status, *leges* idipsum moderantes *talia iure censentur*.

§ 3. *Litterae* etiam genuinae, *contractus*, quamvis legitime initi, *testamenta* holographa vel secundum leges, *et scripta quaelibet*, dummodo singula sint *a privatis* personis, seu absque auctoritatis fortassis possessae exercitio *confecta*, *privatorum documentorum*, quae publicam fidem non merentur ex se, *numero habentur* in foro Ecclesiae.

328. De genuinitate instrumentorum agit *can. 1814*. In cap. 11 « de praesumptionibus » (II, 23) invenimus rescriptum: « praesertim si praescriptum instrumentum ab eo conditum fuerit, qui officium suum fideliter adimplevit. » Norma vero sequenda huic dignoscendae conditioni sequens est. *Documenta publica*, eo quod signa referunt personae ad ea redigenda competentis *sive ecclesiastica*, quae novimus ex can.s praec.s § 1, *sive civilia* ad normam § 2 in can. cit. *genuina*, seu illum habere revera auctorem, qui eadem subscribit, *praesumuntur*, seu id pro vero habetur ex canonis huius praescripto, attamen cum praesumptione iuris, eo quod additur: *donec contrarium*, non quibuslibet, sed *evidentibus argumentis*, quae nempe moralem certitudinem ingerant, *evincatur*.

329. Iudicium de genuino documento potest maximi esse momenti propter vim probandi ex illo profluentem. Propterea *can. 1815* eruit distinctionem subintellectam in cap. 6 « de exceptionibus » (II, 25) X. Sic enim scriptum est: « Licet autem nimis excesserit, quod transcriptum illius instrumenti falsavit: quia tamen delictum personae in damnum ecclesiae redundare non debet: ac non solum ante sententiam, verum etiam post, obiici potest exceptio falsitatis: cum falsorum instrumentorum praetextu lata sententia, usque ad viginti annorum spatio valeat retractari veritate comperta ». Hinc patet norma sequens. *Recognitio aut impugnatio scripturae* praesertim publicae, quod videlicet: sit genuina, vel legitime confecta, vel secundum rei veritatem, aut contra non sit, nitatur quis evincere, *proponi potest in iudicio* a parte cuius intersit, *tum incidenter*, ad modum exceptionis contra illam, ad elidendam vim eius probationis, *tum ad instar causae principalis*, quatenus iudicium criminale versetur de falsitate in

huiusmodi scripturam patrata, vel iudicium praecipue pendeat solvendum ex tali scriptura fundante obligationem vel ius de quibus disceptatur.

330. Vis documenti publici ad probandum explicatur secundum illius naturam, quia ad hoc per legitimam personam et secundum canonum seu legum formam conficitur. En igitur *can. 1816. Documenta publica*, sive ecclesiastica, sive civilia, *fidem faciunt* prout est ipsorum proprium, sed in foro quoque Ecclesiae vi huius canonis, verumtamen *de iis quae* a) *directe* tanquam ex professa intentione illa redigentis, v. gr. de contractu per illud effecto, de actu baptismatis validi atque huiusmodi ordinationis, *et* b) *principaliter* v. gr. de confirmationis administratione, non de dignitate ministri, quae ibi adiungatur, *in eisdem* c) *affirmantur*, etamsi per negationem exprimantur, v. gr. de matrimonio conscientiae, nullis adstantibus parentibus, celebrato.

331. De vi documenti privati excipit logice praecedentem *can. 1817. Documentum privatum*, idest: « scripta a privatis confecta » (can. 1813, § 3), utpote ipsorum assertiones extraiudiciales, a) *sive agnitum a parte* idest: ab actore vel reo et in iudicio veluti auctore illius, *sive* b) *recognitum* qua partis opus *a iudice* propter rationes intrinsecas scripto vel extrinsecas, *probat*, quia non est praesumendum in casu mendacium, *adversus* a) *auctorem* propter scripturam *vel* b) *subscriptorem*, qui facit sic proprium documentum, *et* c) *causam ab eis habentes* vi illius scripturae, eo quod pro veritate debuit obsistere in casu, *perinde ac confessio extra iudicium facta*, talis enim est conditio scripturae ipsius; *sed per se* nempe: cum abstractione circumstantiarum specialium, quae contrarium probent, *non habet vim probandi* ullam *adversus extraneos*. Secus possent homines nocere sic aliis, quin isti multoties sibi ipsis prospicere possent.

332. De documentorum defectibus perpendendis in ordine ad eorum vim probandi, agit *can. 1818* tradens normam possibilem in re tam variabili, innixus sententiae cap. 9 « de crimine falsi » (V, 20) X: « Verum litteras ipsas, quae redargutae fuerant falsitatis, diligentius intuentes, nullum in eis falsitatis signum, vel suspicionis invenimus, nisi paucarum litterarum rasuras, quae nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt ».

Igitur: *Si abrasa* tantum in aliqua parte, vel postea superscribendo, *correcta* uti pateat ex prioribus litteris relictis vel aliter, *interpolata* cum adiectione alicuius verbi, numeri v. gr. inter lineas scripturae *aliove vitio* v. gr. in filo bullarum, in membrana ipsarum, prouti plura vitia huiusmodi recenset Innoc. III in cap. 5

cit. tit. *documenta* praesertim publica *infecta*, quia nocere videantur eorum genuitati ac fidelitati, *demonstrentur* humano modo ac prudenti esse taliter vitiosa, *iudicis est* vi huius canonis *aestimare* ad effectum iudicii et in singulis casibus *an et quanti* idest: circa vim probandi *huiusmodi* vitiosa *documenta facienda sint*.

Exempla iudicis directiva desumi possunt aliqua ex textibus citatis apud fontes Codicis.

ART. II. — *De productione documentorum et actione ad exhibendum.*

CAN. 1819. - Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.

CAN. 1820. - Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in iudicio deponenda, ut a iudice et ab adversario examinari possint.

CAN. 1821. - § 1. Si dubium excitetur utrum fideliter exscriptum sit exemplar, an non, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio decernere potest, ut ipsum documentum exhibeatur, unde exemplar est desumptum.

§ 2. Si id fieri aut minime aut valde difficulter possit, iudex potest auditorem delegare aut loci Ordinarium rogare pro examine et collatione documenti, praescribens quibus de articulis et quemadmodum fieri debeat collatio; collationi vero utraque pars assistere potest.

CAN. 1822. - Documenta communia quaeve de communi agunt negotio, ut testamenta et instrumenta quae respiciunt successiones, bonorum partitiones, contractus aliaque huiusmodi de quibus lis est inter partes, quilibet ex litigantibus potest postulare ut in iure exhibeantur ab ea parte quae illa possidere dicitur.

CAN. 1823. - § 1. Nemo tamen exhibere tenetur documenta, etsi communia, quae communicari nequeunt sine periculo damni ad normam can. 1755, § 2, n. 2 aut sine periculo violationis secreti servandi.

§ 2. Attamen si qua saltem documenti particula, quam produci intersit, describi possit, et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem exhibeatur.

CAN. 1824. - § 1. Si pars exhibere recuset documentum de iure producendum, quod ipsa fertur possidere, iudex, altera parte postulante, auditoque, si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia statuat, an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit.

§ 2. Parte parere recusante, iudicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit.

§ 3. Quod si pars documentum apud se esse neget, iudex poterit eam examini subiicere et ad iusiurandum de ea re praestandum adigere.

333. Inscriptio articuli ac ordo canonum. — Cognita vi documentorum, quatenus haec sunt probationes ante iudicium extantes, quae ad facta evincenda fidem pariunt, sequitur eadem exhibenda esse in iudiciis ad hoc ut actis inserantur, atque deserviant ad

decidendam causam. Hinc sequitur *Art. II* inscriptus *De productione documentorum*, quia in eo dantur regulae circa eam. Quia vero documenta possunt inveniri sub illius possessione contra quem probant, ac proinde hic celare ipsa curabit adversando eorum naturae pro fide factorum conditae, datur remedium iudiciale, quod exprimitur sub inscriptionis verbis *et actione* partis non habentis ea *ad exhibendum* equidem coram iudice.

Ex canonibus sex, quibus conflatur articulus, tres priores respiciunt documenta producenda, videlicet: qualiter ut « vim probandi » exerant, et hoc decernit can. 1819, de authentica illorum forma cavet can. 1820 et can. 1821 considerat dubium de hoc, si quando emergat. Ad actionem vero quod attinet statuit can. 1822, quantum se extendat actio illa, cui subnectit can. 1823 exceptiones seu limitationes illius iuris, dum can. 1824 ultimus iudici normam agendi hac in causa incidentali promulgat.

334. Documenta in iudicio producenda plene designantur in *can. 1819* referente antiquum Decretalium ius « de fide instrumentorum » in tit. 22 Lib. II. Ait enim Gregorius (cap. 1) « Si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil agere possumus ». De illa vero loquitur Alex. III in cap. 2 dicens: « Scripta vero authentica, si testes inscripti decesserint (nisi per manum publicam facta fuerint, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possunt probari) non videntur nobis alicuius firmitatis robur habere. »

De exemplaribus autem sic decernit Greg. IX in cap. 16. « Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam iustam causam exemplari petantur: Coram ordinario iudice vel delegato ab eo specialiter, praesententur: qui si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata repererit, per publicam personam illa praecipiat exemplari, eandem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura. »

Tenor vigentis legis ecclesiasticae talis est. *Documenta* iuxta eorum naturam et fidem ex art.° praecedenti, *vim probandi* facta controversa *in iudicio* ecclesiastico *non habent*, seu tali destituuntur effectu in cit. art. declarato, *nisi* a) *originalia sint*, nempe: qualiter fuerunt exarata dum conderentur, *aut*, quod in idem recidit vi cap. 16 supra citati, b) *in exemplari* seu transumpto illius *authentico*, eo quod sit exaratum manu publici notarii civilis aut ecclesiastici, pro natura documenti, vel saltem subscripta iuxta leges aut canones de notariis, v. gr. can. 373, 374, *exhibita* sub alterutra forma, *et penes tribunalis cancellariam* ubi asservantur acta in cursu discussionis *deposita*, sed ab his exhibitione et depositione

datur limitatio sequens huius regulae: *exceptis documentis quae publici iuris sunt*, eo quod publica recognitione in Ecclesia potiuntur, seu in confesso sunt apud peritos, ac ponitur exemplum similitudinis: *ceu leges* civiles aut ecclesiasticae, dummodo *rite promulgatae* sint. Est exceptio haec derivata ex reg. 31 iuris in 6°: « Eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet », nam iudex noscere debet « quae publici iuris sunt », aut sufficit ad hoc eadem citare.

335. Finis exhibitionis ostenditur praescribendo in *can. 1820*, ad mentem cap. 7 « de privilegiis » (V, 7) in 6°. Ibidem Bonif. VIII statuit: « ut hi qui se asserunt, per privilegia seu indulgentias Apostolicae Sedis exemptos: a locorum Ordinariis requisiti, huiusmodi privilegia vel indulgentias, quibus se dicunt fore munitos, ipsis ordinariis in loco congruo et securo, aliquibus prudentibus viris omni suspicione carentibus, ad hoc per dictos ordinarios deputatis, infra terminum competentem pro facti qualitate ipsorum ordinariorum, vel delegatorum suorum arbitrio moderandum, iusto impedimento cessante ostendere, aç ad legendum integraliter exhibere: necnon de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere teneantur ».

Quoad forum iudiciale sic decernitur. *Documenta*, sive originalia sive in exemplari, sed *in forma authentica*, quae nempe fidem publicam exigat propter subscriptiones ceterasque legis formalitates de illis, a) *sunt exhibenda et* b) *in iudicio deponenda*, prout in can. praec. manet declaratum, *ut* a) *a iudice et* b) *ab adversario*, cuius interest, ut supponitur, *examinari possint*, tum de authenticitate et genuinitate, tum de ipsorum contextu.

336. De exemplari exhibito probabilem difficultatem considerat *can. 1821*. Etenim ait § *1. Si dubium exciletur* a iudice vel praesertim a parte post examen subsequutum vi can. 1820, *utrum fideliter exscriptum sit exemplar, an non*, non obstante ipsius authentica forma, equidem propter graves intrinsecas rationes, *iudex* a) *ad instantiam partis* in causa *vel* b) *etiam ex officio*, quamvis nempe non requisitus fuerit, *decernere potest* iubendo, *ut ipsum documentum* originale *exhibeatur* in iudicio adversus facultatem per can. praecedentes concessam, *unde exemplar* depositum *est desumptum* per transcriptionem.

§ 2 providet ulterius ad casum. *Si id*, nempe ipsius declarati documenti exhibitionem *fieri aut* a) *minime*, v. gr. quia extrahi ex loco ubi est, non permittitur, *aut* b) *valde difficulter possit*, v. gr. quia eiusdem delatio magnas expensas exigeret, *iudex* vi huius canonis *potest* a) *auditorem delegare* pro sequenti iudiciali

actu, *aut* b) *loci*, ubi documentum illud extat, *Ordinarium* (can. 198, § 2) *rogare* quoad modum expostulandi, sed hic debet saltem per alium a se delegatum illi deferre, *pro examine* ad deprehendendam veritatem *et collatione documenti* cum exemplari, non integraliter, quia iudex simul est *praescribens* a) *quibus de articulis* circa obiectum *et quemadmodum* circa modum *fieri debeat collatio* declarata; *collationi vero* huiusmodi *utraque* distributive *pars* iure *assistere potest* pro libitu.

337. De exhibitione quorumdam documentorum, nempe quae communia appellantur, agit *can. 1822. Documenta* iam declarata *communia* ratione rei de qua agitur, quae utilitatem affert utrique parti, *quaeve* hoc sensu *de communi agunt negotio*, adduntur que exempla: *ut testamenta*, quorum plures sunt legatarii vel haeredes, *et instrumenta* eo quod in eis constant, seu *quae respiciunt* a) *successiones* in titulis honorificis vel in bonis, aut officiis praedecessorum, b) *bonorum partitiones* ex effectu testamentorum, c) *contractus* quorumcumque d) *aliaque huiusmodi*, quia illa non taxative sunt expressa, *de quibus* obiectis documentorum *lis est inter partes*, ac proinde in iudicio, *quilibet ex litigantibus* tam actor quam reus, vel unus ipsorum, quando sint plures, *potest* iure *postulare* a tribunalis praeside vel a iudice *ut in iure* idest: apud tribunal *exhibeantur* praefata documenta *ab ea parte quae illa possidere dicitur.*

Hoc supponit Greg. IX admittens sequentem appellationem, de qua agit cap. 12 « de fide instrumentorum » (II, 22) X: « quia dicti iudices copiam quorundam instrumentorum communium, quae habebat pars altera, et per quae intendebat intentionem suam super principali fundare, fieri non faciebant eidem hoc cum instantia postulanti, nostram audientiam appellavit ».

338. Limitatio praescripti ex cap. 1 « de probationibus » (II, 19) X, sed generaliter ob illius motivum statuitur. Respondet enim Greg. Tancredo regi Vincestriae: « Tua excellentia postulavit, ut Imperatori scriberem, quatenus pacta in carthophylacio requireret, quae dudum inter Iustinianum principem et praedecessores tuos fuerunt emissa, ut ex his colligeret, quid tibi servare deberet. Sed ad hoc faciendum vehementer obstitit, quia nulli dicendum est: ea quae contra se sunt, apud temetipsum debes documenta requirere, in mediumque proferre ».

Plenius tradit normam *can. 1823. Nemo tamen* absque personarum distinctione *exhibere tenetur* vi can.s praec.s *documenta* quaelibet, *etsi communia* de quibus ratio quaedam ex ipsorum natura urgeri posse videtur, *quae communicari nequeunt* alteri

saltem parti, a) *sine periculo damni*, scilicet: « infamiae, periculosarum vexationum, aliorumve malorum valde graviorum » « sibi vel consanguineis vel affinibus in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis », idest: *ad normam can. 1755*, § 2, *n.* 2, *aut* b) *sine periculo violationis secreti* ad normas sanae theologiae etiam in hoc casu *servandi*.

Haec tamen exceptio non esset urgenda, ut patet, casu quo et probatio per documenta huiusmodi obtineri possit, vitando praefata inconvenientia. Propterea decernit § 2. *Attamen si qua saltem documenti particula*, maior vel minor, *quam produci* ad probationem *intersit* parti contrariae, a) *describi* ex documento *possit, et* b) *in exemplari* equidem sub forma authentica exarato, *exhiberi* in iure *sine memoratis* sub duabus litteris a) et b) in § 1° *incommodis* gravibus, *iudex*, ad quem pertinet de hypothesi iudicare, *decernere* praecepto *potest* ex concessione canonis *ut eadem* particula modo praefato *exhibeatur*. Unde, excipere potest inconveniens in casu iuxta praescriptum § 1, 1°, et tunc probato inconvenienti liberatur ab exhibendo qualitercumque documento, nisi iudex utatur hac potestate sua vi § 2.

339. De recusatione documenta exhibendi duplex casus occurrere potest, videlicet: illam accidere de documento apud recusantem existente, vel econtra illam necessario fieri ob illud non possessum. Per diversas paragraphos tradit regulas *can. 1821*. § 1. *Si pars* actor vel reus a) *exhibere* apud tribunal *recuset documentum de iure* seu praescripto canonum huius capitis *producendum*, b) *quod ipsa fertur possidere*, tanquam conditio ad exhibitionem postulandam, sed quod revera sit in eius possessione, *iudex* seu tribunalis praeses, a) *altera parte* cuius intersit *postulante*, quia de causa agendum est incidenti, b) *auditoque* solummodo, *si opus sit* propter naturam principalis causae, *promotore iustitiae vel vinculi defensore*, quatenus alteruter interveniat, *interlocutoria sententia* ad normam can. 1869, 1875 exacta *statuat* veluti eiusdem obiectum, *an et quomodo* v. gr. forsan quoad particulam, vel tantum iudici, *eiusdem documenti exhibitio* recusata *facienda sit* ministerio iudicis cui parere in casu pars iure teneatur.

Hinc prosequitur § 2. *Parte parere* sententiae interlocutoriae *recusante*, *iudicis est aestimare* quoad probationem huiusmodi *quanti* momenti *haec recusatio facienda sit* pro causae principalis definitione.

§ 3 respicit alteram hypothesim. Videlicet: *Quod si pars* ut supra *documentum* « de iure producendum » ex § 1° *apud se* « ut fertur possidere » *esse neget*, *iudex poterit* vi huius canonis

a) *eam examini* de assertionis veritate *subiicere et* b) *ad iusiurandum de ea re* nempe: « se non possidere documentum » *praestandum adigere* idest: poenis quoque obligare.

CAPUT VI.

De praesumptionibus.

CAN. 1825. - § 1. Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur; alia hominis, quae a iudice coniicitur.

§ 2. Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.

CAN. 1826. - Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.

CAN. 1827. - Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam; qua non probante, sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio.

CAN. 1828. - Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat.

340. Inscriptio capitis est eadem ac rubrica tituli 23, Lib. II Decretalium. Hinc patet inter probationes iudiciales iam ab antiquo enumeratas fuisse quasdam saltem praesumptiones. Cum enim facta multa remaneant sub dubio, sed ex moribus hominum habeantur axiomata, quae fulcimento experientiae contineant ut in pluribus veritatem, eadem assumuntur in casibus particularibus, nisi exceptio axiomatis comprobetur. Hoc requiritur pro sociali hominum vita non relinquenda in pluribus sub dubio. Idipsum exprimit reg. iuris 45 in 6°: « Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit ».

341. Canones huius capitis hunc ordinem servant. Definitionem praesumptionis ac distinctionem exhibet can. 1825, et diversa earum vis decernitur can. 1826. Effectus praesumptionum in iudicio statuuntur can. 1827, quem subsequitur can. 1828 normam praescribens iudici hac de re.

342. Definitio ac distinctio praesumptionis authenticae ac iuridicae sunt hae. *Can. 1825. § 1. Praesumptio*, quia sumitur praevie uti verum, *est rei* de facto *incertae* adhuc cognitione directa *probabilis* idest rationabiliter fundata *coniectura*, nempe: quod illa res sit vere hoc vel illo modo: *eaque* sic definita « praesumptio *alia* est (iuxta ipsius definitionem sequentem) *iuris*, et sic proprie vocatur ab antiquo, *quae ab ipsa lege statuitur; alia* pariter est ac vocatur *hominis*, *quae a iudice*, eo quod de praesumptionibus ad usum iudiciorum agitur, *coniicitur*.

Exemplum huius valde cognitum datur nobis a Salomone in parabolis. Sic refertur in cap. 2 « de praesumptionibus » (II, 23) X: « Afferte mihi gladium: Cumque attulissent, ait; dividite infantem vivum, et date dimidiam partem uni (ex matribus inter se contendentibus coram eo iudice), et dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier cuius filius erat vivus ad regem (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) obsecro domine, date illi infantem vivum, et non occidatur: econtrario alia dicebat: nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur. Respondit rex, et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur, haec est enim mater eius ».

Exemplum praesumptionis iuris affert regula 8 in 6°: « Semel malus, semper praesumitur esse malus ».

§ 2. *Praesumptio iuris*, seu per ipsam legem statuta, *alia est iuris simpliciter* hoc est: tantum seu absque addito, *alia* dicitur *iuris et de iure* taxative, quae postrema verba innuunt per eandem ius dari secundum illam. Prioris exemplum affertur in cap. 16 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « vobis taliter respondemus, quod cum ex depositionibus testium praedictorum constiterit sententiam a iudice suo prolatam: propter auctoritatem iudiciariam, praesumi debet omnia legitime processisse ». Alterius vero accipiamus quod in cap. 15 cit. tit. habetur: « Taliter duximus respondendum, quod cum post decem dierum spatium, sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae: qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit: cum per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse: praesertim ubi causa non redditur appellandi ».

Definitiones vero harum praesumptionum, eo quod ab Auctoribus ex diverso earum effectu iuridico traditur, Codex indigitat in sequenti canone.

343. Effectus praesumptionis iuris pro huius diversitate sic exprimitur iuri antiquo ac explicationi Doctorum conformis. *Can. 1826. Contra praesumptionem iuris simpliciter* iam declarata *admittitur* in foro iudiciali *probatio*, quae afferatur, *tum directa* pro praesumptionis exceptione in casu *tum indirecta* quae respicit factum praesumptionis fundamentum, eo quod receptum axioma huic praesumptioni plene applicatur: « praesumptio debet cedere veritati » in foro etiam externo; *contra praesumptionem iuris et de iure*, quia legislator sic statuit firmum ius, *tantum indirecta* « admittitur probatio », *hoc est* ut antea retulimus *contra factum quod est praesumptionis fundamentum*, quatenus ex illo fit coniectura probabilis per legem.

Hinc sumitur norma, ut dignoscatur quaenam ex his praesumptionibus iure decernatur. Etenim dum Clemens III ait [1]: « et tanta sit iudicialis auctoritas, ut semper pro ipso (iudice) praesumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitime comprobetur », unde praesumptio iuris simpliciter exhibetur, econtra Clem. V in Conc. Vienn. [2] statuit: « Litteris nostris, quibus nos dignitates quaslibet seu beneficia collationi nostrae, vel Sedi Apostolicae reservasse, aut resignationem beneficii alicuius recepisse, seu recipiendi potestatem alii commisisse, vel aliquem excommunicasse, seu suspendisse, seu aliquem cappellanum nostrum vel familiarem fuisse, vel alia similia, super quibus gratia vel intentio nostra fundatur, fecisse narramus, censemus super sic narratis fidem plenariam adhibendam: volentes ad praeterita et pendentia (etiam per appellationem) negotia hoc extendi ».

344. Alter effectus enuntiatur in cap. 16 « de praesumptionibus » (II, 23) X: « Causam vobis duximus committendam, ita ut ex illa clausula, scilicet: si persona fuerit idonea, quae nostro rescripto reperitur inserta eidem scholari probandi se idoneum nulla necessitas imponatur, cum prima facie praesumatur idoneus: nisi aliud in contrarium ostendatur ».

Huic et communi doctrinae Auctorum iuris concordat *can. 1827* sic statuens: *Qui habet pro se* idest: pro sua assertione iudiciali *iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi* quod sic expressit con. 1748 in § 1°: « Onus probandi incumbit ei qui asserit », prout ibidem fuit declaratum, *quod* onus proinde, velut canonis citati exceptio, *recidit in partem adversam*, quae deberet falsitatem suppositae assertionis probare: hinc statim additur tertius effectus: *qua* parte adversa *non probante, sententia*, circa quaestionem hoc motivo decidendam, *ferri debet* sic iubente canone *in favorem partis* actoris vel rei *pro qua stat praesumptio*, etiamsi haec sit iuris tantum.

345. De praesumptionibus facti libertatem iudicis circumscribit *can. 1828. Praesumptiones, quae* comprehendantur sub definitione in can. 1825, § 1 data, sed « hominis », eo quod *non statuuntur a iure* vigente, *index* quilibet *ne coniiciat* circa rem incertam, *nisi* a) *ex facto certo* propter probationes seu moraliter *et determinato* in eius circumstantiis, b) quod fundamentum coniecturae *cum eo de quo controversia est* secundum praesumptionem diffinienda, *directe cohaereat*, idest: naturali connexione ad invicem devinciantur illa duo facta.

[1] Cap. 6 « de renunciatione » (I, 9) X. — [2] Cap. un. « de probationibus » (II, 7) in Clem.

CAPUT VII.

De iureiurando partium.

CAN. 1829. - Si habeatur semiplena tantum probatio nec alia probationis adiumenta iam supersint et iudex aut iubeat aut admittat iusiurandum ad probationes supplendas, hoc iusiurandum dicitur *suppletorium*.

CAN. 1830. - § 1. Huic iuriiurando vel maxime locus est cum adiuncta, quae civilem vel religiosum personae statum respiciunt, aliter comperiri nequeunt.

§ 2. Sed eodem abstineat iudex tum in causis criminalibus, tum in contentiosis, si de iure vel re magni pretii agatur aut de facto nimii momenti, aut si ius, res, factum non sit proprium personae cui iusiurandum esset deferendum.

§ 3. Deferri autem hoc iusiurandum potest sive ex officio, sive ad instantiam alterius partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, si iudicio intersint.

§ 4. Regulariter deferatur ei qui pleniores habet probationes.

§ 5. Iudicis tamen est decreto definire an et quando adiuncta concurrant, cur iusiurandum suppletorium deferri debeat.

CAN. 1831. - § 1. Pars cui iusiurandum suppletorium defertur in rebus quae ad eius statum civilem vel religiosum non pertinent, potest ex iusta causa illud recusare vel in adversarium referre.

§ 2. Quanti autem haec recusatio facienda sit, utrum iusta sit, an potius confessioni aequiparanda, iudicis est aestimare.

§ 3. Iusiurandum suppletorium, ab una parte praestitum, potest ab altera impugnari.

CAN. 1832. - Si de iure ad damni reparationem constet, sed quantitas damni aestimari certe non possit, iudex potest parti quae damnum passa est, iusiurandum deferre, quod *aestimatorium* dicitur.

CAN. 1833. - In deferendo iureiurando aestimatorio:

1.° Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat;

2.° Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iusstitiae consulatur.

CAN. 1834. - § 1. Non solum ante initam litem partes convenire possunt ut controversia per iusiurandum ab alterutra praestandum transigendo dirimatur, sed pendente quoque lite et in quolibet eius momento et statu, altera pars potest, iudice probante, alteri iusiurandum deferre, ea conditione ut quaestio, sive principalis sive incidens, secundum iusiurandum decisa habeatur.

§ 2. Iusiurandum huiusmodi dicitur *decisorium*.

CAN. 1835. - Decisorium iusiurandum deferri nequit, nisi:

1.° De re, in qua cessio et transactio admittitur, et quae pro litigantium personis non sit nimii momenti seu pretii;

2.° Ab eo qui cedere aut transigere potest;

3.° Ei, qui cedere vel transigere valet, quique pariter pro se non habeat plenam probationem;

4.° De mera notitia facti aut de facto, quod proprium sit illius, cui iusiurandum defertur.

CAN. 1836. - § 1. Hoc iusiurandum potest a parte, a qua delatum est, revocari quousque praestitum non fuerit, et ab altera parte acceptari et praestari, vel minus aut referri in adversarium.

§ 2. Praestito iureiurando, quaestio secundum iuratam formulam finita est, perinde ac si cessio aut transactio iudicialis intercessisset.

§ 3. Si iusiurandum recusetur nec referatur in adversarium, iudicis est aestimare quanti facienda sit recusatio, utrum iustis innitatur causis an potius confessioni sit aequiparanda.

§ 4. Si in adversarium referatur, hic debet illud praestare, secus causa cadit.

§ 5. Ut iusiurandum in adversarium referri possit, eaedem illae concurrant conditiones necesse est, quae ad illud deferendum requiruntur, atque idem intercedat iudicis ministerium.



346. Inscriptio capitis concordat cum rubrica tit. 24 Lib. II. Decretalium. Haec vero fuit unica in Gregorii Collectione, equidem de iureiurando, quod definitur in Codice sub can. 1316, quem alii subsequuntur in eodem Capite statuendo normas circa iuramenta quaelibet ac in specie de iuramento promissorio. Iam ex Decretalibus patet iusiurandum ibidem accipi, sicut quaedam species probationum iudicialium, quae in Codice duo loca sortiuntur, videlicet « de iureiurando testium » sub hoc Titulo in capite II et hoc sub capite ultimo. Propterea inscriptio completa est *de iureiurando partium* multiplici, veruntamen ordinato semper ad definitionem directam causae.

347. Canones ordinantur secundum hoc multiplex iuramentum. Quandoque enim defertur habens vim probationis, prouti ad veritatis de facto controverso probationem, quapropter vocatur *suppletorium*, et huius moderationem respiciunt tres canones 1829-1831. Primus definit illud, secundus designat circumstantias tum causae, tum partis, cui deferendum est, tum iudicis deferentis illud. Alterum iuramentum *aestimatorium* dicitur, et can. 1832 definit ipsum, dum can. 1833 modum servandum statuit. Denique tertium adest iuramentum partium, quod *decisorium* litis audit, eo quod hanc vim secumfert ex iure, dummodo serventur can. 1834-1836. Can. 1834 definit quando deferri possit, casus vero in quibus

delatio huiusmodi prohibita est recenset can. 1835 et ultimus canon effectus iuridicos deferendi talem iuramentum exponit.

348. Iuramenti suppletorii definitio. — Alex. III ait in cap. 2 « de probationibus » (II, 19) X: « Sane, quoniam apud vos consuetum esse didicimus, ut cum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis aut testibus, ei sacramentum nihilominus deferatur: quod si subire noluerit, fides probationibus non habetur. Nos (cum tunc demum ad huiusmodi sit suffragium recurrendum, cum aliae legitimae probationes deesse noscuntur) talem consuetudinem reprobamus ». Propterea sic incipit *can. 1829. Si* a) *habeatur semiplena tantum probatio*, quae verisimilem reddat cum gravi fundamento veritatem in causa, sed certitudinem non inducat definiendae causae necessariam, b) *nec alia probationis adiumenta* pro ipsa complenda *iam supersint*, tunc « ne ex huiusmodi iuramenti defectu, iustitia (occultata veritate) succumbat » sicut arguit Honorius III in cap. 22 « de iureiurando » (II, 14) X. *et* c) *iudex*, prout mandat ipse Pontifex, *aut iubeat* ex officio *aut admittat* a parte cuius interest *iusiurandum* propter reverentiam Divini nominis inter catholicos *ad probationes supplendas*, secundum illud Apostoli (ad Haebreos, VI, 16): « omnis controversiae hominum finis ad confirmationem est iuramentum », *hoc iusiurandum dicitur* in antiquo iure et apud Auctores *suppletorium* proprie loquendo iuxta dicta. Sic canonizatur hoc verbum.

349. Normae circa iuramentum suppletorium servandae sunt sequentes. *Can. 1830.* § *1. Huic iuriiurando* rite deferendo sufficiunt conditiones tres supra positae, sed *vel maxime locus est*, tanquam ob peculiarem eius rationem, *cum adiuncta* necessaria ad litis definitionem, *quae civilem* idest secundum has leges *vel religiosum* iuxta leges canonicas *personae statum* iuribus et officiis constantem *respiciunt* v. gr. professionem religiosam, susceptionem baptismi validam, *aliter comperiri nequeunt*. Supponendum enim est, praesertim in his quae animam attingunt, et iterari possent, nolle catholicum offendere religionis virtutem deieranda.

§ 2 extendit ad forum ecclesiasticum regulas in S. Rom. Rota prius servandas. *Sed* ob rationem alii supra adductae contrariam *eodem* iuramento deferendo vel admittendo *abstineat iudex* quacumque ex canonis iussu, *tum* a) *in causis criminalibus* ne timor poenae suadeat veritatem celare, *tum* b) *in contentiosis*, ubi nempe agitur de iure persequendo, vel facto iuridico declarando, *si de iure vel re magni pretii agatur*, cuius privatio posset praefatum effectum inducere propter humanam fragilitatem, *aut de facto nimii momenti* declarando, v. gr. de sacro presbyteratus ordine

suscepto, *aut* denique c) *si ius, res, factum* « in contentiosis » *non sit proprium personae cui iusiurandum esset deferendum*, nam « ignorantia vel error circa factum (idemque valet de iure vel re) alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur » (can. 16, § 2).

Animadvertit § 3. *Deferri autem hoc iusiurandum* videlicet: a iudice partem invitari ad illud praestandum *potest sive* a) *ex officio* idest: in utilitatem causae, quin requisitus sit iudex, *sive* b) *ad instantiam alterius partis* non iuraturae hoc modo, *vel* c) *promotoris iustitiae* tantum, *vel defensoris vinculi* solius, *si iudicio* praesenti *intersint* unus vel alter.

Cum hoc iusiurandum suppleat probationes, quae existere debent, patet § 4. *Regulariter*, nam in moralibus deficit quandoque veritas, *deferatur* a iudice *ei*, actori vel reo, *qui pleniores habet* sibi faventes *probationes* aliter haustas.

§ 5 multum defert iudici hac in re dicens. *Iudicis tamen est*, eique parendum, *decreto* propterea necessario praevio *definire an et quando adiuncta* secundum canones *concurrant* in casu, *cur iusiurandum suppletorium deferri debeat.*

350. Effectus canonici ex delatione iurisiurandi provenientes exponit *can. 1831*, vigente principio, quod exprimit cap. 36 « de iureiurando » (II, 24) X: « Iuramentum a te parti delatum, nisi iusta de causa, non potuit recusari ». Secundum hoc § 1 statuit. *Pars* alterutra *cui iusiurandum suppletorium defertur* a iudice quidem « sive ex officio sive ad instantiam » (can. 1830, § 2) *in rebus quae ad eius statum civilem vel religiosum*, quando « huic iuriurando vel maxime locus est » (can. 1830, § 1) propter exceptionem huic regulae implicitam, a) *non pertinent, potest* b) *ex iusta causa* v. gr. ob non servatos plene canones praecedentes, a) *illud* emittendum *recusare* simpliciter *vel* b) *in adversarium referre*, ut hic nempe tali medio adhibito compleat suas probationes.

Cum vero recusare iusiurandum suppletorium possit esse signum conscientiae de falsitate assertionis sic confirmandae, admonet prudenter § 2. *Quanti autem haec* supra in § 1° dicta recusatio simplex *facienda sit*, et explicatur, *utrum iusta sit* propter causam adductam recusationis, *an potius*, deficiente causa iusta, *confessioni* iudiciali de contrario *aequiparanda, iudicis est aestimare* considerando adiuncta.

Nec iusiurandum est omnino firmum, quia « omnis homo mendax » seu errori subiectus. Hinc praescribit § 3. *Iusiurandum suppletorium, ab una parte* ob delationem vel relationem atque rite *praestitum, potest ab altera* quoad veritatem *impugnari* ratio

nibus seu probationibus qua falsum et erroneum, ut dicitur in Regulis S. R. R. § 159 [1].

351. Iuramenti aestimatorii notio desumitur ex cap. 32 « de iureiurando » (II, 24) X. Ita legimus ibidem: « Ex litteris vestris accepimus, quod super causa usurarum vobis pro G. contra E. ab Apostolica Sede commissa, non potuit per testes ab ipsius G. parte productos de sortis quantitate liquere, licet de obligatione pignoris constitisset: unde expedire videtis quod exigatur de dicenda veritate a partibus iuramentum: cum ex fama quasi notorium habeatur praefatum E. ex quadam terra ipsius G. sibi titulo pignoris obligata, sortem et amplius percepisse. Ne igitur ex huiusmodi iuramenti defectu, iustitia (occultata veritate) succumbat: Mandamus, quatenus partes ad praestandum huiusmodi iuramentum per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis ».

Gregorius autem IX accuratius hoc iuramentum designat statuens in cap. 7 « de his quae vi metusve causa fiunt » (I, 40) X: « Super eo quod adversarius vester conquerebatur a vobis per violentiam spoliatum, arbitramini contra vos fuisse iniuste processum, cum non nisi proprio iuramento probaverit singula quae amisit. Verum postquam de violentia per testes et de amissis rebus per ipsius constitit sacramentum, potuit iudex taxatione ab ipso facta pro personarum ac negotii qualitate, vos in aestimatione rerum amissarum iuramento adversarii declarata, rationabiliter condemnare ».

Hanc rationabilem iustitiam sustinet *can. 1832. Si de iure* partis laesae, sive actoris, sive rei, nam causa haec potest esse cum alia forsan spolii connexa, ut supra, *ad damni* vere illati *reparationem* sive restituendo, sive satisfaciendo, *constet*, et hoc requiritur omnino, *sed quantitas damni* reparandi *aestimari certe non possit*, etiam peritorum ope, *iudex potest* vi officii sui lege hac suffulti *parti quae damnum passa est*, ac proinde valoris conscia praesumitur, *iusiurandum deferre*, idest: illam ad iuramentum emittendum invitare, *quod* proprie atque ex iure praecedenti et communi sententia Doctorum *aestimatorium* de valore rerum restituendarum vel reficiendorum damnorum *dicitur*. Et hinc patet huius notio.

352. Normae servandae. — Has tradit congruenter cap.[1] 7° citato *can. 1833. In deferendo iureiurando aestimatorio*, quando huic locus sit secundum can. praec.

[1] 4 Aug. 1910. Acta Aplcae. Sedis, II, 831.

1°. *Iudex a parte, quae damnum* controversum *passa est, petat* cum auctoritate *ut sub iurisiurandi* emittendi *sanctitate designet* tanquam illius duplex obiectum: a) *res* singulas *sibi ablatas* furto vel aequivalenti modo *vel dolo* idest: circumventione alterius aut ex illato damno *perditas*, b) *earumque* forsitan adquisitionis *pretium et valorem* adhuc retentum *secundum probabilem* seu rationabiliter fundatam *suam aestimationem* idest iudicium *exprimat;*

2°. *Si*, prout facile accidere potest, *taxatio* sic expressa *iudici* prudenti *nimia videatur, eam* taxationem *ad aequitatem*, quatenus ab stricta iustitia deficientem, quae designat aequalitatem strictam, *reducat;* ut vero prudentiam sequatur, est additum *prae oculis habens* iudex a) *omnia indicia et argumenta* quae ad rem discernendam *usu comprobata* sint, *adhibitis etiam* ad ea cognoscenda et casui applicanda, *si opus sit* propter difficultatem, rei momentum, vel nescientiam eorum, *peritis*, quibus in illa re credendum sit, atque scopus legis huius sequitur *quo magis veritati* quoad rem *et iustitiae* quoad aequalitatem reparandam *consulatur* pro humana fragilitate.

353. De iuramento decisorio, haec statuit *can. 1831. § 1. Non solum*, unde implicite ius approbat quod *ante initam litem*, seu contentionem iudicialem *partes* quaestionem mutuo habentes *convenire possunt ut controversia* haec *per iusiurandum* solummodo *ab alterutra praestandum transigendo*, idest: cedendo quidquid iuris ad non iurantem partem pertineret, *dirimatur*, qui modus memoria conservetur pro Titulo XVIII, *sed pendente quoque* in iudicio *lite*, seu dum legitime disceptatur *et in quolibet eius* seu iudicii *momento et statu*, proinde ante definitivam sententiam, *altera pars*, actor pariter ac reus, *potest* ex iuris concessione, quae ius naturale confirmat, a) *iudice probante*, quando illud expediens iudicabitur, quin deprehendat in eo fraudem, b) *alteri parti iusiurandum* directe coram tribunali *deferre*, c) *ea conditione* pro iure proprio transigendi *ut quaestio* iudici subiecta *sive principalis* et qua minor *sive incidens, secundum iusiurandum tanquam* vera et a partibus admissa, seu *decisa* etiam iudicialiter *habeatur*.

§ 2. *Iusiurandum huiusmodi*, cum illis nempe conditionibus tam ante initam litem, quam iudiciale, *dicitur* proprie secundum iura et sententiam Doctorum *decisorium* litis seu controversiae, propter tale iuris effectum.

354. Casus in quibus deferri nequit. — Ob naturam et effectus iuridicos sequuntur normae, quas sic praescribit *can. 1835. Deci-*

sorium iusiurandum, cuius notionem habemus ex can. praec. *deferri nequit* iure, *nisi*:

1° De re, a) *in qua cessio* unius partis *et transactio*, uno verbo remissio proprii iuris *admittitur*, hinc excluduntur causae criminales, matrimoniales de vinculo dissolvendo, etc. secundum can. 1927, *et* b) *quae pro litigantium personis*, vel saltem iurante, ut vitetur occasio periurii, *non sit nimii momenti* v. gr. de sacrae ordinationis validitate *seu pretii* ob valorem rei adiudicandae;

2° Ab eo qui cedere aut transigere potest in ea re, cum talis cessio aut transactio sit sub tali decidendi modo supposita;

3° Propter eamdem rationem *Ei*, a) *qui cedere vel transigere valet*, b) *quique pariter pro se non habeat plenam probationem*. Secus secundum hanc esset proferenda sententia et iuramento suppletorio ex eius natura propter defectum iudicii seu necessitatis non esset locus.

4° De mera notitia facti, cuius notitiae certitudinem iurans potest habere, *aut de facto, quod proprium sit illius*, ad sensum can. 16, § 2, *cui iusiurandum defertur*, quia « circa illud ignorantia vel error non praesumitur ».

355. De referendo iuramento decisorio sunt sequentes regulae omnino servandae. *Can. 1836.* § *1* ostendit, quid conceditur circa delatum iuramentum. *Hoc iusiurandum*, nempe: « decisorium » litis tantummodo, *potest a parte, a qua delatum est* ad normam duorum canonum praecedentium, *revocari* quoad ipsam delationem *quousque praestitum non fuerit* ab altera parte, quocumque ex motivo percurrat tempus huiusmodi, *et ab* hac *altera parte* a) *acceptari* delationem *et praestari*, b) *vel minus*, recusando simpliciter, *aut* c) *referri in adversarium* seu primo deferentem, ut hic edat tale iusiurandum.

§ 2. *Praestito iureiurando* secundum paragraphum praec. ab alterutra parte, *quaestio* iudicialis *secundum iuratam formulam finita est*, seu illius sensu definita quin requiratur iudicis sententia, *perinde ac* si formalis *cessio aut transactio iudicialis*; quae videlicet, pro foro iudiciali sortitur vim iuridicam, *intercessisset*, ac veluti facta esset ad normam can. 1926.

§ 3 considerat aliam paragraphi primi hypothesim, nempe: *Si iusiurandum*, v. gr. [1] « se excuset contendens hoc in casu se non obligari ad iuramentum dandum », *recusetur* simul *nec referatur in adversarium, iudicis est aestimare quanti facienda sit* talis *recusatio*, statimque canon explicat sensum, *utrum* a) *iustis*

[1] Regulae servandae in iudiciis apud S. R. Rotae Tribunal. 4 Aug. 1910, § 152, n. 2 (CO. II, 830).

innitatur causis, quae a parte adducantur, *an* b) *potius confessioni* iudiciali contra seipsum *sit aequiparanda* ex praesumptione quod peierare nolit, et iuxta l. 38, ff. « de iureiurando » « manifestae turpitudinis est, et confessionis, nolle nec iurare nec iusiurandum referre ».

§ 4. *Si* demum *in adversarium referatur* iusiurandum decisorium, *hic* adversarius *debet*, sicut consequentia delationis a se factae, *illud praestare*, *secus causa cadit*, veluti victus.

§ 5 exprimit necessaria ad effectum in § 4 positum. *Ut iusiurandum* decisorium *in adversarium referri* iure *possit* a) *eaedem illae* sub can. 1835 *concurrant conditiones necesse est*, *quae ad illud deferendum requiruntur*, b) *atque idem intercedat iudicis ministerium*, quia hic est, qui proponit exequendam instantiam partis et qua sub formula iusiurandum sit edicit.

TITULUS XI.

De causis incidentibus.

Can. 1837. - Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Can. 1838. - Causa incidens proponitur vel oretenus vel per libellum, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, et servatis, quoad eius fieri poterit, regulis can. 1706-1725 statutis.

Can. 1839. - Iudex, libello vel petitione verbali receptis, auditis partibus, et, si opus sit, promotore iustitiae, vel vinculi defensore, secum deliberet num proposita incidens quaestio futilis sit et ad retardandum principale iudicium unice excitata ; itemque num causa incidens talis sit naturae et tali nexu cum causa principali cohaereat, ut ante eam resolvi debeat. Si ita se res habeat, libellum vel instantiam admittat ; aliter decreto suo eam reiiciat.

Can. 1840. - § 1. Utrum incidens quae excitetur quaestio, definienda sit iudicii forma servata, an mero decreto, iudex, attenta rei qualitate et gravitate, aestimet.

§ 2. Si causa incidens sit iudicialiter definienda, regulae, quoad eius fieri poterit, servandae sunt, quae in ordinariis iudiciis obtinent ; curet tamen iudex ut dilationum termini sint quam maxime breves.

§ 3. Iudex in decreto quo, non servata iudicii forma, vel reiicit vel definit quaestionem incidentem, rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat.

Can. 1841. - Antequam finiatur causa principalis, iudex interlocutoriam sententiam potest, iusta intercedente causa, corrigere aut revocare sive ex se, auditis partibus, sive ad instantiam unius partis audita altera parte, et requisito semper voto promotoris iustitiae aut defensoris vinculi, si adsint.

356. Inscriptio Tituli et distributio in capita. — Exposita hucusque tela iudiciaria quoad stadia introductionis causae huiusque instructionem, restat quidquam accidentaliter eveniens in hoc secundo stadio considerare, quia multoties datur locus. Hinc additur opportune *Titulus XI* inscriptus *De causis*, eo quod in iudicio pertractantur, *incidentibus*, quia non semper accidunt, et quodammodo intra causam principalem inveniuntur. De his canones quidam generales praemittuntur, et postea de quibusdam huiusmodi causis specialiter canones dantur sub tribus capitibus, videlicet: *Caput I. De contumacia*, *Caput II. De interventu tertii in causa*, et *Caput III. De attentatis lite pendente*.

357. Ordo canonum generalium circa incidentes causas, talis est. Can. 1837 earum notionem iuridicam exhibet, postea introductionem talium causarum moderantur can. 1838, 1839, quomodo sit procedendum edicit can. 1840 et ultimus can. 1841 facultatem hac de causa peculiarem iudici confert.

358. Causae incidentis notio bene ponderanda est, quam dat *can. 1837. Causa*, eo quod iudicialis, *incidens*, sic iure dicta et communiter, veluti cadens intra principalem, *habetur* ad sensum Codicis, *quoties*, a) *incepto saltem per citationem* iuridice cum effectu *iudicio* ecclesiastico, b) *ab una ex partibus* in eo *aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint*, ut praescriptum est in causis tum criminalibus, tum de vinculo matrimonii sacraeve ordinationis, c) *quaestio proponitur quae*, d) *tametsi libello, quo lis* qua principalis *introducitur, non contineatur expresse* verbis, quae illam saltem immuant, e) *nihilominus ita ad causam* inde agitatam *pertinet*, velut eam sic attingens, f) *ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem*, ad hoc ut huius definitio secundum iustitiam et rationem prodeat.

359. De propositione causae incidentis viget *can. 1838. Causa incidens* iuxta descriptionem can. praec.[s] *proponitur vel orelenus* etiam quando pars « scribere scit, nec legitime impeditur quominus libellum exhibeat » (can. 1707, § 1), *vel per libellum*, secundum reg. iuris 70 in 6°: « In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri », b) *indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem*, ut de causa incidente agi aliqualiter constet, *et* c) *servatis, quoad eius fieri poterit*, quia v. gr. inutile est, quod praescribitur « can. 1708, 1°, exprimere coram quo iudice causa (incidens) introducatur », *regulis can. 1706-1725 statutis* « de causae introductione », per hanc clausulam ad causas incidentes extensis sub modo.

360. De ipsius admissione vel reiectione sunt servanda, quae iubet *can. 1839. Iudex*, iam competens ob causam principalem ad normam can. 1709, *libello vel petitione verbali* iuxta can. praec. propositis, et hinc *receptis*, ita ut « iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus » (can. 1707, § 3), a) *auditis partibus, et, si opus sit* ob naturam causae tum principalis praecipue tum incidentis, *promotore iustitiae, vel vinculi defensore*, omnino audiendis quando principali causae intersunt, b) *secum deliberet num* a) *proposita incidens quaestio futilis sit* ratione fundamenti *et* consequenter *ad retardandum principale iudicium unice excitata; itemque* b) *num causa incidens talis sit naturae* quoad eius obiectum *et tali nexu cum causa principali* eiusdem iudicii *cohaereat* pro natura causae incidentis, *ut ante eam* rite definiendam *resolvi debeat.* Haec consideranda loco § 1ae in can. 1709. *Si ita se res habeat*, idest: constet de conditionibus sub littera b), *libellum vel instantiam* de causa incidente *admittat*, ex canonis praescripto ad iudicandum de ipsa; *aliter* ob defectum litterae b) vel quia verificatur conditio sub littera a) *decreto suo* idest: pronunciatione iudiciali scripta *eam* « instantiam » supradictam *reiiciat* ex iuris voluntate.

361. De modo procedendi quoad incidentem causam semel admissam, statuit *can. 1840.* § *1* distinguit duplicem illius modum. Videlicet: *Utrum incidens quae excitetur* in quolibet iudicio *quaestio, definienda sit* a) *iudicii forma servata*, proindeque iudiciali sententia interloquutoria, b) *an mero decreto* equidem iudiciali, sed prout hoc ab illa pronunciatione secundum regulas iudiciales contradistinguitur, *iudex, attenta rei*, de qua incidentaliter tractandum est, *qualitate* propter ius quod respicit vel factum, *et gravitate* in se ac praecipue respectu principalioris causae, *aestimet.* Igitur ad eum pertinet electio alterutrius modi, sequendo praefatam considerationem.

§ *2. Si causa incidens sit iudicialiter definienda* ex iudicis aestimatione, *regulae, quoad eius fieri poterit*, nam in pluribus a causa principali differt respectu iudicii, formalitates *servandae sunt*, prout hucusque et in sequentibus describuntur, *quae in ordinariis, iudiciis* seu communiter *obtinet*, idest pro his sunt praescriptae; *curet tamen iudex* pro causis incidentibus hoc peculiariter eidem commendatum, *ut dilationum termini* ad probationes afferendas, etc. *sint quam maxime breves.*

§ *3. Iudex in decreto* peculiari *quo, non servata iudicii forma* iuxta litteram b) §i 1ae, *vel reiicit*, ut praescriptum est in calce canonis 1839, *vel definit* ad normam can. huius sub §o 1a *quaestio-*

nem incidentem, rationes quibus innititur, in iure et in facto idest: ex legibus earumque interpretationibus atque ex circumstantiis rei de qua agitur, *breviter exponat*. Quod praescriptum proprium sententiae iudicialis, hoc in canone extenditur cum obligatione ad decretum iudiciale duplex supradictum.

362. Potestas iudicis quoad has sententias maioris momenti est, quam tribuit *can. 1841* congruentur capiti 60 « de appellationibus... etc. » (II, 28) X. Ait enim Innoc. III in Concilio Generali: « Cum cessante causa, cesset effectus: Statuimus, ut sive iudex ordinarius, sive delegatus aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quo exequutioni mandato, alter litigantium gravaretur: et sano usus consilio ab huiusmodi interlocutionis vel comminationis effectu destiterit, libere in causae cognitione procedat: non obstante si a tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum: dummodo non sit ex alia legitima causa suspectus, ne processus negotii frivolis occasionibus retardetur ».

Hac vero utilitate inspecta, statuit canon praesens. *Antequam finiatur causa principalis* equidem per sententiam definitivam, qua iudex complet munus in illo iudicio quoad propriam instantiam, *iudex interlocutoriam sententiam* sic vocatam, quando « incidens quaestio definiatur iudicii forma servata », et pari motivo « merum decretum » (can. 1840), *potest*, a) *iusta* ad hoc seu proportionata *intercedente causa*, ut salva censeatur reg. iuris 21 in 6°: « Quod semel placuit, amplius displicere non potest », b) *corrigere* si in aliquo *aut revocare* omnino per contrariam sententiam vel decretum, c) *sive ex se*, ratione sui officii, et tunc *auditis vartibus* in causa, *sive ad instantiam unius partis* insurgentis adversus talem quaestionis incidentis resolutionem, et tunc *audita* solummodo *altera parte* forsitan dissentiente, *et requisito semper* idest: « sive ex se agat sive ad instantiam unius partis » *voto promotoris iustitiae aut defensoris vinculi, si adsint*, videlicet: quando ex natura causae principalis vel iuris praescripto adhibetur alteruter in iudicio.

363. Distributio Tituli in Capita. — Sunt nonnullae quaestiones incidentes, quae in singulis iudiciis emergere possunt. Hac de causa et quia normae antiqui iuris quoad istas colligendae fuerunt pro praxi, titulus divisus est in tria capita. *Caput I* tractat *De contumacia*, quae habet locum in partibus. *Caput II De interventu tertii in causa* connexionem aliquam cum praecedenti habet, quia tertius quodammodo adhaeret alterutri parti, et *Caput III* respicit tum partes tum iudicem, quia *De attentatis* agit *lite pendente* et quae patrari possunt ab omnibus illis, ut patebit.

CAPUT I.

De contumacia.

Can. 1842. - Reus citatus qui sine iusta causa nec ipse per se nec per procuratorem comparet, contumax declarari potest.

Can. 1843. - § 1. Non potest tamen iudex reum contumacem declarare nisi prius constiterit:

1° Citationem, legitime factam, tempore utili ad rei notitiam pervenisse aut saltem pervenire debuisse;

2.° Reum absentiae excusationem afferre neglexisse aut non iustam attulisse.

§ 2. Haec comprobari possunt sive per novam citationem reo factam ut contumaciam suam, si possit, excuset, sive alio modo.

Can. 1844. - § 1. Ad instantiam partis vel promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, si iudicio intersint, iudex rei contumaciam declarare potest, eaque declarata, procedere, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque executionem.

§ 2. Si procedatur ad sententiam definitivam, lite non contestata, sententia respicere tantum debet petita in libello; si lite contestata ipsum contestationis obiectum.

Can. 1845. - § 1. Sed potest quoque iudex ad frangendam rei contumaciam comminari ecclesiasticas poenas.

§ 2. Quod si facere velit, iteranda est rei citatio, cum comminatione poenarum; nec iam tunc licet aut contumaciam declarare aut, ea declarata, poenas irrogare, nisi probetur hanc quoque secundam citationem suo effectu caruisse.

Can. 1846. - Rei a contumacia recedentis seque in iudicio sistentis ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur; caveat autem iudex ne mala fide in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.

Can. 1847. - Post latam vero sententiam, contumax beneficium restitutionis in integrum ad appellandum ab ipso iudice qui eam tulit, petere potest, non ultra tamen trimestre ab ipsius sententiae intimatione, nisi agatur de causis quae non transeunt in rem iudicatam.

Can. 1848. - Regulis superius traditis etiam tum locus est cum reus, etsi primae citationi obtemperavit, fit tamen postea, progressu iudicii, contumax.

Can. 1849. - Si die et hora, qua reus secundum citationis praescriptum coram iudice primum se sistit, actor non adsit, nullamque vel insufficientem absentiae excusationem attulerit, iudex eum ad instantiam rei conventi citet iterum; et si actor novae citationi non paruerit vel postea iudicium inchoare vel inchoatum prosequi neglexerit, instante reo convento vel promotore iustitiae aut defensore vinculi, contumax a iudice declaretur, iisdem servatis regulis quae supra traditae sunt pro rei contumacia.

Can. 1850. - § 1. Actoris contumacia a iudice declarata perimit eiusdem actoris ius ad suam instantiam prosequendam.

§ 2. Permittitur tamen promotori iustitiae vel vinculi defensori instantiam facere suam eamque prosequi, quoties publicum bonum id postulare videatur.

§ 3. Reus autem exinde ius habet petendi ut vel libere possit a iudicio abire, vel nulla habeantur omnia eo usque gesta, vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris, vel iudicium, absente quoque actore, ad finem adducatur.

Can. 1851. - § 1. Qui contumax declaratus contumaciam suam non purgaverit, sive actor sit sive reus, condemnetur tum ad litis expen-

sas, quae ob suam contumaciam factae sunt, tum etiam, si opus sit, ad indemnitatem alteri parti praestandam.

§ 2. Si tum actor tum reus sint contumaces, ad expensas litis tenentur in solidum.



364. Inscriptio capitis atque canones. — Ne pars, quae adducitur in iudicium contra propriam voluntatem possit iustitiae actionem eludere, cavit ius concedere tale praesidium iudiciali potestati, ut libere exerceatur secundum ius, expertis prius remediis cogendi partem ad parendum iudici. Haec innuunt verba inscriptionis, quam praeseferl *Caput I. De contumacia.*

Huius definitionem implicat can. 1842 aliud praescribens circa contumaciae declarationem. Declarationis huiusmodi legitimitas expostulat observantiam can. 1843, illique statuitur consequentia iuridica in can. 1844, dum can. 1845 media exhibet frangendi contumaciam. Casu ergo quo haec cesset, can. 1846 determinat servandum ante causae definitionem, et can. 1847 post definitionem ipsam. Extenduntur regulae praecedentes canone 1848 pro reo et canone 1849 ad actorem. Effectus declaratae actoris contumaciae can. 1850 perpendit, dum can. 1851 idem praestat de utriusque contumacia.

365. De contumacia rei in seipsa notionem dat *can. 1842* praescribens ut sequitur ad normam iuris antiqui. *Reus* a) *citatus* legitime, ita ut comparere in iudicio teneatur, *qui* b) *sine iusta causa* illum excusante, *nec ipse per se nec per procuratorem* legitimum *comparet* in tribunalis aula, die et hora in citationis schedula designatis, *contumax*, prout hoc verbum iuridice importat

certam et specialem obedientiae erga iudicem transgressionem *declarari* ab eodem *potest* vi huius canonis. Hic congruit Decretali 6 « de dolo et contumacia » (II, 14) X, dicente Innoc. III: « Quapropter quia dictus electus nec venerat, nec sufficientem miserat responsalem ad diem sibi statutum, vel post, etiam diutius expectatus, nec de vicino eius adventu spes erat: utpote qui per litteras utcumque excusaverat moram suam, et calores aestivos, et insidias sibi positas formidabat: eum reputavimus contumacem ».

366. Conditiones legitimae huius declarationis de contumacia sunt servandae, quas enuntiat *can. 1843*. § *1* incipit respiciens adversative canonem praecedentem, dum praescribit: *Non potest tamen* (seu invalide ageret) *iudex* competens *reum contumacem* cum huius effectibus *declarare*, quamvis de facto sit ex dictis, *nisi prius constiterit* in iudicio:

1° *Citationem*, cui non paruit, a) *legitime factam* iuxta canones de illa in cap. II, tituli VI a can. 1714, b) *tempore utili* seu ad comparendum sufficienti, *ad* personae *rei notitiam pervenisse* de facto, *aut saltem pervenire* ex circumstantiis *debuisse* colligatur prudenter;

2° Quoad non comparitionem « per se nec per procuratorem », *Reum absentiae* a tribunali, hora et die designatis *excusationem* a) *afferre* saltem per litteras, internuncium, *neglexisse*, quia impeditus parere ad se excusandum iure tenetur, b) *aut non iustam*, seu proportionatam comparitioni obligatoriae *allul-se*. Huius exemplum nobis offert Decretalis Innoc. III in cap. 8 « de dolo et contumacia » (II, 14) X, his verbis: « Verum cum episcopus ipse priorum iudicum praesentiam adire per contumaciam contempsisset, auctoritate nostra fuit per ipsos iudices ab officio beneficioque suspensus: et infra. Tandem vero coram iudicibus, canonica citatione vocatus praesentiam suam difficulter exhibuit: sed frivolam tunc excusationem, malitia concepta praetendens, experiri cum canonicis in iure neglexit: qua de causa nos de consilio fratrum nostrorum suspendentes episcopum ipsum vel potius suspensionem a iudicibus factam auctoritate Apostolica confirmantes... etc. »

§ 2. *Haec*, videlicet « citationem pervenisse ad rei notitiam » et ipsius negligentia *comprobari possunt* a) *sive per novam citationem*, quamvis prima « sit peremptoria » iuxta can. 1714, sed *reo factam* legitime ad hoc *ut contumaciam suam* secus declarandam, *si possit*, *excuset*, et hic modus comprobandi sufficit semper, quando incassus evadit, b) *sive alio modo*, v. gr. qui pro Sacra

Rom. Rota exprimitur in n. 1 § 26 (Regulae servandae in iudiciis apud praefatum Tribunal) [1].

367. Sequelae huiusmodi declarationis desumptae sunt ex iure praecedenti, v. gr. ex cap. 3 « de dolo et contumacia » (II, 14) X, ubi legitur: « Caeterum si adversarius suus legitime citatus, ad praesentiam vestram accedere, vel iudicio vestro parere contempserit, aut etiam se absentaverit (cum de Anglia recessisse dicatur) procuratorem eius, si quem reliquerit, convocetis: qui sive venerit, sive non, aut si procuratorem non dimisit, denunciationibus ad domum eius missis, receptis testibus alterius partis, iuxta dictam formam, ad proferendam sententiam procedatis ».

En igitur, quae praescribit *can. 1844*. Cum exitus causae intersit parti diligenti, iudici non defert § *1* procedere in illa. Ait enim: *Ad instantiam partis*, equidem actoris, sed sequitur propter speciales causas: *vel promotoris iustitiae*, quando bonum commune periclitatur aut in iudicio criminali, *vel vinculi defensoris*, si de illo tractatur multiplici, ac propterea *si iudicio intersint*, *iudex* a) *rei contumaciam declarare potest*, imo tenetur posita instantia, atque norma canonis praecedentis servata, *eaque declarata* per decretum, utpote conditio praevie necessaria ex iure, b) *procedere* ulterius ad stadia iudicii, *servatis servandis* quoad formalitates et canones, qui diversas iudiciorum materias seu obiecta respiciunt, exclusis iis quae erga contumacem partem servandae essent, *usque ad sententiam definitivam* forsan adversus contumacem *eiusque executionem*, prout haec a iudice pendet.

Modum huius sententiae exhibet sub distinctione servandum § 2. *Si procedatur* legitime ad normam § 1 *ad sententiam definitivam*, a) *lite non contestata* secundum exceptionem aliquam ex cap. 5 rubricae: « ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam » (II, 6) X retentae in can. 1730, *sententia* contra contumacem *respicere tantum debet petita in libello*, prout natura iudicii requirit; b) *si lite contestata*, cum oriatur inde obiecti contentionis determinatio, quod « idem remaneat » oportet ex can. 1731, n. 1°, *ipsum contestationis obiectum* « sententia respicere debet ».

368. De contumacia frangenda tractat *can. 1845*. Revera praescriptum canonis praecedentis est conforme iuris regulae 25 in 6°: « Mora sua cuilibet est nociva », alioquin ducens nonnumquam ad rei frangendam contumaciam, ut sibi caveat a damno per sententiam imminente. Propterea sic incipit canonis praesentis § *1*.

[1] 4 Aug. 1918, CO. II, 792.

Sed potest quoque iudex, antequam incat viam procedendi, ut supra, et loco eius, *ad frangendam rei contumaciam* in can. 1842 definitam, *comminari* eidem *ecclesiasticas poenas* determinatas, incurrendas vel infligendas, nisi compareat.

Modum statuit § 2. *Quod si facere velit*, nam relictum est suo prudenti arbitrio, a) *iteranda est rei citatio*, b) *cum commination poenarum* infligendarum vel incurrendarum ipso facto; *nec iam tunc* idest: intimata hac citatione, *licet* a) aut vi can. 1843, § 1, *contumaciam declarare*, nec consequenter « procedere » iuxta can. 1844, *aut* b) *ea declarata*, ut necesse foret ad sequens, videlicet: *poenas* infligendas *irrogare* per decretum, *nisi probetur* quolibet legitimo modo *hanc quoque secundam citationem suo effectu caruisse*, postquam constiterint ea, quae recensentur in can. 1843, § 1.

369. Cessatio contumaciae fortassis sequuta ex praedictis remediis erat consideranda quoad iuridicos effectus. Hoc respicit *can. 1846. Rei* de quo hucusque actum est *a contumacia recedentis*, quod sic explicatur *seque in iudicio sistentis* « per se vel per procuratorem » legitimum (can. 1842) *ante causae*, in qua fortassis proceditur ad normam can. 1844, *definitionem* sententia, *conclusiones* actoris intentioni contrarias *probationesque* earum, *si quas afferat*, nam ut plurimum actoris est probare, *admittantur* ex iuris huius debito; cum vero reus huiusmodi sit suspicionis causa, ne forsitan velit solum sententiam eidem adversam totis viribus impedire, admonet canon: *caveat autem iudex* ratione sui officii *ne mala fide* idest: ex dolo vel malitia rei eiusque procuratoris *in longiores* simul *et non necessarias* veritati quaestionis elucidandae *moras*, tum multiplicatione defensionum, sive testium, sive instrumentorum, tum concessione dilationum ad eas parandas vel praesentandas, tum aliis modis nectendas, *iudicium* usque ad sententiam *protrahatur* indebite.

370. Altera hypothesis accidere potest, quam respicit *can. 1847. Post latam vero sententiam* « intra utile tempus non appellatum », vel « unicam a qua non datur appellatio », (can. 1902), *contumax* « a contumacia sic recedens » per usum huius facultatis, *beneficium restitutionis in integrum*, quod « datur tanquam remedium extraordinarium » (can. 1905), *ad appellandum*, sicuti habetur in can. 18 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X, ut iudex superior causam cognoscat, *ab ipso iudice qui eam* sententiam *tulit*, et quam proinde reformare nequit, *petere potest*, quia « ad illam concedendam competens est iudex » ille vi can. 1906, sed caute notanda limitatio facultatis, *non ultra tamen trimestre ab ipsius*

sententiae intimatione facta ad normam can. 1877, et quod est computandum ad normam can. 34, § 3, 1° et 3°. *nisi agatur de causis quae non transeunt in rem iudicatam*, scilicet: « causae de statu personarum » exponendae ad can. 1903, in his enim quantumque tempus transierit, « contumax beneficium restitutionis in integrum petere potest », servato modo huius canonis.

371. Extensio regularum praecedentium patefit, dum admonet praescribens *can. 1848*. Quamvis ex contextu possent canones praecedentes interpretari de citatione, quae fit ratione libelli actoris, et quam parvipendi a reo frequentius eveniet, *Regulis superius traditis* in hoc capite *etiam tum locus est cum reus, etsi primae citationi* intimatae ad instantiae initium seu ad litis contestationem obtinendam *obtemperaverit*, vitando tunc contumaciam, *fit tamen postea, progressu iudicii*, « reus citatus » *contumax* iuxta definitionem canonis 1842.

372. De contumacia actoris tractare incipit *can. 1849*, dans notionem ac moderans ipsius declarationem, inixus regulae 32 in 6°: « Non licet actori quod reo licitum non existit ».

Innoc. IV ait in cap. 1 « de dolo et contumacia » (II, 6) in 6°: « Actor, qui ad terminum venire, ad quem citari adversarium fecerat, non curavit, venienti reo in expensis (propter hoc factis legitime) condemnetur. Ad citationem aliam minime admittendus, nisi sufficienter caverit, quod in termino fideliter debeat comparere ».

Si vero agatur de iudice delegato, memorari oportet cap. 4 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X, ubi Alex. III sic decrevit: « Illis etiam qui pro causis tibi commissis, ad citationem tuam venire, aut tuo super his parere iudicio neglexerint: si tale fuerit negotium quod certa exinde poena in canonibus exprimatur, eandem infligas: alioquin ipsos pro delicti qualitate et causae, secundum tuum arbitrium punire procures ».

Mentem horum textuum servat praesentis canonis praescriptum. *Si die et hora* notis actori ad normam can. 1712, § 3, *qua reus secundum citationis praescriptum* obligatorium ad normam can.s 1715, § 1, *coram iudice* ordinario vel delegato *se sistit*, a) *actor non adsit*, b) *nullamque vel insufficientem absentiae excusationem attulerit*, non secus ac manet declaratum de reo ad can. 1843 § 1, *iudex eum* a) *ad instantiam rei conventi*, nam hic posset liber abire, b) *citet iterum*, idest: nunc actorem, notificando eam reo; *et* a) *si actor novae* in praedicta hypothesi *citationi non paruerit, vel* b) *postea iudicium inchoare* per litis contestationem, quantum ab actore pendet ipsa, *vel* c) *inchoatum* hoc modo iudicium

prosequi neglexerit, eo quod ad illum prosequutio pertineat, in singulis horum trium casuum, et quia de interesse partis agitur, *instante* disiunctive *reo convento* vi citationis, *vel promotore iustitiae aut defensore vinculi*, quorum officium requiret fortassis peremptionem instantiae vel iudicii prosequutionem, *contumax a iudice declaretur*, *iisdem servatis regulis* sub can. 1843-1845, *quae* nempe *supra traditae sunt pro rei contumacia* declaranda.

373. Effectus contumaciae actoris refert *can. 1850. § 1. Actoris contumacia* prout fuit in can. praec. exposita dummodo *a iudice* fuerit *declarata* legitime *perimit*, seu facit cessare *eiusdem actoris ius ad* hanc *suam instantiam prosequendam*. Unde tantum in alio iudicio vel per novam libelli oblationem de iure ad rem vel in re persequendo vel propugnando audietur, conformiter ad reg. iuris 25 in 6°: « Mora sua cuilibet est nociva ».

§ 2. *Permittitur tamen*, veluti modificatio §[i] 1[i] *promotori iustitiae vel vinculi defensori* pro causarum natura *instantiam* actoris eandem *facere suam* tanquam ab his propositam *eamque prosequi*, sed tantum *quoties publicum bonum id postulare*, nempe: sententia iudiciali rem finiendam esse *videatur* illorum iudicio approbato per iudicem.

§ 3. *Reus autem exinde* idest: « ex actoris contumacia a iudice declarata » (§ 1) et si publicum bonum non expostulat §[i] 2[i] applicationem, *ius habet*, quod iudex satisfacere debet, *ut* disiunctive pro rei arbitrio a) *vel libere possit a iudicio abire*, velut si illud incoeptum non fuisset, quod dici solet in foro ut « circumducatur aut circumscribatur edictum », nempe citationis, quando lis contestata non fuerit, *vel* b) *nulla habeantur omnia* acta iudicialia *eo usque gesta*, quod continet praecedentem favorem et perimit cetera cum litis contestatione, et quod audit in foro ut « absolvatur ab observatione iudicii », *vel* c) *definitive* seu per sententiam *ipse absolvatur a petitione actoris*, velut de re ex actis iudicii non probata, quae sententia in rem iudicatam fortassis transibit, *vel* d) *iudicium, absente quoque actore* seu in eiusdem contumacia, *ad finem adducatur*, ita ut sententia obtineatur forsan positive favorabilis reo adversus actorem et in casu contra tertium intervenientem in iudicio.

374. Poena contumaciae dici potest, quam statuit *can. 1851. § 1. Qui contumax declaratus* ad normam huius capitis *contumaciam suam non purgaverit*, idest: non ostenderit sufficientem excusationem, qua nequivit comparere in iudicio, quando debuit, *sive actor sit sive reus*, *condemnetur* illa de causa a iudice a) *tum ad litis expensas*, proinde iudiciales quaslibet, *quae ob suam*

contumaciam factae sunt inutiliter, b) *tum etiam*, quia ad illas semper, *si opus sit*, quatenus causa litis factae fuerint expensae vel exortum nocumentum, *ad indemnitatem* huius et illarum *alteri parti*, quae easdem subiit, *praestandam*.

Ad rem faciunt capita 2 et 6 « de dolo et contumacia » (II, 14) X. In illo ait Alex. III: « Nos attendentes, malitiam et dolum nulli patrocinari debere: Mandamus, quatenus praedictam causam, secundum formam priorum litterarum (non obstantibus posterioribus) terminetis: expensas, quas propter hoc monachi fecisse noscuntur (eo quod « canonici citati legitime, se contumaciter absentaverint) eis a canonicis restitui facientes ». Et in cap. 6 cit. decrevit Innoc. III: « Quapropter quia dictus electus nec venerat, nec sufficientem miserat responsalem ad diem sibi statutum, vel post, etiam diutius expectatus, nec de vicino eius adventu spes erat: utpote qui per litteras utcumque excusaverat moram suam, et calores aestivos, et insidias sibi positas formidabat: eum reputavimus contumacem, et ad legitimas et moderatas expensas, quas adversarii eius fecerant a tempore citationis emissae, quem ex tunc expectare incoeperant, ipsum curavimus condemnare. »

§ 2 considerat possibilem casum specialem. *Si tum actor tum reus sint contumaces*, ut participes eiusdem delicti pari poena plectantur, *ad expensas litis tenentur in solidum*, nempe: unusquisque ad omnes illas, sibi refundendas dimidiate ab altera parte.

CAPUT II.

De interventu tertii in causa.

CAN. 1852. - § 1. Is cuius interest, admitti potest ad intervenien-dum in causa in qualibet litis instantia.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter de iure interveniendi ipsum edoceat.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam perveniret.

CAN. 1853. - Si tertii interventus appareat necessarius, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio debet interventum in causa iubere.

375. Inscriptio capitis eiusque duo canones. — Deinde considerare oportet *Caput II* inscriptum *De interventu tertii in causa*, idest: personae diversae ab his, qui partem ab initio iudicii habuerunt. Hic tamen, qui tertius vocatur respectu eorum actori vel reo pro diversitate casus adhaerebit.

Revera Gregorius IX in cap. 25 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X inquit: « Quamvis regulariter aliis non noceat res inter alios iudicata: Et tamen qui, cum sibi primum de ea re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere: Ac illi etiam qui passus est eum a quo causam habuit, experiri, est praeiudicium generatum ». Ad hoc praeiudicium vitandum, quando immineat, sive ex praefatis motivis, sive ob causarum connexionem, sive quia negotium, de quo causa agitur, est pluribus commune, iustum est, ut tertius qui interesse habeat admittatur vel advocetur in iudicium. Sic enim litigia seu iudicia minuentur, atque fortassis causae praesenti maior claritas ex tali interventu accedet.

Huiusmodi interventum tertius petere potest, et recte vocabitur « interventus voluntarius », vel introducetur persona illa ex mandato iudicis, atque illi erit praefatus « interventus necessarius. » De alterutro positi sunt duo sequentes canones.

376. De interventu voluntario agit *can. 1852.* § *1* concordans capiti ex Decretalibus citato, decernit. *Is* praeter partes *cuius interest* causa ratione iuris sui, *admitti potest*, quod supponit ab illo idipsum peti, *ad interveniendum*, qua pars, *in causa* apud tribunal agitata, et hoc *in qualibet litis instantia*, videlicet: in secunda quoque vel ulteriori, si sententia iam praecesserit.

§ 2 concordat capiti 38 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X, ubi Innoc. III, relata sequenti facti specie, resolutionem dedit sequentem. « Veniens ad Apostolicam Sedem G. archidiaconus Claremon. humiliter supplicavit, ut sententiam super decanatu Claremon. ecclesiae pro eo latam, quae iam fuerat in parte exequutioni mandata, faceremus in totum exequutioni mandari:... P. subdiaconus noster se ipsi opposuit ex adverso, asserens se canonice in decanum Claremon. electum propter quod dictus archidiaconus in sua petitione non erat aliquatenus audiendus: quia decanatus ipse non ad illum sed ad se potius pertinebat: et infra. Cum igitur super his aliquandiu disceptassent, interlocuti fuimus, ut dictus P. si posset incontinenti, suam intentionem fundaret: qui cum super hoc testes et instrumenta produxerit, interloquendo pronunciavimus, quod sua intererat, ut se posset opponere archidiacono memorato ».

Non aliter Codex statuit. *Sed ut admittatur* « is cuius interest » (§ 1), *debet ante conclusionem in causa*, nam secundum huius definitionem nihil aliud recipitur nisi ex novo iudicis decreto, *libellum* ad modum actoris *iudici* causae ipsius *exhibere*, *in quo breviter de iure interveniendi* propter rationes indigitatas ibidem *ipsum edoceat*. Nisi ergo id praestet ille, non admitti debet.

Bonifacius VIII in cap. 2 « ut lite pendente nihil innovetur » (II, 8) in 6° ait: « Sane si ad defensionem ipsius litis, aliqui quorum intererit, petierint se admitti: eos in illo statu, in quo ipsam invenerint, decernimus admittendos ». Hunc textum retinuit § 3. *Qui intervenit* modo praedicto *in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur*, tam in prima quam in ulteriori instantia, seu ad prosequendam ipsam *assignato eidem brevi*, ne causa protrahatur forsan inutiliter, *ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas*, quas ergo debuit parare, *si causa ad periodum probatorium*, quam moderatus est praecedens titulus, *pervenerit*. Sic enim explicit suam decisionem Innoc III in cap. citato: « Nos igitur iustitia pronunciavimus exigente, quod testes essent recipiendi super toto negotio, quos utraque pars duceret producendos.

Quocirca mandamus, quatenus receptis testibus et rationibus partium intellectis, causam ipsam tam super principali quam etiam incidenti, fine canonico terminetis ».

377. De interventu necessario, ut causa rite finiatur secundum iustitiam, quia illa v. gr. communis est parti alterutrae cum tertio, decernit *can. 1853. Si tertii interventus*, quo parti alterutrae adhaereat, *appareat* quolibet ex motivo *necessarius*, ut declaratum est, *iudex* a) *ad instantiam partis*, quae talem videat necessitatem, *vel* b) *etiam ex officio*, quatenus ipsi iudici illud « appareat », ac semper vi huius canonis *debet interventum* illiusmodi *in causa* per decretum *iubere*. Unde vocatus tertius tenetur adire tribunal et intervenire uti pars.

CAPUT III.

De attentatis lite pendente.

CAN. 1854. - Attentatum est quidquid, lite pendente, aut altera pars adversus alteram aut ipse iudex adversus alterutram vel utramque partem innovat, parte dissentiente et in eius praeiudicium; sive innovatio respiciat litis materiam, salvo tamen praescripto can. 1672, 1673, sive respiciat terminos partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certos actus iudiciales.

CAN. 1855 - § 1. Attentata sunt ipso iure nulla.

§ 2. Idcirco parti ex attentato laesae competit actio ad obtinendam declarationem nullitatis.

§ 3. Actio haec instituenda est coram ipso iudice causae principalis; quod si ob attentatum pars laesa iudicem suspectum habeat, exceptionem suspicionis potest opponere, in qua procedendum est ad normam can. 1615.

CAN. 1856. - § 1. Pendente quaestione de attentato, cursus causae principalis regulariter suspenditur; sed si iudici opportunius videatur,

quaestio de attentato potest una cum causa principali pertractari et resolvi.

§ 2. Quaestiones de attentatis expeditissime sunt pertractandae et decreto iudicis definiendae, auditis partibus et promotore iustitiae vel defensore vinculi, si hi iudicio intersint.

Can. 1857. - § 1. Demonstrato attentato, iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem.

§ 2. Quod si attentatum vi vel dolo patratum sit, qui illud commisit, tenetur etiam de damnis erga partem laesam.

378. Inscriptio capitis et canones eius. — Multiplex causa incidens, et quae in omnibus causis accidere potest, consideratur in praesentiarum. *Caput III* est inscriptum *De attentatis*, quia sunt haec adversus leges iustitiae vel canonum, et quae in hoc conveniunt ut patrentur *lite pendente*, quod incipit « cum (prima) citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium (primo) venerint » (can. 1725, 5°).

Attentatorum notio completa est quam edocet can. 1854, illorum iuridicos effectus explicat can. 1855, de huiusmodi quaestionibus resolvendis agit can. 1856, et ultimus quaedam praescribit, « demonstrato attentato », servanda.

379. Attentati notio. — *Can. 1854. Attentatum* in iudiciis, iuxta denominationem iuris antiqui et Doctorum, *est quidquid*, quoad tempus a) *lite pendente*, videlicet: post primam rei legitimam citationem, vel etiam post appellationem, secundum illud cap. 19 « de iudiciis » (II, 1) X: « quatenus si ex dictis gravaminibus, vel aliquo ipsorum appellatum constiterit, revocato in irritum quidquid post appellationem huiusmodi inveneritis attentatum », b) quoad illud patrantem *aut altera pars*, sive actor sive reus, *adversus alteram aut ipse iudex adversus alterutram*, tum reum, tum actorem, *vel utramque partem innovat*, c) quoad istam vero innovationem patratam *parte* alterutra *dissentiente* simul *et in eius praeiudicium* saltem praevisum, quod constituit pravitatem attentati, *sive* quoad obiectum a) *innovatio respiciat litis materiam*, quoad ius, possessionem, etiam precariam, propter quod additur: *salvo tamen praescripto can. 1672, 1673* permittente « rei sequestrationem et inhibitionem exercitii iuris », b) *sive respiciat* extensionem vel coarctationem saltem indirectas circa *terminos partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certos actus iudiciales*, v. gr. adductionem probationum, depositionem documentorum, etc.

380. Effectus attentatorum ad ius quod attinet, sunt sequentes. *Can. 1855.* § *1.* Ad hoc ut talia partium praeiudicia efficaciter coerceantur, statutum est: *Attentata* quaelibet sub praec. canone comprehensa *sunt ipso iure nulla*. Proinde ipsis applicatur reg.

iuris 64 in 6°: « Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi », Et respectu iudicis admittitur reg. 26 in 6: « Ea quae fiunt a iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt. »

Consequens huic praescripto est § 2 sic incipiens. *Idcirco parti ex attentato laesae*, sive a iudice sive ab altera parte, *competit* vi canonis 1679 *actio* seu ius petendi in iudicio *ad obtinendam* post debitas probationes *declarationem nullitatis*, et quidem antequam causa cognoscatur in gradu appellationis, si agatur de attentato inferioris iudicis post ipsam, congruenter iuri antiquo Decretalium.

Nec dictum postremo est contrarium § 3. *Actio haec* attentati causa, *instituenda est coram ipso iudice* primae vel secundae instantiae causam cognoscente ex propria competentia *causae principalis; quod si ob attentatum*, quia v. gr. commissum a iudice, *pars laesa* et proponens actionem *iudicem suspectum* rationabiliter *habeat*, ne pronuntiet ex aliqua inordinata passione, malitia, vel errore, *exceptionem suspicionis* contra ipsum qua iudicem attentati *potest opponere*, *in qua procedendum est ad normam can. 1615*. Videlicet: « persona iudicis mutari debet, non vero iudicii gradus ». Item: « Ordinarii est alios a suspicione immunes subrogare ». Ac « si ipsemet Ordinarius declaratus fuerit suspectus, idem peragat iudex immediate superior ».

381. De processu circa quaestionem de attentato sunt observanda praescripta *can. 1856*. Et quidem § *1* statuit: *Pendente*, idest: dum discutitur ad definitionem, *quaestione*, seu actionis exercitio competentis parti laesae, *de attentato* in can. 1854 declarato, *cursus* seu processus *causae principalis* iuxta initialem libellum *regulariter suspenditur* usque ad illius quaestionis dilucidationem ac solutionem, sed huic regulae subditur exceptio remissa auctoritati hominis statuenda ex circumstantiis: *sed si iudici* « causae principalis » secundum can. praec. § 3 *opportunius videatur*, ad parcendum tempori, *quaestio de attentato potest* ex iuris permissione hic data, *una cum causa principali*, seu absque huius suspensione, *pertractari et resolvi* uno contextu cum sententia.

Circa modum servandum in processu decernit § 2. *Quaestiones* singulae *de attentatis* ex can. 1854 eruendae *expeditissime*, quod verbum innuit maximam celeritatem possibilem, salva iustitiae veritate, *sunt pertractandae et decreto iudicis*, quod a sententia differt iure, *definiendae*, cauto quod sequens praescriptum semper servetur, *auditis* a) *partibus*, nempe actore et reo, b) *et*

promotore iustitiae vel defensore vinculi sub nullitate actorum, *si hi iudicio intersint* ex praecepto iuris vel iudicis decreto.

382. Effectus iuridici sunt duo, quorum primus semper locum habet, alter vero solum in casibus. *Can. 1857.*

§ *1. Demonstrato attentato* ex probationibus, *iudex decernere debet* simul cum eo, *eius* « innovationis, lite pendente » (can. 1854) *revocationem*, quae possibilis iure sit, *seu purgationem*, ita ut censeatur sine iuridico effectu ex auctoritate.

Hi duo modi aliis verbis continentur in cap. 7 « de appellationibus (II, 15) in 6°: « Non solum innovata post appellationem a diffinitiva sententia interiectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus iura post sententiam prohibent appellare) ante omnia, quae medio tempore inter sententiam et appellationem (quae postmodum infra decennium interponitur ab eadem) contingit innovari, ac si post appellationem eandem innovata fuissent. Illa vero quae post appellationem interpositam ante diffinitivam sententiam innovantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent: nisi iudex appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem emissam, ex causa probabili fore ad se negotium devolutum) inhibeat canonice iudici a quo appellatum extitit, ne procedat: tunc enim quidquid post inhibitionem huiusmodi fuerit innovatum, est (licet causa eadem non sit vera) per eumdem appellationis iudicem, ante omnia, in statum pristinum reducendum ».

§ 2 « attendens malitiam et dolum nulli patrocinari debere » [1] *Quod si attentatum* quodlibet ex contentis sub can. 1854, *vi* morali aut physica *vel dolo*, ad circumveniendum mendacio adhibito *patratum sit*, tunc pars vel iudex *qui illud commissit* attentatum, *tenetur etiam* seu ultra effectum §[i] praecedentis *de damnis* inde sequutis *erga partem laesam*, sive una sit sive utraque.

Exemplum huiusmodi praebet cap. 4 « ut lite pendente nihil innovetur » (II, 16) X. Sic decernit ibidem Innoc. III: « Possessionem, quam fuerat, praetermisso iuris ordine, praedicta ecclesia spoliata, sibi restitui postulabat: et infra. Nos quidquid ab aliis factum fuit (postquam praedecessor noster ad curiam suam idem negotium revocavit) irritum decernimus et inane: et infra. Verum quoniam praefatam possessionem, post restitutionem vobis factam ab Ioan. de Ateia, alii locationis titulo assignastis, neque restituere poteratis ecclesiae spoliatae: loco ipsius tantumdem possessionum aequivalentium, ad arbitrium bonorum virorum, ipsi ec-

[1] Cap. 2 « de dolo et contumacia » (II, 14) X.

clesiae fecimus assignari: quas, quoniam alii fuerant pignori obligatae, per vos liberari fecimus a creditoribus, qui nobis instrumentum pignoris resignaverunt.

TITULUS XII.

De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione.

CAN. 1858. - Ante causae discussionem et sententiam omnes probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt, sunt publicandae.

CAN. 1859. - Concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta publicatio processus.

CAN. 1860. - § 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, *ad conclusionem in causa* deveniendum est.

§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocunque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.

CAN. 1861. - § 1. Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi agatur de causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt.

§ 2. Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, audita altera parte, cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit; aliter iudicium nullius est momenti.

CAN. 1862. - § 1. Facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum temporis spatium praestituat ad defensiones suas seu allegationes sive per se sive per advocatum exhibendas.

§ 2. Hic terminus prorogari a iudice potest instante una parte, audita altera; vel etiam coarctari, utraque consentiente.

CAN. 1863. - § 1. Defensio in scriptis est conficienda, et regulariter tot exemplaribus conscribenda quot sunt iudices, ut singula singulis iudicibus possint exemplaria distribui.

§ 2. Sed etiam promotori iustitiae et defensori vinculi, si iudicio intersint, debet exemplar tradi; praeterea partes inter se exemplaria commutare debent.

§ 3. Tribunalis praeses, quoties pro suo prudenti arbitrio necessarium censeat, et sine nimio partium gravamine fieri animadvertat, mandare potest ut defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus in fasciculo coniungendis, qui actorum et documentorum summarium continet.

§ 4. Quo in casu iubeat ne quidquam imprimatur, nisi prius exhibito manuscripto et venia illud publicandi obtenta; praeterea sedulo caveat de secreto, si quod sit in causa servandum.

CAN. 1864. - Iudicis et in tribunali collegiali praesidis est moderari, pro sua prudentia, nimiam defensionum extensionem, nisi de hoc peculiari tribunalis lege sit cautum.

CAN. 1865. - § 1. Communicatis vicissim inter partes defensionum

scripturis, utrique parti responsiones exhibere liceat, intra breve tempus a iudice praestitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in can. 1863, 1864.

§ 2. Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudicii gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio, uni parti facta, alteri quoque data censeatur.

Can. 1866. - § 1. *Informationes*, uti vocant, *orales*, quibus videlicet advocati iudicem de adiunctis iuris et facti causam respicientibus instruere satagunt, prohibentur.

§ 2. Admittitur tamen moderata disputatio coram iudice pro tribunali sedente ad aliquid illustrandum, si, alterutra vel utraque parte postulante, iudex eam utilem censeat atque admittat.

§ 3. Ad disputationem obtinendam partes exhibere debent in scriptis quaestionum capita cum altera parte discutienda, paucis verbis expressa; iudicis autem est ea cum partibus hinc inde communicare, ac diem et horam disputationi assignare et disputationem ipsam moderari.

§ 4. Disputationi assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ad tramitem iuris ex continenti referre.

Can. 1867. - In causis contentiosis, si partes parare sibi tempore utili defensionem negligant, aut se remittant iudicis scientiae et conscientiae, iudex, si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare.



383. Inscriptio tituli et canonum coordinatio. — Postquam in praecedentibus omnia sub regula fuerunt posita, quae ad veritatis elucidationem apud iudicem ducebant, restat ut partes indigeant cognoscere quaecumque sibi in processu adversentur, et sic detur eis facultas ea opponere, quae fortassis mentem iudicis ad securam iustitiae sententiam parent viam. Propterea sequitur *Titulus XII. De processus publicatione*, qua nota fiunt partibus omnia, quae hucusque in actis relata sunt, *de conclusione in causa*, ita ut aliquando finis imponatur stadio adducendarum probationum,

et de causae discussione, ut sic omnia cribrata maneant, quod iudex possit ad sententiam iustam sibi iudicium secundum conscientiam efformare.

Iuxta declaratam inscriptionem ordinantur tituli canones. Praecedunt ergo can. 1858, 1859 de tempore praefatae publicationis et edicitur quo actu perficiatur. Hos sequuntur canones 1860, 1861, de modo causam concludendi atque de huiusmodi decreti effectibus. Caeteri canones usque ad finem sub Titulo, discussionem causae moderantur, et primo quoad fatalia can. 1862, quoad moderandas defensiones sunt can. 1863 usque ad can. 1865, quibus additur can. 1866 de orali disceptatione forsan sequutura et ultimus can. 1867 statuit quo altero modo queat iudex ad sententiam proferendam devenire.

384. De processus publicatione necessario facienda persuasio exurgit ex his, quae Innoc. III ait in cap. 24 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V. 1): « Debet igitur esse praeseus is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit: et exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, et a quo sit dictum appareat, publicanda: necnon exceptiones, et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum vero exclusionem deponendi falsum audacia praebeatur ».

Ad hoc igitur, ut iustitia in singulis causis per malitiam aut mendacium, vel errorem in factis non pervertatur, danda est facultas utrique parti, ut sibi undequaque provideat. Propterea optime statuit *can. 1858. Ante causae discussionem*, ex allegatis et probatis in processu, quae fundamentum unicum sunt praeter iura in sententia, *et*, etiam illa omissa quandoque ad tenorem can. 1867 « in causis contentiosis », tunc ante *sententiam*, qua ius de controversiae objecto decernitur, a) *omnes probationes quae sunt in actis*, nulla excepta, propter quod additur specialiter *et* b) *quae adhuc* propter iuris praescriptum, iudicis praeceptum, vel aliud etiam iniustum motivum *secretae permanserunt*, *sunt publicandae* partibus, sicut explicatur in sequenti canone.

385. Modus talis publicationis sufficiens ex praescripto talis est. *Can. 1859. Concessa* per iudicis decretum a) *partibus* b) *earumque* etiam *advocatis facultate* authentica tum *acta processualia* pro libitu apud cancellariam *inspiciendi*, *petendique* ad propriam commoditatem et propriis expensis *eorum* omnium vel aliquorum pro libitu *exemplar*, *intelligitur* iure *facta publicatio processus*,

de qua in Codice. Haec « facultas » vero secumfert moram necessariam pro eiusdem effectu.

386. De conclusione in causa ordinare incipit *can. 1860.* Stadio probatorio in causis est quandoque finis imponendus, ne pars quae timet sibi adversam sententiam, queat praetexere adductionem probationum ad moras nectendas. Hinc iuxta praecedentes Instructiones tum Congr.s S. Officii, tum S. Congr. de Prop. Fide et secundum Legem propriam Tribunalium Sanctae Sedis, decernit § *1. Expletis omnibus quae* pro diversitate iudiciorum ad normam ss. canonum *ad probationes producendas* omni ex parte ad effectum sufficientes *pertinent*, unde plene evolutum stadium hoc, *ad conclusionem in causa*, prout a Doctoribus rite vocabatur, *deveniendum est* ex huius canonis praecepto.

§ 2. *Haec conclusio* iure necessaria *habetur quoties* pro diversis casibus a) *aut partes*, ipse quoque promotor iustitiae ac defensor vinculi, *a iudice interrogatae declarent*, nec sufficeret certo spontanea declaratio, *se nihil aliud deducendum habere*, b) *aut utile proponendis probationibus tempus*, nempe: « ita ut ignoranti aut agere non valenti non currat » (can. 35), *a iudice* forsan *praestitutum elapsum sit*, *aut* c) *iudex declaret* liquidis verbis *se satis instructam causam habere*, seu scopum stadii illius esse obtentum eidem iudici.

Per aliquem ex illis actibus conclusionem in causa fieri dictum est, sed illos esse distinctos a sequenti, exprimit § 3 dicens. *De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, iudex decretum ferat* idest: pronunciet cum redactione in actis illam determinato modo peractam, additis die, mense et anno cum subscriptione.

387. Effectus iuridicus conclusionis in causa refertur secundum Decretalium ius in *can. 1861.* Etenim in cap. 9 « de fide instrumentorum »(II, 22) ait Innoc. III: « Ad secundam quaestionem duximus respondendum, quod utraque pars potest instrumenta etiam post publicationem attestationum usque ad diffinitivae sententiae calculum exhibere, antequam sit in causa conclusum », quamvis « sub praetextu novorum instrumentorum lites non debeant instaurari », ut legitur in cap. 20 « de sententia et re iudicata » (II, 27).

Clemens vero III expresse respicit conclusionem in causa, dum ait in cap. 6 « de probationibus » (II, 19) X, vel saltem eruitur per argumentum a fortiori: « Quia vero requisisti a Nobis quid agendum sit, cum quidam alius probare velit contra praedictam probationem iuramentis canonicis factam, et partibus

publicatam, nullo eos sese consanguinitatis gradu contingere: respondemus, quod standum est probationi priori ».

His consonat § *1. Post conclusionem in causa* decretam ad normam can. praec.s *novae probationes*, sive prioribus vim addentes, sive ipsis contrariae, atque ab actore vel reo proponendae iure *inhibentur*, tanquam regula. In cap. autem 5 « de causa possessionis et proprietatis » (II, 12) X admonemur: « His igitur et aliis causis inspectis (quae continent aequitatem, aut iuste moverint animum iudicantis) postquam etiam conclusum fuerit, posse agi possessorio iudicio non negamus ». Removens igitur iudicis arbitrium, proponitur paragraphus tres afferens exceptiones, addendo *nisi agatur* a) *de causis quae numquam transeunt in rem iudicatam*, scilicet: « causae de statu personarum », et in quibus etiam post duplicem sententiam conformem, propositio causae admittitur « novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis » iuxta can. 1903. Multo magis probationes novae afferri posse debuerunt post conclusionem in causa, nondum prolata sententia. Secunda exceptio est: *aut* b) « agatur » *de documentis nunc primum repertis*, quod bene adnotetur esse probandum praevie. Tertius casus vero sic exprimitur: *aut* c) *de testibus qui antea ob legitimum impedimentum*, natura existens vel hominum voluntate ortum, quod sufficiens sit iuxta legem reputandum, *tempore utili* iuxta canones de testibus *induci* coram iudice *non potuerunt*, « nisi forsan sufficiens productio testium super principali iam facta fuerit, vel renunciatum testibus » (cap. 29 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X), his enim in casibus abesset ratio exceptionis, ut nempe ius partium interesse prospiciat.

Applicatio praecedentis normae ad singulos casus est, quam respicit § 2 dicens. *Si novas*, proinde anteriorum declarationes non reguntur praesenti paragrapho, *probationes admittendas* post conclusionem in causa *censeat* secundum §m primam supple « iudex », a) *id decernat iudex*, seu pronuntiet in actis iubendo, b) *audita altera parte*, utrum assentiat vel non, vel quidquam obiiciat admissioni petitae, c) *cui congruum tempus* respiciens ad circumstantias *concedat* « iudex » in hunc finem *ut novas probationes* sibi adversas *cognoscere*, extendens ad has effectum conclusionis in causa, *et se defendere* ab illis *possit:* et hoc tam severe iubetur ut *aliter iudicium* ab hoc tempore *nullius est momenti*, unde sententia forsan sequuta laboraret nullitatis defectu.

388. Fatalia defensionum et allegationum. *Can. 1862* decernit modum probationibus utendi, quae in actis redactae sunt. Aitque

§ *1. Facta* per decretum conclusione in causa, *iudex*, eique praecipitur, a) *pro suo prudenti* ex circumstantiis actorum quoad multitudinem, obscuritatem, et magnitudinem obiecti, b) *partibus*, actori reoque, *congruum* seu amplitudinis sufficientis *temporis spatium praestituat* c) *ad defensiones suas* idest: argumenta promenda secundum acta et probata, *seu allegationes*, textus iuris atque actorum afferendo, *sive per se sive per advocatum*, qui ad eas conficiendas magis idoneus praesumitur, apud tribunalis cancellariam *exhibendas*.

Cum supervenire possint impedimenta vel difficultates in adimplemento praestitutionis supradictae, providet § *2. Hic terminus* « temporis congrui » a) *prorogari a iudice*, quia ipse constituit illum, *potest* sub conditione: *instante una parte*, cui nempe hoc intersit, *audita* vero *altera*, et hoc sufficit, quamvis obstet prorrogationi; b) *vel etiam coarctari*, parcens tempori forsan nimio, sed tunc *utraque consentiente*, ne forte impingat contra regulam iuris 33 in 6°: « Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum ».

389. Defensionum confectio conformanda est *can. 1863* desumpto ex Lege propria Tribunalium Sanctae Sedis. *Defensio* in can. praec. memorata, tum actoris, tum rei, a) *in scriptis est conficienda, et* b) *regulariter*, quia exceptio admitti potest ex benignitate iudicum, *tot exemplaribus* eadem *conscribenda* manu, vel machina, *quot sunt iudices* in tribunali collegiali causae, *ut singula singulis iudicibus*, qui sententiam dare debent, *possint exemplaria* per cancellarium *distribui* apud ipsos conservanda.

§ *2. Sed etiam*, alia exemplaria sunt conscribenda, quia *promotori iustitiae et defensori vinculi, si iudicio* huic *intersint, debet* ex iuris praecepto *exemplar tradi* forsan a partibus directe; *praeterea* semper *partes inter se* directe *exemplaria commutare debent*, ut omnibus praedictis utraque defensio nota fiat.

Lex propria saepius citata sub can. 26 haec habet. « § 1. Defensio typis est imprimenda: § 2. Defensioni adiungendum est summarium, typis pariter impressum, in quo documenta potiora contineantur ».

Hanc utilem praxim ceteris tribunalibus inferioribus commendat prudenter § 3 aiens. *Tribunalis* tantum collegialis *praeses, quoties pro suo prudenti arbitrio*, cui parendum erit, a) *necessarium*, non solum utile, *censeat, et* b) *sine nimio partium gravamine*, quod certo aderit semper in tribunali unipersonali, *fieri animadvertat* ex facultate partium ac temporis mora, *mandare po-*

test vi huius canonis *ut defensio* alterutra vel utraque *typis imprimatur*.

Sed in canone Legis propriae paulo antea citato, ait « § 3. Exemplar tum defensionis tum responsionis antequam edatur exhibendum est Ponenti vel eius studii adiutori, ut imprimendi atque evulgandi facultas impetretur ». Similiter in praesenti Codicis canone, statuit § *1. Quo in casu* defensionem typis imprimendi *iubeat* « tribunalis praeses » a) *ne quidquam* ex dictis sub § 3 *imprimatur*, *nisi* b) *prius exhibito* sibi vel designato alteri *manuscripto et* c) *venia* « praesidis » *illud* praecise manuscriptum *publicandi* modo praefato *obtenta* saltem verbotenus; et hoc semper, sed *praeterea sedulo caveat* modo sufficienti, v. gr. apponendo talem indicationem pro typographia illiusque manuscripti exemplaribus, qua iussum intelligitur *de secreto* servando erga illos, qui partem ullam in re non habent, *si quod sit in causa* tota, vel partialiter *servandum*, ex natura ipsius vel iuris praescripto.

390. Amplitudo defensionum committitur moderanda. Sunt enim nonnulli, qui putent argumentorum multitudine, potius quam ipsorum vi rem demonstrari. Propterea inquit *Can. 1864. Iudicis* unici *et* b) *in tribunali collegiali praesidis est*, eo quod iustitiam ipsam pronunciatio non respiciat, *moderari*, *pro sua prudentia* perpendens causae momentum et probationes adductas, *nimiam* vitandam *defensionum* ex utraque parte *extensionem* quoad numerum foliorum, quibus constent, illique parendum erit, *nisi de hoc* prae iudice *peculiari tribunalis* cuiusdam *lege sit cautum*, in quo casu tam iudex aut praeses quam partes legi pareant, necesse est. V. gr. Lex propria Tribunalis tum S. Rom. Rotae, tum Signaturae Apostolicae continet can. 29 huius tenoris.

« § 1. Defensionis scriptura excedere non debet viginti paginas formae typographicae ordinariae folii romani. Responsiones decem paginas.

§ 2. Si ob gravitatem, difficultatem, aut grande volumen documentorum parti vel patrono necesse sit hos limites excedere, a Ponente supplici libello id ipsi impetrabunt. Ponens autem decreto suo statuet numerum ulteriorem paginarum quem concedit, quemque praetergredi nefas est. »

391. De responsionibus mutuis ad infirmandas probationes cavet *can. 1865*. Experientia constat ea, quae liquido patent, ut videtur, per animadversiones ab eo factas, qui rem optime cognoscit, dubia fiant vel errore infecta appareant. Ideoque prudenter statuit § *1. Convocatis vicissim inter partes* ad normam can. 1863 § 2 *defensionum scripturis* forsan typis exaratis, a) *utri-*

que parti responsiones probationi contrariae partis *exhibere* apud cancellariam tribunalis *liceat*, b) *intra breve tempus a iudice* seu tribunalis praeside *praestitutum*, *et* c) *servatis regulis et cautelis* quoad defensiones *de quibus in can. 1863, 1864* actum est cum declaratione ipsarum, et hinc ad responsiones extensis.

Ut dilationibus finiendae causae parcatur, atque in hac re partes coarctentur, iubet insuper § 2. *Hoc ius* se defendendi *partibus semel tantum esto*, ita ut replicationes sint prohibitae, *nisi iudici* ut supra, a) *gravi ex causa iterum* solummodo *videatur concedendum; tunc autem* b) *concessio*, positive *uni parti*, actori vel reo expostulanti *facta*, *alteri quoque* tacite *data censeatur*, aequitate sic exigente, quam exprimit reg. iuris 32 in 6°: « Non licet actori, quod reo licitum non existit ».

392. De oralibus informationibus et disputationibus apud ecclesiastica tribunalia decernit *can. 1866*. Hoc systema, quod in foro civili praevaluit, tantum moderate admittit Codex, et rationabiliter, ne passiones excitentur in eo, qui secundum tranquillam mentem edicere debet quid in casu iustum sit.

§ 1. *Informationes*, *uti vocant* forenses, *orales*, et additur notio, *quibus videlicet advocati iudicem* unumquemque in illa causa *de adiunctis iuris et facti causam respicientibus*, prout ea vident, verbotenus *instruere* privatim *salagunt*, *prohibentur*. Haec regula desumpta est ex can. 30 Legis propriae: « Quae dicuntur *informationes orales ad iudicem*, in sacra Rota prohibentur ».

Addita ibidem extendit quoque ad inferiora tribunalia § 2. *Admittitur tamen* a) *moderata* quoad tempus et modum *disputatio* oralis b) *coram iudice pro tribunali* collegiali etiam *sedente*, idest: proprium munus exercente *ad aliquid* iuris vel facti *illustrandum*, ut liquido veritas patefiat, *si*, c) *alterutra vel utraque parte postulante* idipsum, d) *iudex eam utilem* scopo *censeat atque admittat*. Non autem est translatum in Codicem: « aut tribunal statuat ut eadem (moderata disputatio) habeatur. » Proinde non potest ex officio statui in tribunalibus inferioribus.

De illa postulatione est § 3. *Ad disputationem obtinendam* vi huius canonis *partes* (saltem alterutra) *exhibere debent* a) *in scriptis* b) *quaestionum capita cum altera parte* oraliter *discutienda*, c) *paucis verbis expressa; iudicis autem est* praeter admissionem ex § praec. a) *ea* « capita » forsitan distincta per utramque partem proposita *cum partibus* seu personis, quae adesse debeant, *hinc inde* nescientibus *communicare*, *ac* b) *diem et horam disputationi* habendae *assignare* praeceptive, *et* c) *disputationem ipsam* auctoritative *moderari*.

Quo utilitas maior capiatur iubet § 4. *Disputationi assistat unus ex notariis tribunalis*, sive actuarius illius causae, sive alter, *ad hoc ut, si* a) *iudex* motu proprio *praecipiat* b) *aut pars* alterutra *postulet et iudex consentiat*, ad quod non obligatur, *possit* disiunctive vel copulative *de disceptatis, confessis* ab aliqua ex partibus *aut conclusis* inter ipsas, *scripto ad tramitem iuris* sub can. 1642, 1643, *ex continenti referre* authentice.

393. Exclusio defensionum iure admissa est sequentibus in casibus, quos refert *can. 1867* concors iuri Decretalium. Etenim cap. 6 « de renunciatione » (I, 9) X affert primo congruam rationem adhibendarum defensionum, et postea confirmat ipsarum renunciationem. Sic ait Clem. III: « Licet igitur iudex non semper ad unam speciem probationis applicet mentem suam, sed ex confessionibus, depositionibus, allegationibus, et aliis, quae in eius praesentia proponuntur, formet animi sui motum: et tanta sit iudicialis auctoritas, ut semper pro ipso praesumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitime comprobetur: quare si tu coram Dulmen. episcopo et eius coniudicibus nihil penitus probavisses, standum tamen sententiae fuerat, nisi adversarius eam ostenderet irritandam.

Quia tamen praeter ista constitit de ipsius renunciatione spontanea per quasdam episcoporum litteras et confessionem ipsius, nos et super eadem abbatia silentium duximus imponendum ».

Infertur igitur rationabiliter: *In causis contentiosis*, quia ipsarum partium « iura persequenda aut vindicanda, vel facta iuridica declaranda » (can. 1552, § 2, 1°) sunt, *si partes* eaedem vel alterutra a) *parare sibi tempore utili* forsan prorogato ad normam can. 1862, *defensionem negligant*, ac tunc ex renunciatione tacita, *aut* b) *se remittant* singulae *iudicis scientiae et conscientiae* ex actis efformandae, et implicite saltem renunciationem defensionis exprimant, *iudex*, vel collegiale tribunal, a) *si ex actis et probatis* ante conclusionem in causa *rem* decidendam *habeat perspectam* quoad iustum peculiare in causa, *poterit* vi huius canonis ac praedictae alteriusutrius renunciationis statim post renunciationem, vel in eam post unius tantum partis defensionem ac contrarium responsionem, *sententiam* definitivam *pronuntiare*.

TITULUS XIII.

De sententia.

Can. 1868. - § 1. Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, sententia est: eaque *interlocutoria* dicitur, si dirimat incidentem causam; *definitiva*, si principalem.

§ 2. Ceterae iudicis pronuntiationes *decreta* vocantur.

Can. 1869. - § 1 Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.

§ 2. Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.

§ 3. Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis.

§ 4. Iudex qui eam certitudinem efformare sibi non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et reum dimittat, nisi agatur de causa favorabili, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto can. 1697, §2.

Can. 1870. - Sententia ferri a iudice debet, expleta causae disceptatione; et si causa sit implicatior et contentionum vel documentorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum.

Can. 1871. - § 1. In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses constituat; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.

§ 2. Assignata conventui die singuli iudices scriptas afferent conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones actis causae adiungantur, secreto servandae.

§ 3. Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.

§ 4. In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere.

§ 5. Quod si iudices in prima discussione ad hanc sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam comperendinari non debet.

Can. 1872. - Si unicus sit iudex, ipsius tantum est sententiam exarare; in tribunali vero collegiali servetur praescriptum can. 1584.

Can. 1873. - § 1. Sententia debet:

1.° Definire controversiam coram tribunali agitatam; hoc est reum absolvere vel condemnare quod attinet ad petitiones vel accusationes adversus eum prolatas, data singulis dubiis, seu controversiae articulis, congrua responsione;

2.° Determinare (saltem quatenus fas sit et materia patiatur), quid pars damnata dare, facere, praestare, aut pati debeat, aut a quo abstinere; itemque quo modo, loco vel tempore obligatio implenda sit;

3.° Continere rationes seu *motiva* quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur;

4.° Statuere de litis expensis.

§ 2. In tribunali collegiali motiva ab extensore desumantur ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi ab ipsa iu-

dicum maiore parte praefinitum fuerit quaenam sint motiva proferenda.

CAN. 1874. - § 1. Sententia ferri debet, divino Nomine ab initio semper invocato.

§ 2. Dein exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, reus, procurator, nominibus et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.

§ 3. Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.

§ 4. Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.

§ 5. Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus exarata est et cum subscriptione iudicis vel omnium iudicum, si plures fuerint, et notarii.

CAN. 1875. - Regulae superius positae locum habent potissimum in proferenda sententia definitiva; sed applicantur etiam, quantum diversa res patitur, in proferenda interlocutoria.

CAN. 1876. - Sententia, hac ratione redacta, quamprimum publicetur.

CAN. 1877. - Publicatio sententiae fieri potest tribus modis, vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente; vel partibus denuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel tandem, ubi usus viget, sententiae exemplar transmittendo ad partes per publicos tabellarios ad normam can. 1719.

Titulus XIII De sententia
- notio et distinctio a decretis — Can. 1868
- requiruntur
  - in iudice — » 1869
  - quoad tempus — » 1870
- exaranda
  - a tribunali
    - collegiali — » 1871
    - non collegiali — » 1872
  - et continente
    - quaedam — » 1873
    - sub determinata forma — » 1874
- interlocutoria proferenda — » 1875
- publicanda
  - quamprimum — » 1876
  - uno ex tribus modis — » 1877

394. Inscriptio Tituli et huius ordinati canones. — Gregorius inquit [1]: « Iurgantium controversias, celeri sententia terminare, et aequitati convenit et rigori », De qua sententia inquit Leo Papa [2]: « Ea, quae iuxta ecclesiasticum morem iuste et rationabiliter fuerint diffinita, nostra quoque sententia roborentur. » Cum igitur in praecedentibus Titulis omnia praescripta sint digesta, quorum

[1] Cap. 2. « De sententia et re iudicata » (II, 27) X. — [2] Cap. 4. « De sententia et re iudicata » (II, 27) X.

observantia iudicata fuit necessaria, ut iusta et rationabilis diffinitio controversiae obtineatur, subiungitur *Titulus XIII. De sententia* ipsa rite promenda.

Sententia idem est ac « diffinitio illius quod iustum est in casu particulari. » Sic enim legitur in cap. 10 « de verborum significatione » (II, 40): « Causa a casu quo venit dicitur, est enim materia et origo negotii, necdum discussionis examine patefacta: quae dum proponitur, causa est: dum discutitur, iudicium: dum finitur iustitia et infra: Iudex dictus quasi ius dicens populo ».

In Decretalium collectionibus sub Lib. II invenitur Titulus « de sententia et re iudicata », sed cum inter unam alteramve adsint nonnulla remedia contra sententiam, quae obstaculum causant ne res iudicata fiat, opportune Codex providit logica titulorum distributione.

Quoad sententiam vero statuere oportet quid per illud verbum proprie intelligendum sit, et hoc ostendit can. 1868. Quomodo rite procedat iudex, edicunt sequentes canones, tum quoad sententiae iustitiam can. 1869, cum cautelis necessarii temporis et ordinis inter plures tribunalis collegialis iudices ex can. 1870, 1871, tum quoad illam redigendam exarando, respiciendo ad substantiam quoque et formam eius extrinsecam, quae regulae extenduntur per can. 1875. Ultimo de ipsius publicatione legitima sunt can. 1876, 1877.

395. De sententia et decretis notio. — Haec duo verba multiformem habent significationem, tum in vulgari sermone, tum in scientificis libris ac materiis, tum quoad alterum saltem verbum in disciplinis canonicis necnon in ipso Codice. Sed ad praesens quod attinet notio eorum verborum stricta proponitur, qua significatione iuridica propria sunt sumenda tam in isto Libro quam in sequenti, seu pro sententia et quolibet decreto in iudiciali foro, quamvis ex contextu canonum pateat in prioribus quoque Libris Codicis illa verba eodem sensu restricta sumi, prout opportune declaravimus.

Can. 1868 § *1. Legitima,* idest: iuxta sacros canones, quorum alii attingunt validitatem, alii solum liceitatem sententiae, *pronunciatio*, pluribus constans propositionibus, non praecise oralis, quia in scriptis redigenda est, nec est necesse ut semper a iudice vel coram eo pro tribunali sedente legatur, sed verbum illud implicitam habet communicationem decisionis aliis, et hoc vult exprimi uti de natura sententiae, *qua* « pronunciatione a) *iudex* qua talis b) *causam* singularem *a litigantibus propositam* per libellum cum litis contestatione, vel in decursu iudicii aequipollen-

tibus actibus, *et* c) *iudiciali modo*, non solum administrativo, *pertractatam* iuxta canones huius primae Partis, d) *definit* auctoritate publica, *sententia est*, in se, ac sic vocatur proprie in Codice, ut supra, et antiquitus addebatur iudicialis: sequitur distinctio illius sic: *eaque* a) *interlocutoria* proprie dicitur, *si dirimat* idest definiat *incidentem*, inter iudicialem processum, *causam* iudicialiter pertractandam, b) *definitiva*, *si principalem* seu causam initio iudicii propositam, et proinde finiens authentice controversiam saltem apud hanc instantiam.

§ 2. *Ceterae*, quae in uno vel altero requisito deficiant a notione sententiae declarata, *iudicis* munus proprium exercentis *pronunciationes* verbo vel in scriptis *decreta*, quae proinde sunt iudicialia distincta ab aliis Decretis Conciliorum, Episcoporum, administrativis, etc. *vocantur* in hoc et sequenti Libro.

396. Praerequisita in iudice omnia recenset *can. 1869*. Cum sententia debeat esse auctoritativa manifestatio illius, quod iustum sit in particulari controversia, sequitur norma servanda, quam tradit § *1. Ad pronunciationem* declaratam *cuiuslibet sententiae*, tam interlocutoriae, quam definitivae in iudicio contentioso aut criminali *requiritur* ex iure naturali ac positivo *in iudicis animo*, cui debet conformari veritas pronunciationis, *moralis certitudo*, quia hanc solam patitur materia deffinienda, et quae iuxta modum agendi hominum excludit prudens de errore dubium, seu probabilitatem veram, non ipsam erroris possibilitatem vel dubium leve, *circa rem sententia definiendam*, quod nempe haec sit iuxta illam pronunciationem vere iusta.

Porro « iudicare pertinet ad iudicem, secundum quod fungitur publica potestate; et ideo informari debet in iudicando non secundum id quod ipse novit tanquam privata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tanquam personae publicae. Hoc autem innotescit ei et in communi et in particulari: in communi quidem per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas, nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio aliquo per instrumenta et testes, et alia huiusmodi legitima documenta, quae debet sequi in iudicando magis quam id quod ipse novit tanquam privata persona ». Hanc doctrinam generalem tradidit Angelicus Praeceptor [1], quam sic confirmat pro ecclesiastico foro § *2. Hanc certitudinem*, de qua § 1, *iudex* quilibet Ecclesiae *haurire debet ex actis* a notario redactis *et probatis* ibidem.

[1] 2ª 2ae q. LXVII, art. II, corp.

Nec tale praescriptum est novum, nam satis expressum est in cap. 1 « de sententia et re iudicata » (II, 14) in 6° sequentibus verbis: « Cum aeterni tribunal iudicis illum reum non habeat, quem iniuste iudex condemnat, testante Propheta, nec damnabit eum, cum iudicabitur illi. Caveant ecclesiastici iudices, et prudenter attendant, ut in causarum processibus, nil vendicet odium, vel favor usurpet, timor exulet, praemium aut expectatio praemii iustitiam non evertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant aequo libramine, ut in omnibus quae in causis agenda fuerint, praesertim in concipiendis sententiis et ferendis, prae oculis habeant solum Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, ut secundum eius imperium iudicaret.

Confirmatur etiam praescriptum illud ex reg. 12 iuris in 6° quae dicit: « In iudiciis non est acceptio personarum habenda ».

§ 3. *Probationes autem singulas*, quoad earum vim seiunctim vel coniunctim sufficientem definiendae causae, *aestimare iudex* ad certitudinem praedictam sibi efformandam *debet ex sua conscientia*, quae iuris scientiam praesupponit atque diligentem casus considerationem, illam huic applicando, *nisi lex* canonica etiam in Decretalibus relicta, vel civilis ab altera recepta *aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis* peculiaris, quae in sua specie dicatur plena aut semiplena, quatenus secundum eamdem sit sententia promenda, vel hanc fundet, indigens alia eiusdem vis probatione. Ita v. gr. Clemens V in Conc. Viennensi [1] testatur: « Litteris nostris quibus nos dignitates quaslibet seu beneficia collationi nostrae vel Sedi Apostolicae reservasse,... vel alia similia, super quibus gratia vel intentio nostra fundatur, fecisse narramus, censemus super sic narratis fidem plenariam adhibendam ».

In cap. 26 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X decernit Greg. IX: « Duobus iudicibus, ut accepimus, diversas sententias proferentibus: si ex iurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia: nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento pro ipso fuerit promulgata. Si vero ex delegata potestate, utraque pendet sententia ex arbitrio delegantis. Quod si ex compromisso, neutra debet habere vigorem ».

Mentem Summi Pontificis retinet Codex, antequam sententia pronuncietur, dum statuit § *4. Iudex qui eam certitudinem* moralem ex actis et probatis iuxta paragraphos praecedentes *efformare sibi*

[1] Cap. un. « de probationibus » (II, 7) in Clem.

non potuit, utens omnibus mediis, quae canones posuerunt in manus eius, *pronuntiet* pro suo officio et huius canonis praescripto a) *non constare de iure actoris* secundum petitionem libelli, *et* b) *reum dimittat* liberum ab instantia et iudicio, iuxta reg. iuris 11 in 6°: « Cum sint partium iura obscura, reo favendum est potius quam actori » a) *nisi agatur de causa favorabili* ex cap. cit. Decretalium multiplici, tunc enim pro ea stet sententia oportet, donec contrarium elucescat, seu *quo in casu pro ipsa pronuntiandum est* ex canone hoc *et* b) *salvo praescripto can. 1697*, § 2, videlicet: « in dubio iudex possessionem pro indiviso utrique parti attribuat », ut aptetur etiam huic casui regula iuris 65 in 6°: « In pari... causa, potior est conditio possidentis ».

397. Diligens in ferenda sententia debet esse iudex. *Can. 1870. Sententia* praesertim definitiva *ferri a iudice* unico *debet*, sic iubente canone, *expleta* secundum canones tituli praecedentis *causae disceptatione*, moras supprimendo inter hanc et illam; subditur enim: *et si* a) *causa sit implicatior et* consequenter b) *contentionum vel documentorum* in actis *mole difficilior* ad eruendam veritatem, *interponi potest* ex hac rationabili ac necessaria concessione *congruum* iuxta prudentiam *temporis intervallum*, quo utatur iudex ad sententiam liquido redigendam pacato animo.

398. Praxis a tribunali collegiali servanda edicitur in *Can. 1871*, qui refert convenienter can. 31 Legis propriae S. Rom. Rotae et Signaturae Apostolicae [1].

§ *1. In tribunali collegiali* quolibet, etiam Sedis Apostolicae, *qua die et hora iudices* illius omnes, nam « tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre » (can. 1577, § 1), *ad deliberandum* mutuo *conveniant*, *collegii* seu tribunalis *praeses constituat* proprio iure; *et* quoad locum vero *nisi peculiaris causa* idest: ratio forsitan convenientiae, *aliud suadeat*, *in ipsa tribunalis* talis *sede conventus* iudicum praefatus *habeatur* ex canonis praescripto.

§ *2. Assignata conventui die, singuli* tribunalis actuales *iudices scriptas afferent* a) *conclusiones suas* idest: singulorum propriam « ex actis et probatis » (can. 1869, § 2) *in merito causae* seu quoad huius definitionem, *et* b) *rationes tam in facto quam in iure*, *quibus* moti *ad conclusionem suam* pro definitione *venerint*: *quae conclusiones* authentice *actis causae* (can. 1612, § 1) *adiungantur*, *secreto servandae* etiam respectu partium et advocatorum.

[1] 29 Iun. 1908, CO. I, 28.

§ 3 *Prolatis* proprie seu verbo *ex ordine* iudicum, *secundum praecedentiam*, unde post praesidem alii pro eorum dignitate vel antiquitate, *ita tamen ut semper a causae ponente seu relatore*, nobis cognito atque ex can. 1584 semper designando, *initium fiat* prae ipso praeside, *singulorum conclusionibus*, *habeatur moderata* quoad tempus et modum *discussio sub tribunalis praesidis ductu*, cum hoc scopo *praesertim ut constabilitatur* idest: communi consensu firmiter decernatur *quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae* definitivae.

§ 4 alium discussionis effectum tangit. *In discussione autem* rationum, quibus innitatur sententia, *fas unicuique est* pro illius et actus natura *a pristina sua* in scriptis adducta *conclusione recedere*, quod factum innuendum esset in actis.

§ 5. *Quod si iudices*, saltem maior pars, *in prima discussione*, seu superius praescripta, *ad hanc* causae *sententiam devenire aut nolint*, v. gr. ut accuratius causam examinent, *aut nequeant* ob diversitatem conclusionum retentarum, *differri poterit decisio* causae *ad novum conventum* eorumdem iudicum; *qui tamen ultra hebdomadam*, quae « constat 7 diebus » continuo supputandis (can. 32, § 1) *comperendinari* seu protrahi celebrandum *non debet* ob. can. prohibitionem.

399. De sententia redigenda loquitur complete quoad auctorem *can. 1872. Si unicus sit* eius causae *iudex*, *ipsius tantum* personaliter *est sententiam exarare*, quoad sensum et verba, quin opus sit eam esse propria manu scriptam; imo quoad verba posset per alium redigi et ab eodem iudice acceptari; *in tribunali vero collegiali servetur praescriptum can. 1584*, qui attribuit iudici ponenti seu relatori « sententias in scriptis redigere ».

400. Requisita sententiae intrinseca enumerat *can. 1873. § 1. Sententia* equidem definitiva ex contextu, *debet*:

1° *Definire* pro eiusdem natura *controversiam* sic dictam propter duas in causa partes *coram tribunali* cuiuslibet instantiae *agitatam* secundum iudicii definitionem; et huius definitionis diversitas explicatur; *hoc est* a) *reum absolvere* b) *vel condemnare* relate ad sequentia: *quod attinet ad petitiones* in iudicio contentioso *vel accusationes* in iudicio criminali *adversus eum* propter alterutras dictum « reum » *prolatas* seu propositas primo coram tribunali, *data singulis* particulariter, nulloque omisso, *dubiis seu controversiae articulis* secundum ea, quae agendo circa litis contestationem fuerunt statuta, *congrua responsione* in eadem sententia;

2°, quia causa particularis exquirit bene circumscriptam definitionem, adiungitur: *Determinare* (*saltem quatenus fas sit*, si nempe aliud ex iure superiori vel iusto motivo impediat, *et materia patiatur*, v. gr. si agatur de matrimonio, de scandali alicuius reparatione), *quid pars damnata* in contentiosa causa ut plurimum a) *dare* alteri parti, b) *facere* propter obligationem recognitam sententia, c) *praestare* per actus humanos proprios vel aliorum, d) *aut pati* in propriis, v. gr. sustinendo praedii servitutem, vel poenam in causa criminali, inflictam, *aut* e) *a quo abstinere* v. gr. ab sacramentorum administratione in aliquo loco vel erga aliquas personas; *itemque* ad circumstantias quod attinet, singulas vel omnes, pro casus diversitate, *quo modo*, *loco vel tempore obligatio* firma propter sententiam *implenda sit* a reo. Nam sicut ait Alex. III [1] « Cum aliquibus est adiudicata possessio, non sufficit eis dari pignora, nisi corporali possessione laetentur ».

3° *Continere* idest exprimere qua tales *rationes seu motiva*, verbo usitato quoad hoc in iudiciali foro, seu *quae dicuntur*, *tam in facto* nempe: desumpta ex factis in processu ostensis, *quam in iure* citando per textus et legitimas ipsorum interpretationes fortassis suffultas Doctorum sententiis vel ex eorum operibus adductas, *quibus dispositiva* et proinde praecipua *sententiae pars innititur*, atque sic pateat iustitia ipsius; nempe: « illo semper adhibito moderamine, ut iuxta formam iudicii, sententiae quoque forma dictetur », sicut edicit Innoc. III in Concilio Generali [2] et idem Pontifex pluribus iudicibus [3].

In Lege propria S. Rom. Rotae legitur sub can. 32 § 3. « Eadem (sententia)... rationes tam in facto quam in iure sub poena nullitatis continere debet ». Quod etiam applicatur paragrapho nunc declarato propter can. 1894, 2° infra exponendo.

I° Statuere de litis expensis ad normam sequentis Tituli XVI.

§ 2. Quoad numerum 3 praecedentis est *In tribunali collegiali* sequenda norma, ut videlicet *motiva* omnia *ab extensore* sententiae, qui est ipse ponens vel relator, *desumantur ex iis* praecise *quae singuli iudices in discussione*, unde scripto vel oretenus, *attulerunt*, quamvis non omnia haec sint inserenda sententiae definitivae, *nisi* quoad normam nunc traditam *ab ipsa iudicum* tribunalis in causa *maiore parte praefinitum fuerit quaenam sint mo-*

[1] Cap. 6 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X. — [2] Cap. 24 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V, 1) X. — [3] Cap. 31 « de simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur » (V, 3) X.

liva proferenda vel sola, vel taxative non omittenda, quia sic limitatur amplius arbitrium extensoris sententiae.

401. Forma sententiae extrinseca decernitur successivis quinque paragraphis. *Can. 1874.* Innoc. IV in Conc. Lugdunensi [1] admonuit iudices « ut in omnibus quae in causis agenda fuerint, praesertim in concipiendis sententiis et ferendis, prae oculis habeant solum Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, ut secundum eius imperium iudicaret ». Hoc meminit legislator, dum statuit § *1. Sententia* iudicialis cuiuslibet tribunalis ecclesiastici *ferri debet, divino Nomine ab initio* pro totius rectitudine *semper* seu absque exceptione causae *invocato* ita ut scripto pateat. Sufficit formulae usus « In Nomine Dei vel Patris, Filii et Spiritus Sancti.

§ 2. *Dein*, uti sententiae exordium *exprimat* sententia *oportet* ex praescripto et rei natura *ex ordine* hic posito a) *iudex* per nomen et agnomen ad minus *aut tribunal* collegiale cum enunciatione ipsorum iudicum; *qui sit* b) *actor* c) *reus* d) *procurator*, quatenus pro una alterave parte constitutus sit, atque opportune ipsi parti connectitur, ac de his tribus additur *nominibus et domicilio*, tum paroeciali tum dioecesano acquisito aut necessario retento ad normam can. 92, 93, hoc est *rite designatis*, quapropter hoc exprimatur nomine civitatis aut oppidi, viae, atque numeri, illud vero comprehendit nomen et agnomen, quibus plene ab aliis personis distinguantur, « qui sit » addatur e) *promotor iustitiae*, f) *defensor vinculi* matrimonialis aut sacrae ordinationis, designandi ut supra dictum est de iudicibus, *si* tamen *partem in iudicio* per sententiam hanc definiendo *habuerint* iuxta ss. canones.

§ 3. *Referre* velut historice *postea debet breviter*, resecando superflua quoad *facti speciem*, videlicet circumstantias illius, quae controversiae originem dederunt, *cum partium* communibus *conclusionibus* circa illas causae attinentes, nam ut admonet Clem. V in cap. « Saepe contingit », de verborum significatione » (V, 11): « est in ipso litis exordio petitio pro parte agentis, et etiam rei, si quid petere voluerit, facienda, sive in scriptis, sive verbo, actis tamen continuo (ut super quibus positiones et articuli formari debeant, possit haberi plenior certitudo, et ut fiat definitio clarior) inserenda ».

§ *4. Hisce subsequatur*, sed non statim *pars dispositiva sententiae*, quae modo imperativo velut auctoritatis concipienda est. Huc se refert decisio Coelestini III in cap. 15 « de verborum si-

[1] Cap. 1 « de sententia et re iudicata » (II, 14) in 6°.

gnificatione » (V, 11) X; videlicet: « archiepiscopus (Mediolanensis) post cognitionem causae in prolatione sententiae his verbis non fuit usus: talem partem condemno, vel talem absolvo: sed pronuntiavit ita: statuo et praecipio: *et infra*: Attendentes igitur, quod hoc verbum statuo rem perfectam significat, et cum effectu non verbotenus accipitur. Item secundum Gregorium quod praecipitur imperatur, et quod imperatur, necesse est fieri: et aliquando si non fiat, poenam habet. Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire: Interpretamur procuratoribus utriusque partis praesentibus, et diffinimus, quod praefati archiepiscopi verba tali forma prolata, perpetuo valiturae sententiae obtineant firmitatem ». Finalis clausula paragraphi est: *praemissis* « parti dispositivae sententiae » *rationibus* « seu *motivis* quae dicuntur, tam in facto quam in iure » (can. 1873, § 1, 3°) *quibus* illa *innititur*.

Demum veluti signa authentiae addenda praecipit § 5. *Claudatur* seu explicit sententia *cum indicatione* sufficienti a) *diei* per numerum etiam mensis et anni *et* b) *loci in quibus exarata est* ut plurimum ante publicationis diem *et cum subscriptione* seu exprimendo nomen et cognomen c) *iudicis vel omnium iudicum, si plures fuerint*, scilicet in tribunali collegiali, *et* d) *notarii*, idest: actuarii in eadem causa, vel saltem apud idem tribunal. Etenim in can. 32 Legis propriae S. Romanae Rotae § 4, legitur: « Subsignabitur (sententia) a Praeside turni et ab aliis Auditoribus una cum aliquo ex notariis Sacrae Rotae ».

Formularium sententiarum potest facile educi ex pluribus sententiis huius Tribunalis S. Sedis, quae uti exempla prostant in « Actis Apostolicae Sedis ».

402. Regularum ante dictarum extensionem iubet *can. 1875* dicens: *Regulae* canonum *superius* in hoc titulo *positae* utpote moderantes complete sententias quaslibet *locum habent potissimum*, quia digestae respectu habito ad hanc, *in proferenda* verbotenus ac in scriptis *sententia definitiva*, quae « causam principalem a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit » (can. 1868, § 1); in ea ergo sunt omnes servandae; *sed applicantur etiam*, idest: eisdem regulari debet cum adaptatione, seu *quantum diversa res patitur*, ac proin duce iudicis prudentia secundum Auctorum sententias bene fundatas, si quae inveniantur, *in proferenda interlocutoria* sententia, quae videlicet « dirimat incidentem causam » (can. 1868, § 1).

403. De sententiae publicatione duo canones sunt *Can. 1876* eam simpliciter praecipit. *Sententia* quaelibet, *hac ratione*, quam summatim edixit can. praecedens, *redacta*, *quamprimum*, quod recte interpretari videtur intra triduum, *publicetur*, idest: nota fiat rite partibus.

404. Eiusmodi publicationis modus triplex explicatur sub *Can. 1877. Publicatio sententiae* predicta *fieri potest tribus modis* disiunctive, proindeque ad arbitrium tribunalis, *vel* a) *citando partes* in causa *ad audiendam sententiae lectionem*, quae proinde scriptis redacta supponitur, *sollemniter* idest: cum sequentibus formalitatibus *factam a iudice* ipso *pro tribunali sedente*, videlicet: in eius aula locum principalem tenens cum illa corporis positione; *vel* b) *partibus denuntiando* etiam medio cursore *sententiam esse penes cancellariam tribunalis*, ubi nempe istius acta nondum in archivum deducta asservantur, *unaque facultatem ipsis fieri*, per quam completur publicatio ex parte iudicis *eandem legendi et eiusdem exemplar petendi*, sed publicatio omnino vim iuridicam obtinet plenam statim ac transivit tempus sufficiens prudenter ad talem sententiam commode legendam; *vel tandem* c), sub conditione loci *ubi usus viget*, qui non permittitur expresse introduci, *sententiae exemplar*, expensis quidem partium sic adauctis, *transmittendo ad partes* duas *per publicos tabellarios ad normam* servandam hoc in casu *can. 1719* ibi declaratam, seu « iussu iudicis, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit ».

TITULUS XIV.

De iuris remediis contra sententiam.

Can. 1878. - § 1. Si agatur de errore materiali qui inciderit vel in transcribenda parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis, errorem corrigere valet ipse iudex.

§ 2. Iudex ad hanc correctionem deveniat edito decreto ad instantiam partis, nisi pars altera refragetur.

§ 3. Si altera pars refragetur, quaestio incidens ad normam can. 1840, § 3 decreto definiatur; et decretum ad calcem sententiae correctae referatur.

405. Inscriptio Tituli cum Canone. — Cum sententia ab homine prolata multipliciter queat defectu infecta esse, datur statim post Titulum de ipsa, alius *Titulus XIV* inscriptus *De iuris* seu legum ecclesiasticarum *remediis* ad medendum illos defectus, seu *contra*

sententiam veram idest ut apparet « legitimam pronunciationem qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit » (can. 1868, § 1).

Ille defectus potest attingere sensum ipsius sententiae validitatemque ipsius vel solummodo quidquam innocuum et materiale. Huic ultimo defectui canon unicus intendit remedium afferre.

406. Sententiae correctio relinquitur auctori sententiae sub *can. 1878, § 1. Si agatur de errore* proinde de assertione veritati dissona, sed *materiali*, quia veritas ipsa facti constat palam in actis, ac propterea dicitur *qui inciderit*, veluti praeter intentionem, *vel* a) *in transcribenda*, ergo iam exarata alibi *parte dispositiva sententiae*, quamvis res videatur gravior, nec idem dici potest de motivis iuris, quia legislator quod voluit, expressit et ultra partem dispositivam addit solum de sententia *vel* b) *in referendis* in ea *factis aut* c) *partium petitionibus*, quae sunt evidentes ex processus initio quoad principalem causam, *aut* d) *in ponendis calculis*, dum pateat error, *errorem* aliquem taxative ex dictis *corrigere valet* etiam post sententiae publicationem, ac vi huius canonis *ipse iudex*, qui fecit eam, etsi causans errorem.

Modum hoc faciendi statuit § 2. *Iudex* praedictus *ad hanc* ex § 1 *correctionem deveniat* a) *edito decreto*, idest « nova pronunciatione » in actis asservanda circa illud solummodo b); *ad instantiam partis* utriuslibet, non ex officio, et c) *nisi pars altera refragetur*. Sic enim excluditur abusus, quem iudex intenderet talis correctionis praetextu.

Nec arbitrio partium est obsecundandum, propter quod edicit § 3. *Si altera pars refragetur*, exurgit *quaestio incidens* definita et moderata Titulo XI, quae *ad normam can. 1840, § 3 decreto definiatur* pro alterutra parte, scilicet: « in quo iudex rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat »; *et decretum* hoc praecise *ad calcem sententiae correctae* per hanc solam insertionem *referatur*, quae taxativa insertio non est ad decretum vi § 2 editum extendenda.

407. Distributio Tituli in Capita.— Duplex defectus in sententia inveniri potest, unus quo vis illius apparens sit, et vocatur nullitas, alter vero quod, salva illius sententiae iuridica vi, inficit iustitiam contenti sub ea. Propterea duo remedia legibus adinventa sunt, quae duobus capitibus Tituli dant locum: « Caput I. De appellatione », utpote quod supponitur iniustitiam frequentius evenire, quam nullitas, et « Caput II. De querela nullitatis contra sententiam ». His vero accensetur « Caput III », propter mo-

tivum accidentale quibusdam sententiis, videlicet: quod iura aliorum offendat. Horum enim incolumitati provisum est per remedium, quod vocatur: « De oppositione tertii ».

CAPUT I.

De appellatione.

Can. 1879. - Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus interfuerunt, ius habent a sententia appellandi, idest provocandi ab inferiore iudice qui sententiam tulit, ad superiorem, salvo praescripto can. 1880.

Can. 1880. - Non est locus appellationi:

1° A sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae;

2.° A sententia iudicis qui a Sancta Sede delegatus est ad videndam causam cum clausula « *appellatione remota* »;

3.° A sententia vitio nullitatis infecta;

4.° A sententia quae in rem iudicatam transiit;

5.° A definitiva quae iureiurando litis decisorio innixa est;

6.° A iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva;

7.° A sententia in causa pro qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam;

8.° A sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit;

9.° A sententia lata contra eum qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare.

Can. 1881. - Appellatio interponi debet coram iudice *a quo* sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae.

Can. 1882. - § 1. Appellatio fieri potest oretenus coram iudice pro tribunali sedente, si publice sententia legatur, statimque ab actuario scriptis redigenda est.

§ 2. Aliter facienda est in scriptis salvo casu de quo in can. 1707.

Can. 1883. - Appellatio prosequenda est coram iudice *ad quem* dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex *a quo* longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit.

Can. 1884. - § 1. Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet iudicis superioris ad impugnatae sententiae emendationem, adiuncto exemplari huius sententiae et libelli appellatorii quem iudici inferiori exhibuerat.

§ 2. Quod si pars exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali *a quo* obtinere nequeat, interim termini non decurrunt et impedimentum significandum est iudici appellationis, qui iudicem *a quo* praecepto obstringat officio suo quamprimum satisfaciendi.

Can. 1885. - § 1. Si casus de quo in can. 1733 contigerit intra terminum ad appellandum utilem sed antequam appellatio interposita sit, sententia debet iis quorum interest denuntiari eisque concessi intelliguntur termini a iure statuti a die denuntiationis computandi.

§ 2. Si contigerit postquam fuerit appellatum, appellatio interposita eisdem denuntietur, in quorum favorem a die denuntiationis denuo currere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam.

Can. 1886. - Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice *a quo*, sive coram iudice *ad quem*, deserta censetur appellatio.



CAN. 1887. - § 1. Appellatio facta ab actore prodest etiam reo, et vicissim.

§ 2. Si interponatur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerint transacta, potest super aliis capitibus incidenter appellare; idque facere potest etiam sub conditione recedendi, si prior pars ab instantia recesserit.

§ 3. Si sententia plura capita contineat, et appellans quaedam tantummodo capita impugnet, cetera capita exclusa habeantur; si nullum determinavit caput, appellatio praesumitur facta contra omnia capita.

CAN. 1888. - Si unus ex pluribus correis aut actoribus sententiam impugnet, impugnatio censetur ab omnibus facta, quoties res petita sit individua aut obligatio solidalis; expensas vero iudiciales ille tantum sustinere debet qui appellavit, si iudex appellationis primam sententiam confirmaverit.

CAN. 1889. - § 1. Appellatio in suspensivo exsecutionem appellatae sententiae suspendit ac propterea in suo robore permanet principium: « *lite pendente nihil innovetur* »: appellatio autem in devolutivo tantum, non suspendit exsecutionem sententiae, licet lis adhuc pendeat circa meritum causae.

§ 2. Omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur, firmo praescripto can. 1917, § 2.

CAN. 1890. - Interposita appellatione tribunal *a quo* debet ad iudicem *ad quem* actorum causae authenticum exemplar vel ipsamet originalia acta causae transmittere ad normam can. 1644.

CAN. 1891. - § 1. In gradu appellationis non potest admitti nova petendi causa, ne per modum

quidem utilis *cumulationis*; ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex toto sive ex parte.

§ 2. Sed novis exhibitis documentis et novis probationibus poterit causa instrui, servatis regulis traditis in can. 1786, 1861.

408. Inscriptio Capitis ac ordo canonum. — *Caput I* inscriptum *De appellatione*, vi huius vocis innuit vocare alium equidem in adiutorium sibi, sed significationem iuridicam tradit can. 1879, postquam attribuit determinatis personis illud ius, restrictum quidem circa sententias enumeratas in can. 1880. Coram quo sit appellatio et quomodo proponenda statuunt can. 1881, 1882, eadem vero circa prosequendam appellationem moderantur can. 1883. 1884, et postquam aliqui casus speciales memorat can. 1885, effectum elapsorum fatalium nuntiat can. 1886. Effectus appellationis iuxta diversos casus perpendunt can. 1887, 1888, et proprios cuiuslibet appellationis can. 1889. Denique obligationes occasione appellationis, tum in tribunali a quo tum in tribunali ad quem edicunt can. 1890, 1891.

409. Ius appellandi et appellationis notio. — Conc. Trid. in cap. 20 sess. XXIV de Ref. decrevit: « neque appellationes, ab eisdem (Ordinariis) interpositae, per superiores quoscumque recipiantur,... nisi a definitiva (sententia), vel a definitivae vim habente, et cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat ». Hoc sensu accipiendum est quod *can. 1879* statuit. *Pars*, actor, reus, alterutrius procurator, nomine illorum agens in iudicio, vel successor in causa, non alienus ab eadem, a) *quae aliqua sententia*, non iam decreto, ad normam can. 1868, etiam interlocutoria, « cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat », omnino uti ex Conc. Trid. eruitur, *se gravatam* aliquod damnum vel privationem sibi ex sententia imminentem gravem *putat* fortassis cum errore, ac non solum propter illius iniustitiam, quia in cap. 38 « de appellationibus, etc. » (II, 28) X, sic loquitur Clem. III: « non ante appellationem admittas, quam tibi constiterit eam, vel a gravamine vel iniusta condemnatione porrectam », *itemque promotor iustitiae et* c) *defensor vinculi* alterutrius *in causis in quibus interfuerunt*, singuli *ius* stricte dictum ex hoc canone eis tributum *habent a sententia* supra declarata *appellandi*, agitur ergo hic de appellatione ante Codicem dicta iudiciali, ab aliis namque decretis sive iudicialibus sive extraiudicialibus ex Codice competit solum recursus ad Superiorem et propterea legitima est ac iuri antiquo conformis definitio appellationis simpliciter dictae

his verbis addita: *idest provocandi*, seu petendi potestatis iudicialis maioris auxilium, *ab inferiore* sic dicto, quia sub aliis posito *iudice*, tum unipersonali, tum collegiali tribunali, *qui sententiam* validam atque hic et nunc appellatam *tribuit* equidem auctoritate legitima, ordinaria vel delegata, *ad superiorem* potestate iudiciali, nempe: vel ob gradum in hierarchia, vel quia fuit delegans respectu illius causae, nec hinc erui potest esse hoc intelligendum de immediato Superiore iudice, et non per saltum. Ultima canonis clausula limitationes indigitat: *salvo prescripto can. 1880* statim interpretandi, quae limitatio (notetur) se refert ad iuris supra concessi restrictionem multiplici ex motivo, ut videbimus.

410. Limitationes iuris praefati enumerat *can. 1880* concors iuri antiquo.

Non est locus ex praescripto huius canonis, quod nullo modo adversatur necessario ex naturali iure tuitioni iurium personarum, *appellationi* in can. praec. definitae:

1° *A sententia* proprie dicta, ut supra, ac sic subintelligenda in sequentibus numeris, *ipsius Summi Pontificis* per se subsignantis illam ex propria iudiciali potestate *vel Signaturae Apostolicae*, eo quod est tribunal supremum per quod Dominus Apostolicus exercet ordinarie praefatam auctoritatem. Haec limitatio profluit ex natura ipsius Primatus iurisdictionis, ac praeterea quoad primum est contenta in damnatione doctrinae de appellatione a Papa ad Concilium Oecumenicum, quoad secundum vero, quia est « supremum » Sedis Apostolicae « Tribunal in Ecclesia.

2° *A sententia iudicis* unius vel collegialiter plurium, *qui a Sancta Sede*, cuius nomine hic veniunt « Congregationes (quae habeant potestatem iudicialem fori externi), Tribunalia, Officia, per quae Romanus Pontifex negotia universae Ecclesiae expedire solet » (can. 7), *delegatus est* seu quando « potestas commissa est personae » (can. 197, § 1), *ad videndam causam* in quocumque gradu seu instantia, forsan definiendam quoque, sed praecise *cum clausula* in mandato inserta huius tenoris « *appellatione remota* ». Hanc interpretatur clausulam Innoc. III [1] his verbis: « Nos igitur attendentes, quod per appellationem frustratoriam, etiamsi non fuisset inhibita, negotium non debeat impediri, respondemus quod quaelibet provocatio intelligitur removeri, quae a iure non indulgetur expresse: sed si appellans fuerit

[1] Cap. 53 « de appellationibus, etc. » (II, 28) X.

gravatus iniuste, gravamen huiusmodi per Superiorem poterit emendari ». Nunc confugiendo ad alia remedia per Codicem concessa. Item alia interpretatio Greg. IX memoranda est: [1] « Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod quoties clausula per quam tollitur appellationis remedium, in medio litterarum ponitur: si sunt plura negotia se minime contingentia, (secus cap. 41 Coelestini III est sequendum), praemissa tantum complectitur: nisi forte in fine litterarum clausula iteretur ».

3° *A sententia* sic dicta, eo quod definitione sub can. 1868, § 1, comprehendatur, sed *vitio nullitatis* quoad iuridicam ex seipsa vim *infecta*. Huic tamen aliud remedium est paratum infra per canones sub cap. II.

4° *A sententia quae in rem iudicatam transiit* uno ex duobus primis modis, quos enunciat can. 1902. Etenim « res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta », sicut declarabitur in can. 1904, § 1.

5° *A definitiva* sententia, quae nempe « dirimat principalem causam » (can. 1868, § 1), cui aequipollet interlocutoria vim definitivae habens, verumtamen *quae iureiurando litis decisorio* declarato in can. 1834 *innixa est*. Sic statuitur in Divini Numinis reverentia, quia pars deferens iuramentum suo iuri renuntiare censetur, praestito iuramento. Hinc rationabiliter eruitur: ob clausulam can. 1834, § 1 « secundum iusiurandum decisa habeatur » causa, iusiurandum decisorium non excludere sententiam subsequuturam.

6° *A iudicis decreto* secundum appellationis definitionem et can. 1879 tenorem, *vel a sententia interlocutoria, quae* « dirimat causam incidentem » (can. 1868, § 1), et *non habeat vim definitivae*, eo quod in illa non comprehenditur necessario definitio causae principalis, ubi altera incidit. Remedium tamen appellationis admittitur per exceptionem: *nisi cumuletur* appellando, ut iudex superior decretum sententiamque interlocutoriam videat et emendet, *cum appellatione a sententia definitiva* iam lata.

7° Explicat authentice canon usitatam in Codice clausulam, dum statuit, *A sententia in causa*, sive incidenti, sive principali, *pro qua ius* scilicet: aliqua lex *cavet expeditissime rem* seu controversiam *esse* iudicialiter *definiendam* fortassis per decretum. Hic ergo numerus limitat quoque exceptionem in praec. numero positam, et congruit voluntati per clausulam expressae, nam res tanti

[1] Cap. 71 « de appellationibus, etc. » (II, 28) X.

momenti non censetur, ut per appellationem sit ulterius examinanda.

8° *A sententia contra contumacem*, non iam de ipsius contumacia, sed quando « ea declarata, procedit (iudex), servatis servandis, usque ad sententiam definitivam » iuxta can. 1844 contumaci adversam, *qui a contumacia se non purgaverit*, quae purgatio fit, si reus absentiae excusationem rationabilem afferat, vel saltem ab inobedientia recedens se in iudicio sistat. Si talis purgatio fiat « post latam sententiam, intra octo dies a probabili notitia publicationis sententiae, viget can. 1881, si vero ultra tempus utile, etiam se purgans a contumacia « beneficium restitutionis in integrum ad appellandum (quo indiget) ab ipso iudice, qui eam tulit (sententiam), petere potest » ad normam can. 1847.

9° *A sententia lata contra eum qui* a) *in scriptis* de quibus constet in iudicio b) *expresse professus est* his seu aequipollentibus verbis circa hanc causam *se appellationi renuntiare*. Nam ius appellandi provenit a ss. canonibus in favorem partis gravamen patientis ex sententia in eius causa, et unusquisque liber est renuntiandi proprii iuris exercitio. Canon vero cautelas adhibuit ad removenda dubia in hac renunciatione.

411. De iudice a quo in appellatione loquitur praescribens *can. 1881*. Iuxta appellationis definitionem datur distinctio inter illum et iudicem ad quem. Hac Innoc. IV utitur ratione decisionis suae, quando ait in cap. 3 « de appellationibus » (II. 15) in 6°: « Cum suffraganeorum Remensis ecclesiae suorumque officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo cognoscunt) unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum: ab ipsis officialibus non ad dictos suffraganeos (ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur) sed de iure ad Remen. est curiam appellandum ».

Appellatio proprie dicta seu ad normam can. 1879, *interponi*, velut inter sententiam et huius exsequutionem, secundum illud Bonif. VIII [1]: « Non solum innovata post appellationem a diffinitiva sententia interiectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus iura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis iudicem penitus revocari: sed etiam ea omnia, quae medio tempore inter sententiam et appellationem (quae postmodum infra decendium interponitur ab eadem) contingit innovari, ac si post appellationem eandem innovata fuissent ». « Interponi ergo *debet* ex canonis praescripto *coram iudice*

[1] Cap. 7 « de appellationibus » (II, 15) in 6°.

unipersonali vel tribunali collegiali *a quo sententia* de qua appellatur *prolata est*, et hoc per verbum saltem « appello ». Sed admonet Clem. V in Conc. Viennensi [1]: « Si a iudicibus duobus aut pluribus (efformantibus collegiale tribunal) fuerit appellandum, quia forte de facili eorum praesentia simul haberi non posset, liceat coram ipsis vel maiori parte ipsorum appellare, et apostolos petere separatim, valebitque appellatio talis ac si simul fuisset in eorum praesentia ab omnibus appellatum ».

Haec dispositio valet nunc quoque, quia, sicut in Decretalibus, est appellatio interponenda *intra decem dies* computandos ad normam can. 34, § 3, 3° ad temporis terminum dignoscendum, sed incipiendo statim, non semper a prolata sententia, sed *a notitia publicationis sententiae*, propter modos tres huius publicationis. Ratio affertur ab Innoc. III in cap. 15 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « Taliter duximus respondendum, quod cumpost decem dierum spatium, sententia in auctoritatem transcat rei iudicatae: qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit: cum per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse: praesertim ubi causâ non redditur appellandi ».

412. Appellationis modus. — De illius forma nihil est cautum iuxta Decretales. Etenim Alex. III inquit [2]: « Licet autem praedictus presbyter ex simplicitate forte verbum appellationis non expresserit: quia autem postquam se et sua nostrae protectioni subiecerat, non debuit sine causae cognitione aliqua sententia condemnari ». Modum autem edicit Innoc. III in Conc. generali [3]: « Cum autem ex rationabili causa putaverit appellandum, coram eodem iudice causa probabili appellationis exposita, tali videlicet, quae si foret probata, deberet legitima reputari, superior de appellatione cognoscat ».

Hinc *can. 1882* sic praescribit in § *1. Appellatio* proprie dicta (can. 1879) *fieri potest*, ad modum quod spectat, a) *oretenus* b) *coram iudice*, sive unipersonali, sive collegiali, *pro tribunali sedente*, idest: dum in illius aula officium exercet, tunc solum *si publice* iuxta primum publicationis modum ex can. 1877, *sententia legatur* ibidem, *statimque ab actuario scriptis* actorum *redigenda est*, prout Innoc. III decrevit in Conc. generali [4]: « Quoniam contra falsam assertionem iniqui iudicis, innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare: cum ne-

[1] Cap. 9 « de appellationibus » (II, 12) in Clem. — [2] Cap. 34 « De appellationibus » (II, 28) X. — [3] Cap. 59 « De appellationibus » (II, 28) X. — [4] Cap. 11 « De probationibus » (II, 19) X.

gantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio, ne falsitas veritati praeiudicet, aut iniquitas praevaleat aequitati: Statuimus, ut tam in ordinario iudicio, quam extraordinario, iudex semper adhibeat aut publicam (si potest haberi) personam,... qui fideliter universa iudicii acta conscribant, videlicet citationes,... appellationes,... et cetera quae occurrerint competenti ordine conscribenda: loca designando, tempora et personas ».

§ 2 providet ceteris casibus et etiam praedicto, quando statim post sententiam lectam appellatio non fiat. *Aliter facienda est* ex canonis iussu *in scriptis* per appellantem oblatis ac subsignatis, *salvo casu de quo in can. 1707*, quando nempe appellans « scribere nescit, aut legitime impeditur quominus (appellationem « in scriptis ») exhibeat », tunc enim « oretenus petitionem suam (idest: appellationem) coram tribunali proponere potest » (§ 1) etiam in casibus huius paragraphi. Sed in casu hoc excepto iudex observet praescriptum § 3.

Hic modus iam fuit admissus a Greg. X in Conc. Lugdunensi. En ipsius verba [1]: Sed cum in electionum earundem negotiis, in iudicio, vel extra iudicium appellatur, in scriptis, ex causa probabili, quae probata deberet legitima reputari, ad sedem ipsam huiusmodi negotia deferantur ». De quo modo est memorandum cap. 9 « de appellationibus » (II, 6) in 6° huius tenoris: « Appellatio quae in scriptis iudici (a quo appellare volebas) te porrexisse proponis: non potest ex eo quod coram ipso lecta non fuerit, rationabiliter impugnari ».

413. Terminus prosequendae appellationis videlicet: se sistendi tribunali ad quod appellatum est, et quidem ad urgendam processus revisionem usque ad sententiam. De prosequutione appellationis plene loquitur cap. 61 « de appellationibus » (II, 28) X, enunciato prius principio: « (cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad praesidium innocentiae institutum) ». « Excessu quoque dubio existente, ne frivolae appellationis diffugio appellans iudicis processum impediat, coram eodem probabilem causam appellationis exponat: talem videlicet, quae si foret probata, deberet legitima reputari: et tunc si habuerit adversarium infra terminum secundum locorum distantiam, et temporis qualitatem et naturam negotii, ab eodem iudice moderandum, appellationis causam prosequatur: quam si prosequi non curaverit, ex tunc ipse iudex (appellatione non obstante) procedat, nullo autem adversario comparente, cum iudex ex suo pro-

[1] Cap. 10 « de electione et electi potestate » (I, 6) in 6°.

cedat officio, appellationis causa coram Superiore probata, superior suae iurisdictionis exercitium exsequatur. Sed si appellans in eius probatione defecerit, ad eum, a quo ipse malitiose appellasse constiterit, remittatur ».

In Conc. vero Tridentino, cap. 3 sess. XIII decernitur: « Reus ab Episcopo, aut eius Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans, coram iudice, ad quem appellavit, acta primae instantiae omnino producat, et iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat; alioqui absque illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur ».

Quia vero transmissio actorum sit negotium inter tribunalia directe perficiendum iuxta can. 1890, *can. 1883* statuit: *Appellatio* proprie dicta *prosequenda est* ab appellante secundum declarationem initio positam et ex canonis praescripto *coram iudice ad quem* (forsan tribunal collegiale) *dirigitur* secundum leges vel appellantis arbitrium permissum; *intra mensem* « quo nomine venit spatium 30 dierum » (can. 32, § 2), tempus assignatum a Dec.° Trid. pro appellatione causarum criminalium, *ab eius interpositione* « coram iudice a quo » ad normam can. 1881, 1882, uti fatale minus, sequitur enim: *nisi iudex a quo* ille *longius tempus ad eam* singularem appellationem *prosequendam parti* appellanti *praestituerit*. Sub arbitrio igitur relictum est Decretalium praescriptum, v. gr. in cap. 33 huius tituli (II, 28) X: « Appellanti ad prosecutionem appellationis, terminus congruus praefigatur: infra quem si appellationem non fuerit prosecutus, extunc compellatur stare iudicio delegati », a quo in facti specie appellatum fuisset.

Et sic sufficienter provisum est sententiae exequutioni, ne motivo appellationis haec fraudetur vel differatur ultra debitum.

414. De actu prosequendae appellationis. — Cum haec prosequutio sit praescripta in can. praec. et nonnullae iuris mutationes a Codice sint inductae, statim *can. 1884* determinat actus ad illam necessarios ex parte appellantis. Etenim, ut patet ex iure Decretalium appellatione admissa dabantur ipsi parti *apostoli*, sic dictis litteris dimissoriis causae ad iudicem superiorem, nam « dicit Hostiensis et Pet. quod dicuntur apostoli ab *apo* quod est *de* et *stolon*, quod est *missio;* quasi missio quam facit unus iudex ad alium » [1], et insuper ipsa actorum copia, uti iubet Conc. Trid. in cap. 20 sess. XXIV de Ref. Haec transmissio actorum

[1] **Glossa in cap. 1 « de appellationibus » (II, 15) in 6° ad verb. petat apostolos.**

fiet ex Codice Piano-Benedictino directe inter tribunalia, et loco illarum litterarum sufficit adimplere declarandum iamiam praescriptum.

§ *1. Ad prosequendam appellationem* iussam can. praec. *requiritur* ex praescripto novo *et sufficit* derogando ius antiquum, *ut pars* quae appellavit a) *ministerium invocet iudicis superioris* seu ad quem, verbo vel scripto ad eumdem directo *ad impugnatae sententiae emendationem*, haec ergo debent exprimi, servata saltem generalitate quam permittit cap. 18 « de appellationibus » (II, 28) X aiente Alex. III: « Consultationi vestrae taliter respondemus, quod si generaliter appellationem quis interposuerit ab omni gravamine, quod sibi posset contingere, huiusmodi appellatio tenere non debet. Si vero ab aliquo iudice super omni gravamine, quod in una causa sibi posset inferri, quamquam generalis appellatio sit interposita, appellationi tamen eius est ab eodem iudice, deferendum ». Praescripto canonis non officit quominus « cumuletur cum appellatione a sententia definitiva » altera concessa can. 1880, 6°, et quae simul exprimi deberet in hac ministerii invocatione.

Alia vero sunt requisita prosequendae appellationis, videlicet: b) *adiuncto exemplari* equidem authentico *huius sententiae impugnatae* atque in casu decreti vel sententiae interlocutoriae, cuius appellatio cumuletur, *et* « exemplari » saltem a se redacto fideliter quoad sensum, ni obtinere queat authenticum, ut supra *libelli appellatorii*, saltem ab actuario redacti *quem iudici inferiori* seu a quo *exhibuerat* saltem exprimendo verbotenus quoad sensum. Ex his enim potest sufficienter cognoscere iudex appellationis quod exigit Clem. III in cap. 38 h. tit. (II, 28) X: « Unde mandamus, quatenus si quando contigerit, aliquem de clericis, a praefato episcopo ad tuam audientiam appellare, non ante appellationem admittas, quam tibi constiterit eam, vel a gravamine vel ab iniusta condemnatione porrectam: alioquin ipsum ad praedicti episcopi audientiam remittas, appellatione remota eius iudicio pariturum ».

Cum dicat Innoc. IV in Conc. Lugd. [1] « Cordi nobis est lites minuere, et a laboribus relevare subiectos », statuit § 2 remedium facile in adimplementum § 1, dicens. *Quod si pars* appellans *exemplar impugnatae sententiae* sibi necessarium et propterea expostulatum *intra utile tempus* ad prosequendam appellationem de facto iuxta can. praec. *a tribunali a quo*, idest: eius notario, *obti-*

[1] Cap. 1 « de appellationibus » (II, 15) in 6°.

nere pro suo iure *nequeat*, negligentia vel prava voluntate ipsius aut fortassis quia in hoc sit iudex particeps, sive impedimentum aliunde oriatur, a) *interim* ab expostulatione rite facta *termini* assignati ad normam can. praec. *non decurrunt et* b) *impedimentum significandum* est utili tempore *iudici appellationis*, et sufficit pro requisito sub b) in § 1°, *qui* « iudex appellationis » *iudicem a quo praecepto* iudiciali *obstringat* ex canonis praescripto *officio suo* dandi parti « exemplar impugnatae sententiae » *quamprimum*, videlicet: remota forsan propria vel actuarii negligentia *satisfaciendi*.

Aliter mandaverat Bened. XIV in const. « Ad militantis », § 44: « Quod si appellans asserat, sententiae aut decreti exemplum authenticum culpa iudicis a quo, vel notarii sive actuarii haberi non posse, tunc saltem copiam simplicem sententiae, seu decreti, in actis producere teneatur »; sub conditionibus etc., ut ibidem. Nunc simplicior et efficacior reddita est hac de re legislatio.

415. Speciales casus ad prosequutionem appellationis quod spectat providendi fuerunt, ut diversi canones eisudem Codicis, uti unius legis, eodem tempore promulgati plene cohaerent. Sic ergo incipit *can. 1885* respiciens duos praecedentes. § *1. Si casus* triplex *de quo in can. 1733* provisum est *contigerit*, nempe: « si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cuius ratione agit », prout ibidem declaratum fuit, et aliquid horum « contigerit » a) *intra terminum ad appellandum utilem*, idest: « intra decem dies a notitia publicationis sententiae » (can. 1881), addente canone *sed* b) *antequam appellatio interposita sit* de facto « coram iudice a quo » secundum aliquem modum in can. 1882 comprehensum, *sententia* illa *debet* ex canonis praescripto per iudicem observando *iis quorum interest* pro diversitate casus, videlicet: haeredi demortui, marito cuiusdam mulieris de bonis suis litigantis, successori in officio, vel huius paroeciae oeconomo, *denuntiari* ex officio, *eisque concessi intelliguntur* ex casus natura *termini a iure statuti*, ut supra, propter legislatoris voluntatem integri, seu *a die denunciationis computandi*, et propter exemplum in can. 34 adductum sub § 3, 2°: hic « dies ad explendam numerationem (decem dierum) computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die » (decimo post ipsum).

§ *2. Si casus* initio § 1° positus *contigerit postquam fuerit* rite *appellatum* sive intra decem dies, sive intra tempus ad appellationem prosequendam ad normam can. 1883, *appellatio interposita* per iudicem a quo eam noscens *eisdem* « quorum interest », ut in § 1° declarati sunt, *denuntietur* vi huius praescripti ex officio, *in*

quorum favorem a legislatore concessum *a die denunciationis* computando ob eandem § 1 rationem, velut a primo termino *denuo constituto, currere incipit tempus utile* iuxta can. 1883, 1884, *ad appellationem* demortuae partis, vel mutantis statum, vel cessantis ab officio *prosequendam.*

Unde applicatur sic regula iuris 46 in 6°: « Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit ».

416. Effectus iuridicus ob transactum inutiliter tempus in praecedentibus sacris canonibus huius capitis concessum exprimitur, qui antiquo iuri Decretalium congruit, ut patebit inspicienti fontes ad praesentem canonem citatos in Codice. *Can 1886. Inutiliter,* seu absque intento effectu *elapsis* integre ad normam declaratorum canonum *fatalibus*, quia sic solent in iure et a Doctoribus vocari « lapsus temporis a iure vel a tribunali concessi ad explendum aliquem actum iudicialem a partibus », et impraesentiarum *appellatoriis* propter hunc actum, cui ordinantur, *sive coram iudice a quo* ex can. 1881, 1885, § 1, *sive coram iudice ad quem* ex can. 1884, 1885, § 2, *deserta censetur* iure *appellatio*, idest: cedere partem ius appellandi, sive illo non utentem, sive illo non exercentem ultra, idque congruit reg. iuris 25 in 6°: « Mora sua cuilibet est nociva ».

Si ergo damnatus sententia non appellaverit intra mensem, « res iudicata habetur » iuxta can. 1902, 2° infra explicandum. — Bonif. VIII praeterea decrevit [1]: « Ab eo qui appellat infra XXX dies instanter apostoli peti debent (nunc « exemplar impugnatae sententiae » ex can. 1884, § 2), et eidem infra dictum tempus a iudice exhiberi: alias praesumitur appellationi suae renunciare appellans, si eos infra idem tempus petere praetermittat, (cum eodem effectu ac si appellatio exnunc non fuisset facta), etiam si vadat aut mittat ad appellationem huiusmodi prosequendam. Illud autem quod fel. rec. Innoc. PP. IV praedecessor noster statuendum decrevit, ut si is a quo appellatur apostolos (nunc « exemplar », ut supra) appellanti non tribuat requisitus, extunc si forte in causa procedat (nisi appellationi renuncialum fuerit) eius invalidus sit processus: tunc demum obtinet, cum index super hoc cum debita instantia, loco et tempore congruo requisitus, eos expresse denegat, vel infra promissum tempus malitiose aut negligenter illi tradere praetermittit ». Et idipsum valet adhuc, quia talis processus in causa « attentatum est » (can. 1854), et « attentata sunt ipso iure nulla » (can. 1855, § 1).

[1] Cap. 6 « de appellationibus » (II, 15) in 6°.

Demum circa prosequendam appellationem recolenda sunt sequentia capita Decretalium. Alex. III ait [1]: « Appellanti ad prosecutionem appellationis, terminus congruus praefigatur: infra quem si appellationem non fuerit prosequutus, extunc compellatur stare iudicio delegati ». Idem Pontifex Remen. archiepiscopo inquit [2]: « Infra quod (tempus statutum) si is qui appellaverit, causam appellationis non fuerit prosecutus, tenebit sententia ». Admonet autem in cap. 8 eiusdem tit.: « Verum si appellationem (legitime) interpositam a sententia contra vos probata, prosecuti non estis: dummodo prosecutionem ipsius, per impotentiam vos constiterit omisisse, nolumus quod iustitiae vestrae debeat praeiudicium generare ».

417. Appellationis iuridica extensio omnino attendenda est, quam sic expressit *can. 1887*. In cap. 41 « de appellationibus » (II, 28) X decrevit Innoc. III: « Unde licet in Lateranensi Concilio fuerit constitutum, ut si in quocumque negotio aliquis appellaverit, et eo qui appellatus fuerat veniente, qui appellaverit venire neglexerit, competentem illi recompensationem faciat expensarum, ut hoc saltem timore deterritus, in gravamen alterius non facile quis appellet. Quia tamen propter hoc quaestiones nihilominus prorogantur, praesenti decreto statuimus, ut si huiusmodi appellatio vel a iudice recepta, vel a parte fuerit approbata », (iuxta disciplinam tunc vigentem), « post terminum appellationi praefixum, edicti peremptorii vires obtineat, ita videlicet ut ex tunc in absentem perinde procedatur, ac si peremptorie vocatus ad iudicium extitisset ».

Menti huius capitis congruit § *1* aiens, *Appellatio facta* legitime *ab actore*, « sententia se gravatum putante » (can. 1879), *prodest etiam reo*, seu talis appellatio, quamvis deseri potest, ut supra, non constituit aliquando merum ius appellantis, si contrariae partis intersit appellationis prosecutio. pro ipsius favorem vel damnum ex appellatione ortum resarciendum, *et vicissim* idest: « appellatio a reo prodest actori », et est fallentia reg. iuris 61 in 6°: « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ».

Huic extensioni § 1 favet ampliatione § 2. *Si* appellatio *interponatur ab una parte*, sive actore, sive reo, *super aliquo sententiae capite expresso*, quod sibi adversum putat, *pars adversa* eidem appellanti, ac proinde dum supponitur pluribus capitibus sententiam constare, *etsi fatalia appellationis fuerint transacta*, non tamen

[1] Cap. 33 « de appellationibus » (II, 28) X. — [2] Cap. 5 « de appellationibus » (II, 28) X.

inutiliter, *potest super aliis capitibus incidenter appellare*, ac proinde in appellationis instantia seu coram illius iudice; *idque facere potest*, sicut defensione utens, *etiam sub conditione recedendi* ab hac incidentali causa, *si prior pars* seu primo appellans *ab instantia* secunda *recesserit*. Quod supponitur omnino licitum, expensis equidem factis solvendis.

§ 3 exprimit liquido *Si sententia plura capita contineat* quae ab invicem disiungi queant, *et appellans* a) *quaedam tantummodo impugnet*, idest: exprimat in appellationis libello, *cetera capita* ex facto quod a iure interpretatur *exclusa* ab appellatione *habeantur*, ita ut in sententiam iudicatam transire queant, nisi « pars adversa » utatur facultate sibi concessa per §^{m} 2^{m}; *si* b) supple « appellans » *nullum* ex pluribus quae « sententia contineat » *determinavit caput* in libello supradicto, *appellatio praesumitur* praesumptione iuris *facta contra omnia capita*, nisi in secunda instantia probetur contraria intentio appellantis.

418. Alia iuridica extensio ratione personarum admittitur, et de expensis in secunda instantia cavet *can. 1888* in illa servans ius in Decretalibus constitutum. Sic enim legitur in cap. 72 huius tituli (II, 28) X: « Una sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria iure communi omnibus suffragatur, si communi iure iuventur, idemque negotium, et eadem causa defensionis existat ». Haec Decretalis cum canonis praescripto mutuam lucem sensui verborum effundunt.

En praescriptum: *Si unus ex pluribus correis*, non solum ratione delicti, sed potius ex vocatis in iudicium correlative ad sequens verbum *aut actoribus* pro aequali utriusque partis iure appellandi, *sententiam impugnet* iuxta praec. canones, *impugnatio censetur* iure *ab omnibus facta* circa exitum illius, hoc enim expostulatur a rei natura *quoties* a) *res petita* in libello primae instantiae, quod sententia roboratur, vel destruitur, *sit individua*, ita ut quatenus attingitur sententia dividi nequeat, b) *aut obligatio* respondens iuri persequuto « sit » *solidalis*, quia omnes ac singulos tenet participes in causa; atque e contrario arguitur praescriptum non urgere, si utraque conditio absit.

Ne autem quis deciperetur reg. iuris 55 in 6° alium habens sensum: « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra », subdit canon adversative: *expensas vero iudiciales* secundae instantiae *ille tantum sustinere debet, qui* eas implicite per eius factum acceptavit in se, eo quod *appellavit*, eo tantum casu *si iudex appellationis primam sententiam confirmaverit*, ceteri enim ab

appellatione abstinentes, visi sunt primae instantiae definitioni acquievisse. Quid vero si « iudex appellationis primam sententiam » emendaverit, vel viribus evacuavit? Tunc vi regulae citatae correi aut actores in hoc canone comprehensi quoad expensas pari iure ordinario infra explicando deberent cum appellante dimetiri.

419. Appellationis duo iuris effectus ex antiquo iure vigentes declarat sequens *canon 1889*. Explicat authentice verborum significationem iuridicam § *1*. Porro in Dec.° S. C. EE. et RR. « de appellationibus » [1] haec habentur: « Caveat tamen iudex a quo, ne si vere appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in praeiudicium appellantis attentetur, etsi per actum publicum, aut per testium depositiones constiterit acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit iudex appellationis adiicere, nec interim aliquid novi contra appellantem attentetur ».

Interpretemur canonis praescriptum. *Appellatio* « vera in casu appellabili » seu legitime interposita, nec deserta, per se ad iudicem superiorem devolvit causae cognitionem iterandam, sed *in suspensivo*, habens videlicet hunc quoque effectum, a) *exsecutionem* de facto *appellatae sententiae*, (fortassis in eadem decretam), quae nec in rem iudicatam transiit, *suspendit* sine determinato die, *ac propterea*, quia exsecutione « lis quae pendere incepit » ad normam can. 1725, 5°, « iudicium terminatur », *in suo robore* etiam propter can. 1725, 5° *permanet principium*: seu iuris axioma ibi declaratum: « *lite pendente nihil innovetur* », quod infringere « caveat iudex a quo », sicut et infractionem permittere: *appellatio autem*, ut supra, sed *in devolutivo tantum*, idest: cum hoc solum effectu, *non suspendit*, nec ad minimum tempus *exsecutionem sententiae*, per decretum speciale iubendam, aut de facto, *licet lis adhuc pendeat* revera, ac proinde illud principium quoad alia non mutanda vigeat, *circa meritum causae*, nempe: quoad iustitiam sententiae, quia revera iudicium non est finitum in foro Ecclesiae.

Ex dictis obiici posset quaedam iniquitas, nam in praxi toleratur factum iuridicum, quod potest inveniri postea iniquum; de hoc enim probabile saltem dubium agnoscitur per appellationis admissionem. Ut ergo principium enuntiatum retineatur firmius, et solummodo propter urgentes causas exsecutio sententiae appellatae transeat, statuit § 2. *Omnis appellatio* proprie dicta et rite facta firmaque manens *est in suspensivo*, habet videlicet: duplicem supra dictum effectum, *nisi aliud*, nempe:

[1] Die 16 Oct. 1600. Collectanea huius Congr. pag. 19.

cum effectu tantum devolutivo, *in iure* Codicis vel supervenientium canonum *expresse* illis vel aequipollentibus quoad sensum verbis *caveatur*, *firmo praescripto can. 1917*, § 2 quoad « provisoriam exsecutionem iubendam » sub quibusdam conditionibus, ut ibidem declarabitur, et quod praescriptum ex hac clausula viget quoque in appellationibus cum effectu suspensivo.

In iure praecedenti extiterant de appellationibus duae leges classicae, scilicet: Const. « Ad militantis » Bened. XIV et Dec. Clem. VIII per S. C. EE. et RR. supra citatum. Illa Const. enumerat omnes casus, quibus denegabatur effectus in suspensivo, attamen respiciebat casus appellationis sic dictae extraiudicialis. Haec autem sortita est nomen recursus in iudice, propter quod ex canonibus extra hunc Librum circa iudicia positis sunt dimentiendae praescriptiones Const. Benedictinae, ut concludatur an vigeant adhuc vel abrogatae sint applicando can. 6. Decretum autem respicit praecipue appellationes iudiciales et in causis criminalibus. Unde praeter hunc alios canones examinare oportet sitos in Titulo XIX huius Libri IV.

420. Remissio actorum causa appellationis sic facienda erat ex iure Tridentino: [1] « si quis in casibus a iure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit; ... teneatur acta omnia, coram Episcopo gesta, ad iudicem appellationis expensis suis transferre; eodem tamen Episcopo prius admonito, ut, si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare ». Et infra prosequitur: « Porro ipsam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, et ad minus intra mensem exhibere ».

Ex his potest sic *can. 1890* interpretari. Cum hac de re ex can. 1884, § 2, « ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit, ut pars ministerium invocet iudicis superioris ad impugnatae sententiae emendationem, adiuncto exemplari huius sententiae et libelli appellatorii quem iudici inferiori exhibuerat », et ex alia parte emendationem praedictam iudex superior nequeat incognito processu ferre, mutando quadantenus ius antiquum propter hodiernas faciles communicationes, et ob actorum securitatem, statuit Codex hoc in canone. *Interposita* coram iudice a quo *interpellatione*, quae vero animo fieri censetur, *tribunal a quo*, sive collegiale sive unipersonale *debet*, estque obligatio « quanto citius et ad minus intra mensem » implenda prudenter, *ad iudicem ad quem* directo a) *actorum causae*, quae nempe

[1] Cap. 20, sess. XXIV de Ref.

sunt: « acta iudicialia, quae meritum quaestionis respiciunt, ex. gr. sententiae et cuiusque generis probationes » (can. 1642, § 1), *authenticum exemplar* propter transcriptionem manu notarii signatam vel redactam, *vel* b) *ipsamet originalia acta causae*, ut supra, vel melius totum processum in scriptis existentem, *transmittere* cum securitate perventus ad illud tribunal, seligendo alterutrum et etiam determinando medium pro illius tribunalis a quo prudentia, iuxta reg. iuris 70 in 6°: « In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri », servata unice clausula: *ad normam can. 1644* ibidem declarata, quae expresse loquitur: « in casu appellationis » et propterea nunc in memoriam reducitur.

421. Appellationis instantia circa meritum causae est moderata unico *can. 1891*, tum de ipsius instantiae scopo, tum de mediis ad illum consequendum.

§ *1* congruit cap. 5 « de appellationibus » (II, 12) in Clem.: « Appellanti ab interlocutoria, vel a gravamine iudicis, non licet alias causas prosequi, quam in appellatione sua nominatim dumtaxat expressas ». Hoc est quod magis explicite Codex vetat, iiens. *In gradu* iudicialium instantiarum secundo vel ulteriori *appellationis* propter sententiam latam, *non potest* licite *admitti nova* quia defuit in prima instantia *petendi causa*, seu motivum cui pars innitatur ad petendum, et velitum sic ampliatur: *ne per modum quidem utilis* propter expensas minuendas et ad parcendum tempori ac multiplicationi iudiciorum, *cumulationis* in eadem iudicii sede, quod aliquando conceditur per can. 1669, 1670; *ideoque* seu ex consequenti *litis contestatio*, qua « obiectum seu materia iudicii constituitur » (can. 1726) « in gradu appellationis » *in eo tantum versari potest, ut* sententia per tribunal hoc proferenda *prior sententia* a) *vel confirmetur* quoad partem definitivam, et forsan hoc tantum verbo, b) *vel reformetur* diversum ab ea definiendo *sive ex toto*, ita ut contradictorium sit iudicatum, etiamsi dicatur infirmamus priorem sententiam, *sive ex parte*, ita ut in aliqua eius parte seu quoad aliquid sententia appellationis priorem salvam conservet sententiam.

Ad elucidationem alterius paragraphi oportet memorari quaedam iuris praecedentis Codicis capita. Sic statuit Clemens V in Conc. Vienn. [1]: « Testibus rite receptis, et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem vel directo contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere, sic non debet in appellationis causa licere: Cum non minus in appel-

[1] Cap. 2 « de testibus et attestationibus » (II, 8) in Clem.

lationibus, quam in principali causa subornatio sit timenda ». Et alibi [2] inquit: « Nec processus primi iudicis ex novis aut de novo probandis iustificari potest vel etiam impugnari: sed tantum ex illis, quae acta fuerunt, vel exhibita coram ipso ».

Haec principia vigent, quamvis § 2 videatur esse contrarius, quia loquens per exceptiones admissas in prima instantia, firmat regulas in contrarium. Incipit enim adversative respectu §[i] 1[i]. *Sed* a) *novis exhibitis documentis* secundum illud cap. 4 « de electione et electi potestate » (I, 6) in 6°: « Alioquin tam opponentes quam tempore appellationis interpositae, vel postmodum adhaerentes eisdem, obiiciendi aliqua, quae non fuerint in huiusmodi litteris vel instrumentis expressa, potestatem sibi noverint interdictam: nisi aliquid forsan postea emerserit, vel super antiquis supervenerit probandi facultas: aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quae appellantes appellationis emissae tempore verisimiliter ignorare potuerint, et etiam ignorarint ». Sequitur canon: *et* b) *novis* respectu processus prioris *probationibus* etiam testium *poterit causa instrui* pro iustiori appellationis sententia, sed *servatis regulis* pro eadem concessione *traditis in can. 1786* quoad testes interrogandos vel admittendos « post evulgatas testificationes », et can. *1861* circa novas probationes inhibitas « post conclusionem in causa, nisi agatur de causis quae numquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt », non secus ac in cap. 46 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X conceditur, atque amplius in casu cap. 17 eiusdem tituli: « Duximus tibi respondendum, quod in appellationis causa, si nova contigerit emergere capitula, super quibus aliqua partium voluerit novos testes inducere, vel per iam receptos aliquid comprobare, eos credimus posse recipi super novis duntaxat capitulis: receptis prius ab ipsis, secundum formam recipiendorum testium, iuramentis ».

In « novis probationibus » admittendis apud appellationis tribunal non est praetermittendum §[i] 2[ae] can.[is] 1861 praescriptum clausula nullitatis munitum.

[1] Cap. 5 « de appellationibus » (II, 12) in Clem.

CAPUT II.

De querela nullitatis contra sententiam.

Can. 1892. - Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando :

1° Lata est a iudice absolute incompetente vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 1576, § 1 ;

2.° Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio ;

3.° Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato.

Can. 1893. - Nullitas de qua in can. 1892 proponi potest per modum exceptionis in perpetuum, per modum vero actionis coram iudice qui sententiam tulit intra triginta annos a die publicationis sententiae.

Can. 1894. - Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando:

1.° Legitima defuit citatio ;

2.° Motivis seu rationibus decidendi est destituta, salvo praescripto can. 1605 ;

3.° Subscriptionibus caret iure praescriptis ;

4.° Non refert indicationem anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit.

Can. 1895. - Querela nullitatis in casibus de quibus in can. 1894, proponi potest vel una cum appellatione intra decendium, vel seorsim et unice qua querela intra tres menses a die publicationis sententiae coram iudice qui sententiam tulit.

Can. 1896. - Si pars vereatur ne iudex, qui sententiam, querela nullitatis impugnatam, tulit, praeoccupatum animum habeat et proinde eum suspectum merito existimet, exigere potest ut alius iudex, sed in eadem iudicii sede, in eius locum subrogetur ad normam can. 1615.

Can. 1897. - § 1. Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties iudicio interfuerunt.

§ 2. Imo ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare et emendare intra terminos ad agendum supra statutos.

422. Inscriptio capitis et eius canones. — Can. 1680 edicit: « Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu conditiones desiderantur a sacris canonibus requisitae sub poena nullitatis ». Porro huiusmodi canones invenimus sive in Titulo XIII, sive in aliis. Si ergo in sententia iudex hos omnes servaverit, actus huiusmodi validus erit, et per appellationem succurrendum est parti, quae iniustum gravamen, suo quidem iudicio, persentit. Quod altera in hypothesi contraria locum non habet, et propterea subditur *Caput II* inscriptum *De querela*, utpote quod fuit defraudatus a iudice utens actione vel ab hoc se defendens, ratione *nullitatis* quoad controversiae definitionem, seu *contra sententiam*, quae proinde vi iuridica destituta est, sed « non importat nullitatem actorum qui praecedunt aut subsequuntur et ab actu (idest: sententia nulla) non dependunt ».

Pro duplici sententiae vitio nullitatis, hanc distinguunt can. 1892 et 1894, ac statim singulis copulantur can. 1893 et 1895, quibus designatur iudex apud quem illa sit proponenda querela, necnon additur can. 1896 utriusque communis pro partis maiori securitate circa meritum causae. Denique can. 1897 decernit, quando in hac re ad instantiam vel ex officio sit a iudice procedendum.

423. De nullitate insanabili sententiae conditus est *can. 1892* antiquo iuri congruens, necnon iuri naturali innixus saltem partialiter.

Sententia quaelibet proprie dicta *vitio*, quia malum quoddam est in foro iudiciali *insanabilis nullitatis*, quia talis permanet, non suffragante eidem unquam iure, *laborat* velut intrinseco sententiae, uno ex his tribus casibus, *quando* nempe:

1°. Ex parte tribunalis *lata est* a) *a iudice* quolibet etiam tribunali collegiali, *absolute incompetente*, quod scimus contigere in causis omnibus vel solum criminalibus, eorum, quos « ipsius Romani Pontificis dumtaxat est ius iudicandi », atque in causis contentiosis vel omnibus, circa personas, quas « Tribunalibus Sedis Apostolicae reservatur iudicare », ac demum in causis « quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium » (can. 1557), sic decernendo cum ampliatione can. 1558 tunc declarati *vel solum* b) *in tribunali collegiali*, quod iure exigitur, non quod ab homine delegatur, quamvis in utroque « oportet ut is qui recitat (sententiam), non utatur verbis singularis numeri, sed pluralis, ut dicat: Nos tales iudices, vel arbitri pronunciamus seu statuimus in *hunc* modum ». In tribunali ergo ex iuris praescripto collegiali [1] « sententia lata » *a non legitimo iudicum numero*, idest: infra numerum lege solummodo designatum, quia subditur *contra praescriptum can. 1576, § 1*, ubi « reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio: (quaedam) causae tum contentiosae, tum criminales, tribunali collegiali trium iudicum reservantur; causae vero quibus agitur de delictis quae (ex determinatis ibidem) poenam important, reservantur tribunali quinque iudicum ». Et quamvis « pluribus collegialiter delegatis, omnes simul pro actorum validitate... procedere debent, nisi in mandato aliud cautum sit » (can. 205, § 3), attamen haec sententia vitio insanabilis nullitatis non laborat, quia esset solum adversus praescriptum § 2 canonis impraesentiarum citati.

Ratio huius praescripti sic reddi potest cum D. Thoma [2]: « sententia iudicis est quasi quaedam particularis lex in aliquo par-

[1] Cap. 4 « de sententia et re iudicata » (II, 14) in 6°. — [2] II^a II^a quaest. LXVII, art. 1 in corp.

ticulari facto. Et ideo sicut lex generalis debet habere vim coactivam, ut patet per Philosophum in 10 Ethic. cap. ult., ita etiam et sententia iudicis debet habere vim coactivam, per quam constringatur utraque pars ad servandam iustitiam iudicis; alioquin iudicium non esset efficax. Potestatem autem coactivam non habet licite in rebus humanis, nisi ille qui fungitur publica potestate; et qui ea funguntur, superiores reputantur respectu eorum in quos sicut in subditos potestatem accipiunt, sive habeant ordinariam sive per commissionem. Et ideo manifestum est quod nullus potest iudicare aliquem, nisi sit aliquo modo subditus eius vel per commissionem, vel potestatem ordinariam ».

Prosequitur canon: « Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat (iure tantum ecclesiastico), quando »;

2° ex parte actoris vel rei *lata est inter partes, quarum altera* ex duabus *saltem non habet personam* seu cum iure *standi in iudicio*, eo quod « a sacris canonibus prohibeatur in iudicio agere » (can. 1646) vel respondere iuxta normas Tituli IV sub capite I. Aliter non esset sufficienter provisum his sapientibus legibus.

Innoc. III ait in cap. 4 « de procuratoribus » (I, 38) X: « Nos vero... attendentes etiam quod falsi procuratoris exceptio, non solum ante sententiam, verum etiam postea potest obiici, utpote qua probata, iudicium nullum, et nullius momenti controversiae reputantur, processum supradictorum iudicum sententialiter duximus irritandum ». Et regula iuris 22 in 6° clamat: « Non debet aliquis alterius odio praegravari ». Ut igitur huic damno occurratur, et illam falsitatem persequatur Codex efficacius, « vitio nullitatis insanabilis » inussit sententiam, « quando »:

3°. *Quis*, persona physica, *nomine alterius*, veluti procurator ad lites, *egit* partem actoris vel rei, sive hi sint personae physicae, sive morales, *sine legitimo*, idest: prout can. 1656, § 1, 1659 regitur, et non revocato iuxta can. 1664, § 1, *mandato* in can. 1659 declarato. Unde fallit quoad hoc munus saltem post sententiam reg. iuris 10 in 6°: « Ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari », nam voluntas privatorum nequit vim iuridicam adversus legem tribuere, hac non consentiente.

424. Actio et exceptio propter hanc nullitatem. — Can. 1679 praescripsit: « Si actus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis ». Cum ex reg. iuris 18 constet: « Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit », atque nullitatis vitium quo laborat sententia ex canone praec. est insanabile, optime conditus est *can. 1893* ad alterius citati iustam determinationem. *Nullitas* taxative *de*

qua multiplici *in can. 1892* dicitur, *proponi potest* « ab eo, cuius interest », a) *per modum exceptionis*, nam « quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione », sicut declaratum fuit ad can. 1667, ubi sequitur: « quae semper competit et est suapte natura perpetua ». Quod in praesenti canone peculiariter memoratur, veluti excludens exceptionem, quando adduntur verba *in perpetuum;* b) *per modum vero actionis* vi can. 1679, « proponi potest », ut supra, a) *coram iudice* velut competenti de hac causa, b) *qui sententiam* sic nullam *tulit* c) *intra triginta annos* congruenter canonibus de praescriptione actionum « in contentiosis » (1701, 1511, § 2), prout est praesens, *a die publicationis sententiae*, quia tunc pars cognoscit sibi competere in casu ac exercere posse ius ex actione, sed ille « dies ne computetur et tempus (annorum) finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri » ad normam can. 34, § 3, 3°.

Si agatur de actione criminali, quia iudex nullam sententiam ferens « tenetur de damnis et expensis erga partem laesam », atque forsan deliquit propter « abusum potestatis ecclesiasticae » (can. 2404), tunc etiam secunda pars canonis praesentis fuit necessaria et in praxi viget ad complementum can. 1702 aientis: « omnis criminalis actio perimitur... lapsu temporis utilis ad actionem criminalem proponendam ».

425. De nullitate sanabili sententiae enumerat *can. 1894* diversos casus, eosdem in unum colligens ex praecedentibus. Sic praescribit: *Sententia* quaelibet definitiva vel vim habens definitivae, *vitio*, quia ipsius damnum continet, *sanabilis*, quia supplendo defectum obtinere vim poterit, *nullitatis*, quapropter iudicium completum non fuit vera definitione, *laborat* unoquoque ex sequentibus capitibus; *quando*:

1° Legitima, tum quia « referat quae in can. 1715 praescribuntur », tum quia « fuerit legitime intimata » iuxta praescriptum can. 1723, *defuit citatio*, intelligenda est tantum de « rei vocatione in ius », quia ex cit. canone « nullius momenti sunt... acta processus » et consequenter sententia, non vero de « citatione partium ad audiendam sententiae lectionem », vel de aequipollente « partibus denunciatione », vel de sententiae transmissione ad partes » (can. 1877), quamvis can. 1724 praescribit: « regulae superius statutae pro rei citatione,... pro diversa tamen (iudicii actorum) natura, accomodandae et applicandae sunt... sententiarum denunciationi ». Canon enim 1723 agit taxative de « citationis defectu qua causa introducitur » et confirmatur ex art. 4 (Regulae servandae in iudiciis apud S. S. A. T.) [1].

[1] 6 Mart. 1912. CO. IV, 187.

Non aliter Clemens III decrevit in cap. 10 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « Tenor litterarum tuarum ostendit, quod cum inter R. et M. mulierem quaestio matrimonii verteretur: et Theatino episcopo commissa fuisset: idem eumdem R. muliere absente, ab impetitione ipsius absolvit... et infra.. Ideoque inquisitioni tuae taliter respondemus, quod (non obstante *illicita* absolutione, quam episcopus fecit) in causa procedas: eidem R. sub poena excommunicationis arctius interdicens, ne ad eam quam superinduxit accedat, priusquam fuerit causa decisa ».

2° « quando sententia », ut supra, *Motivis* « quae dicuntur » *seu rationibus decidendi* « tam in facto quam in iure » *est destituta* contra praescriptum can. 1873, in § 1, sub. n° 3° contentum, et hinc clausula nullitatis munitum. Propter hoc subditur: *salvo praescripto can. 1605* exceptionem continente sic expressam sub §° 1: « Supremi Tribunalis Signaturae sententiae suam vim habent, quamvis rationes in facto et in iure non contineant.

3° *Subscriptionibus caret iure*, nempe: can. 1874, § 5 *praescriptis*: scilicet: « iudicis vel omnium iudicum, si plures fuerint, et notarii ». Et hoc constat authentice ob seq.[m] interpretationem Commissionis Pontificiae [1]: « Utrum ad normam can. 1874, § 5, et can. 1894, n. 3, nullitatis vitio laboret sententia lata a tribunali collegiali, et subscripta tantum a praeside tribunalis et notario. — Resp. Affirmative ». Excipe Supremum Tribunal Signaturae, quod post Chirographum Bened. XV dici 28 Jun. 1915 [2] « restituens et in exercitium revocans duo insigna Collegia, alterum a *Votantibus*, alterum a *Referendariis* Signaturae nuncupata » sententiae Illius subsignantur a Praelato uno, qui appellatur *Signaturae Votans* ab altero Praelato a Secretis et demum a Notario. Etenim in tali Chirographo legitur: « servato in ratione interveniendi et procedendi penes II. S. Trib. modo in Regulis determinando ». Illam ergo praxim sub vocabulo « iure » canonis non est dubium venire.

4° absque exceptione, « quando sententia » *Non refert indicationem* etiam unam ex sequentibus a) *anni*, b) *mensis*, c) *dici et* d) *loci quo prolata est*, nam ex tribus prioribus simul designatur tempus et ex quarta locus, duae circumstantiae externae quoad sententiam ipsam, prout requirit § 5 canonis 1874: « Claudatur (sententia) cum indicatione dici et loci in quibus exarata est », tunc enim « prolata est » a iudice, nec se refert ad publicationem, quae multipliciter fieri potest, ut constat ex can. 1877.

[1] CO. vol. VII, pag. 325. — [2] 14 Iul. 1922. CO. XIV, 529, XIII.

426. De tempore insurgendi contra huiusmodi sententiam nullam conditus est *can. 1895. Querela nullitatis*, prout est interpretata sub inscriptione, *in casibus* singulis *de quibus in can. 1894* data est declaratio, *proponi potest* dupliciter: a) *vel una cum appellatione*, quia etiamsi sanetur, gravamen ex illa efficaci sentiatur iniustum, et tunc *intra decendium* pro appellatione declaratum ad can. 1881, *vel* b) *seorsim*, quin propter hoc excludatur appellatio tempore debito interposita aut omissa, *et* hinc c) *unice*, si placeat, *qua querela*, de actu vim iuridicam non habente, atque sic *intra tres menses a die publicationis sententiae*, et propter exemplum simile in can. 34, § 3, 2° positum: talis « dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri », atque proponatur querela ex canonis praescripto *coram iudice qui sententiam tulit*, ac talem sententiam « potest retractare et emendare intra terminos ad agendum hic statutos ». In casu vero sub littera a), quamvis querela nullitatis coniungatur appellationi, etiam « interponi debet coram iudice a quo prolata est » (can. 1881), et proinde postrema can. 1895 clausula utrumque membrum ipsius afficit, iuvante hanc interpretationem grammaticalis structura canonis eiusdem.

427. Remedium suspicionis inde ortae adversus iudicem affert *can. 1896. Si pars vereatur* equidem prudenter ex circumstantiis, ut pateat rationabile concessionis fundamentum, quo etiam absente viget praescriptum, *ne iudex*, unipersonalis, *qui sententiam, querela nullitatis*, sanabilis *impugnatam, tulit*, de qua solum verificari cum effectu potest quod sequitur, *praeoccupatum animum habeat* adversus partem vel eius causam *et proinde eum suspectum merito* secundum proprium iudicium *existimet, exigere potest* vi huius canonis, *ut alius iudex* qua persona physica cum potestate iudiciali, *sed in eadem iudicii sede*, ac proinde ab eo, qui protulit sententiam vel si officialis fuit, aut delegatus, ab Ordinario loci, aut delegante vel ab alteriusutrius alio delegato, *in eius locum*, qui sententiam nullam tulit, *subrogetur ad normam can. 1615*, ac proinde « si ipsemet Ordinarius declaratus fuerit suspectus, idem peragat iudex immediate superior ». Cum vero hic can. 1615 exigat suspicionis declarationem, et can. praesens ut « proinde eum suspectum merito existimet », pertinet ad Superiorem, qui debet dare alium iudicem, decernere utrum clausula « merito suspectum » verificetur in observantiam huius canonis.

428. Qualiter iudex procedere queat circa sententiae nullitatem edicit *can. 1897* duobus distinctis paragraphis, quarum praescripta innituntur capp. 7 et 9 « de testibus et attestationibus »

(II, 20) X, § *1. Querelam* initio capitis declaratam *nullitatis* « insanabilis vel sanabilis » *interponere possunt* « per modum exceptionis vel per modum actionis » *nedum* a) *partes* singulae, quod planum est, *quae* tamen *se gravatas putant* ob damnum inde saltem imminens, *sed etiam* b) *promotor iustitiae aut* c) *defensor vinculi*, disiunctive pro diversitate causarum, *quoties iudicio*, quod nulla sententia finem illegitimum habuit, *interfuerunt*, quin eis tale onus imponatur, quamvis de appellatione ab isto porrigenda alibi caveatur.

§ *2. Imo*, quia tali sententia iudicis munus in causa non habuit finem, et error vel noxa est corrigendus statim ac fuerit deprehensus, *ipse iudex potest* vi etiam canonis *ex officio*, seu nullo de hac re instante, *sententiam nullam* alterutra nullitate *a se latam retractare*, vel talem declarando nullius valoris, vel sanando, *et emendare* sanabilem *intra terminos*, praecise *ad agendum supra statutos*. Videlicet: de nullitate insanabili « intra triginta annos a die publicationis sententiae » (can. 1893); de nullitate sanabili « intra tres menses a die publicationis sententiae per ipsum latae (can. 1895).

CAPUT III.

De oppositione tertii.

Can. 1898. - Si sententiae definitivae praescriptum iura aliorum offendat, hi habent remedium extraordinarium quod *oppositio tertii* dicitur, vi cuius qui ex sententia suorum iurium laesionem verentur, possunt sententiam ipsam ante eius exsecutionem impugnare eique se opponere.

Can. 1899. - § 1. Oppositio fieri potest ad recurrentis arbitrium sive postulando revisionem sententiae ab ipso iudice qui eam tulit, sive appellando ad iudicem superiorem.

§ 2. In utroque casu oppositor probare debet ius suum revera esse laesum aut probabiliter laedendum.

§ 3. Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si executioni mandetur, oppositorem gravi praeiudicio sit affectura.

§ 4. Si neutrum probetur, iudex, non obstante tertii oppositione, sententiae exsecutionem decernat.

Can. 1900. - Admissa instantia, si oppositor agere velit in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis ; si coram ipso iudice qui sententiam tulit, regulae servandae sunt pro causis incidentibus datae.

Can. 1901. - Causa ab oppositore victa, sententia antea lata mutanda est a iudice, secundum oppositoris instantiam.

429. Capitis inscriptio et canones. — Ad complementum huius tituli fuit necesse addere *Caput III* agens *De oppositione* quoad sententiae vim et exequutionem ex parte *tertii*, sic dicti respectu actoris et rei in causa, respicientis quoque promotorem iustitiae

ac defensorem vinculi, quatenus hi in quibusdam causis adhaerent ex officio uni ex illis duabus partibus. Can. 1898 notionem dat huius oppositionis iudicialis, quo modo id faciendum sit quidve erit probandum discitur ex can. 1899, adhibente distinctionem quamdam can. 1900 atque can. 1901 effectum oppositionis victricis iuridicum firmat.

430. Notio huius remedii extraordinarii est perspicua secundum praecedentem disciplinam, ea quam dat *can. 1898.* « Cum res inter alios acta, non noceat regulariter aliis iuxta constitutiones canonicas et civiles » [1], statuit Codex. *Si sententiae definitivae*, quamvis haec valida sit et appellatione non impugnata, *praescriptum* pro casu controversiae *iura* subiectiva *aliorum*, qui partem non habuerunt in iudicio, *offendat*, illis iuribus nocumentum inferens, *hi habent* ex iure *remedium* suae indemnitatis *extraordinarium*, quia regulariter illud damnum nec accidit, nec praesumitur, *quod oppositio tertii* in iure et a Doctoribus recte *dicitur*, in ordine ad executionem sententiae huiusmodi, *vi cuius* remedii *qui ex sententia* supra declarata *suorum iurium* proprie dictorum *laesionem* praevidentes *verentur*, *possunt* iure *sententiam ipsam* forsan legitimam aliunde, iam latam, quia « de interventu tertii in causa » supra provisum fuit, sed *ante eius exsecutionem* plene factam de qua est Titulus sequens, *impugnare* per talis laesionis probationem *eique* exsecutioni *se opponere*.

Propterea Innoc. III sic decrevit in cap. 38 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X: « P. subdiaconus noster se ipsi (G. archiadiacono Claremon. litiganti cum procuratoribus Capituli Claremon.) opposuit ex adverso, asserens se canonice in decanum Claremon. electum propter quod dictus archiadiaconus in sua petitione non erat aliqualiter audiendus: quia decanatus ipse non ad illum, sed ad se potius pertinebat: et infra. Cum igitur super his aliquandiu disceptassent, interlocuti fuimus, ut dictus P. si posset incontinenti suam intentionem fundaret: qui cum super hoc testes et instrumenta produxerit, interloquendo pronuntiavimus, quod sua intererat, ut se posset opponere archidiacono memorato ». Notare oportet in hoc capite fuisse « sententiam super Decanatu Claremon. ecclesiae pro eo (G. archidiacono) latam, quae iam fuerat in parte executioni mandata ».

431. De modo huius oppositionis loquitur *can. 1899.* § *1* innixus Decretalibus, quae citantur in fontibus, praescribit. *Oppositio* tertii iam declarata *fieri potest ad recurrentis arbitrium*

[1] Cap. XVII, « de sententia et re iudicata » (II, 27) X.

non impediendum ob iuris concessionem, a) *sive postulando revisionem sententiae*, ad corrigendum id, quod iniustum ex nescientia irrepsit in illa, et hoc propter canonis dispositionem *ab ipso iudice qui eam tulit*, probe noscens fundamenta eius, b) *sive appellando* in hunc finem *ad iudicem superiorem*, cuius officii est sententias inferioris tribunalis ad instantiam eorum, quorum interest, emendare, prout iustitia exigat.

Prout cavebat Innoc. III in citato capite 38 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X, praescribit § 2. *In utroque casu* sub litteris a) et b) positis in § 1°, *oppositor probare* iudicialiter *debet ius suum* ad quod tuendum canon praec. concessit hoc « remedium extraordinarium » a) *revera esse laesum* sententia, quia iure innixum sola particulari sententiae lege laedi potest, b) *aut probabiliter laedendum* ex sententiae executione.

Quam interpretationem confirmat liquido § 3. *Laesio autem* revera existens aut probabiliter secutura *oriri debet* taxative *ex ipsa sententia* ad quam corrigendam ius oppositionis tertio est concessum, *quatenus*, sic exponitur duplex relatio: a) *aut ipsa* « sententia » *sit causa laesionis*, ut declaratum est in §° prae.ti, *aut*, b) *si executioni* rectae *mandetur*, tertium *oppositorem* non qualicumque, sed *gravi praeiudicio*, quod illius ius subiectivum laedat, *sit affectura.*

Consequenter necessaria additur § 4. *Si neutrum probetur* sufficienter atque intra tempus rationabiliter concessum, *iudex*, qui sententiam tulit, vel appellationis, ad quem oppositor accessit, *non obstante tertii oppositione*, de qua non exquiritur nova sententia, *sententiae* sic impugnatae *executionem* aliter non suspensam *decernat* iuxta canones Tituli sequentis, atque sic respuens indirecte praefatam oppositionem.

432. Normae servandae in hoc iudicio sunt diversae pro duplici via, quae in § 1° can.s praec.s relicta est « ad recurrentis arbitrium ». Sic enim enuntiatur *can. 1900. Admissa* remedii extraordinarii huiusmodi *instantia*, a) *si oppositor agere*, seu illud experiri *velit in gradu appellationis*, eo quod « oppositio exercita est appellando ad iudicem superiorem » (can. 1899, § 1), *tenetur* in conscientia *legibus pro appellatione*, seu in capite 1 *statutis;* b) *si coram ipso iudice qui sententiam tulit*, idest: « postulando revisionem sententiae » (can. 1899, § 1), *regulae servandae sunt* in Tit. XI *pro causis incidentibus datae*, quia cum his similitudinem habet talis oppositio tertii post sententiam.

433. Effectus instantiae propugnatae sunt diversi, prouti vel intentio oppositoris non probetur, quod nanciscebatur oppor-

tunum locum in can. 1899, § 4, et ibi declaratum fuit, vel *Causa ab oppositore*, qua tali, *victa* propter sufficientes probationes ad normam can. 1899, §§ 2 et 3, *sententia antea lata*, cui tertius opponebatur, *mutanda est*, ut laesio removeatur praesens aut futura, *a iudice*, cui recursus iudicialis porrectus fuit, et quidem *secundum oppositoris instantiam*, et sic eidem satisfiat.

TITULUS XV.

De re iudicata et de restitutione in integrum.

CAN. 1902. - Res iudicata habetur:

1.° Duplici sententia conformi;

2.° Sententia intra utile tempus non appellata; aut quae, licet appellata coram iudice *a quo*, deserta fuit coram iudice *ad quem*;

3.° Sententia definitiva unica, a qua non datur appellatio ad normam can. 1880.

CAN. 1903. - Nunquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum; sed ex duplici sententia conformi in his causis consequitur, ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis.

CAN. 1904. - § 1. Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec impugnari directe potest.

§ 2. Facit ius inter partes et dat exceptionem ad impediendam novam eiusdem causae introductionem.

CAN. 1905. - § 1. Adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium remedium appellationis aut querelae nullitatis, datur remedium extraordinarium restitutionis in integrum intra fines can. 1687, 1688, dummodo de evidenti iniustitia rei iudicatae manifesto constet.

§ 2. De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi:

1° Sententia documentis innitatur, quae postea fuerint falsa deprehensa;

2.° Postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent;

3.° Sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius;

4.° Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit.

CAN. 1906. - Ad restitutionem in integrum concedendam competens est iudex qui sententiam tulit, nisi ea petatur ex neglecto a iudice praescripto legis; quo in casu eam concedit tribunal appellationis.

CAN. 1907. - § 1. Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit.

§ 2. Si tamen suspicio sit ex probabilibus indiciis petitionem factam esse ad moras exsecutioni nectendas, iudex decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnis fiat.

434. Inscriptio Tituli et ordo canonum. — In Decretalibus Gregorii IX adsunt duo Tituli, quorum rubricae sunt: « de sententia et re iudicata », qui est Tit. XXVII Libri II, et « de in integrum restitutione », qui fuit insertus Tit. XLI in Lib. I. Digerentes

Codicem primam rubricam dispescuerunt in eius duas partes, conficiendo duas inscriptiones sic: « Titulus XIII, De sententia », ut procederet Codex ordine logico et ad praxim accomodato, eidem Titulo subnectendo alterum Tit. XIV, qui maximam retinet cum sententia connexionem. Deinde, cum sententia ex oppositionibus forsan exortis libera evaserit, iam consequitur sponte *Titulus XV* agens non solum *De re iudicata*, idest: de iusto particulari obiectivo per sententiam obligatorie statuto, sed *et* de alio remedio quandoque invocando qui aequitati valde condecet, nempe: *de restitutione in integrum*, qui tunc solum habet locum, quando ad alia remedia confugere nequit damnum inculpabiliter passus ex iudicio. Quae restitutio se refert ad obiectum iudicii expleti, ita ut coram legibus redeat ad pristinum statum in quo erat ante iudicialis controversiae petitionem.

Canones aequali numero prospiciunt uni alterique inscriptionis parti. Multiplicem rei iudicatae modum edicit can. 1902, exclusis aliquibus causis per can. 1903. Effectus vero rei iudicatae complectitur can. 1904. Quandonam invocari possit remedium alterum extraordinarium accurate pertractat can. 1905, de cuius competentia agit can. 1906, et illius petitionis vim moderatur can. 1907.

435. Quandonam *Res iudicata*, cuius notio sub inscriptione data est, *habetur*, explicat *Can. 1902* dicens: *1° Duplici sententia*, nempe: iudicii prioris et appellationis *conformi* idest: unius iudicis alteram confirmantis prouti requiritur a pluribus causis de statu personarum, sed hae causae hic non comprehenduntur, bene vero in seq. canone.

2° *Sententia* a) *intra utile tempus* ad normam can. 1881 *non appellata*, sicut iam scriptum fuit in cap. 15 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « Taliter duximus respondendum, quod cum post decem dierum spatium, sententiam in auctoritatem rei transeat iudicatae: qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit: cum per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse ». Eademque ratio urget pro altera numeri parte huius tenoris: b) *aut quae, licet appellata* « sententia » *coram iudice a quo*, idest: « interposita » (can. 1881), *deserta fuit* (can. 1883, 1886) *coram iudice ad quem*, seu appellationis. Nec deest in hoc auctoritas Decretalium sub cap. 4 « de appellationibus... » (II, 28) X, ubi ait Alex. III: « Si quis ad nostram audientiam appellaverit, et appellationi suae prolixum terminum praefixerit, tu ei die infra quem Apostolicam Sedem convenienter possit adire, assignes ad

quam si venire contempserit, tu illum extunc iudicio tuo super iis quae in quaestione vertuntur sine contradictione aliqua stare compellas. Si autem quisquam appellationi suae praefigat terminum congruentem, nec tamen causam ad diem appellationis fuerit prosecutus, ipsum nihilominus extunc sententiae tuae (sicut de alio diximus) appellatione remota parere constringas ».

3° *Sententia definitiva*, vel ea quae definitivae vim habeat, *unica*, veluti per exceptionem n.^{i} 1^{i} necessariam, *a qua*, ut subditur, *non datur* ex iure *appellatio*, seu quia « non est locus appellationi » *ad normam can. 1880*, ubi sub 9 numeris singulae huiusmodi sententiae enumerantur.

436, Exceptionale praescriptum ceteroquin iuri praecedenti omnino conforme est quod continet *Can. 1903. Numquam* tempore aut iure *transeunt in rem iudicatam*, idest: sententiae obtinent illam rei iudicatae sub inscriptione firmitatem cum iuris effectibus in can. seq. relatis, quando sint *causae de statu personarum* tanquam obiecto controversiae, scilicet: « sententiae in causis matrimonialibus » (Can. 1889) et causae « quibus impugnantur obligationes ex sacra ordinatione contractae vel ipsa sacrae ordinationis validitas » (can. 1993, § 1), quia etiam istae quoad hoc illis aequiparantur in can. 1998, § 2. Cum vero institutum hoc appellationis sit iuris positivi, sic limitatur denegatio appellationis, interpretando primam partem canonis: *sed ex duplici sententia conformi* necessaria, ut asseruimus ad n. 1 can. praec.^{s}, *in his causis consequitur iure*, *ut ulterior propositio* apud forum iudiciale Ecclesiae *non debeat* a iudicibus etiam superioris gradus *admitti*, et iubente hoc canone parendum est ei a iudice, *nisi* a) *novis prolatis*, quae nempe prius adducta non fuerunt, b) *iisdemque gravibus*, quae talia primo prudenti adspectu reputantur, *argumentis*, quo nomine veniunt probationes aliae quaecumque *vel* in specie *documentis*, quae in his causis potiores esse solent.

437. Effectus rei iudicatae quatuor sunt, quos binos et binos praescribit *can. 1904. Res iudicata*, idest: quod iudex per sententiam definivit, quae transiit in rem iudicatam secundum canones praecedentes, *praesumptione iuris et de iure*, « quae nempe ab ipsa lege statuitur » cum effectu statim adiungendo (can. 1825, 1826), *habetur* coram Ecclesiae foro *vera et iusta*, sicut dicitur in cap. 13 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X hoc textu: « tandem praefatus T. Veronen. episcopus quendam Cardinalem sequens, a quo idem fuerat iudicatum, quod vel archipresbyter dimitteret ecclesiam, aut abbati obedientiam repromitteret, sententialiter deffinivit: cuius sententia (cum nulla fue-

rit appellatione suspensa) in rem transiit iudicatam: et infra. Quamvis forte dicto instrumento donationis non sit plurimum innitendum, nec confirmationibus vel privilegiis, quae de ipso causam et originem acceperunt: attendentes tamen quod quantum ad litigantes ipsos, *ius* ex sententia factum fuit, postquam in rem transiit iudicatam, etiamsi contra ius litigatoris lata fuisset »: (ita exigente bono societatis hominum communi) « cum contra ius constitutionis expresse lata non fuerit: veritate gestorum sermonibus praevalente, quae praesumitur rite per omnia celebrata: diffinimus, ut archipresbyter S. Proculi qui pro tempore fuerit, fidelitatem et obedientiam praestet abbati S. Zenonis ».

Ab illa praesumptione proficiscitur ad normam can. 1826, quod « res iudicata » *nec impugnari directe*, idest: per probationes ad sententiae falsitatem vel iniustitiam de se ordinatas, proindeque iterum suscitando controversiam *potest*. Alias pax et ordo in societate semper nutare possent. Propterea Innoc. III decrevit in cap. 11 « de arbitris » (I, 43) X: « Mandamus, quatenus (praefatis litteris ipsius Inn. non obstantibus) quidquid per praenominati ducis arbitrium; contra ipsius legati sententiam invenerit esse factum, in irritum revocetis, ei districtius inhibentes, ne ulterius in compromisso procedat, eundem ad restitutionem obsidum, occasione illius compromissi sibi datorum, ut ipsius arbitrium servaretur, per censuram ecclesiasticam compellentes ». Talis enim fuit expressa ratio Summi Pontificis: « Licet autem eidem duci litteras nostras miserimus, ut ad componendum inter partes laborare deberet, cum tamen intentionis nostrae non fuerit immutare sententiam ipsam, vel sopitas per eam querimonias suscitare ».

Praecedenti simul ac sequenti paragrapho lumen atque fulcimentum affert cap. 16 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X in eius parte dispositiva. Sic legitur: « Cum autem in plerisque locis, quibus copia prudentium habetur, id moris existat, quod omnia quae iudicem movent, non exprimantur in sententiis proferendis: vobis taliter respondemus, quod cum ex depositionibus testium praedictorum constiterit sententiam a iudice suo prolatam: propter auctoritatem iudiciariam, praesumi debet omnia legitime processisse ».

Ex hucusque citatis Decretalium textibus constat, quod asserit § 2. « Res iudicata » a) *facit ius inter partes* sive illud auctoritative constituendo, sive eodem modo determinando, cui partes stare debent, *et* b) *dat* iure *exceptionem ad impediendam novam*

eiusdem causae ratione obiecti inter easdem personas *introductionem*, quae exceptio vocatur litis finitae estque peremptoria.

438. De in integrum restitutione, quae attingit rem iudicatam, et paragraphi praecedentis in secunda eius parte exceptionem infirmat, est conditus *can. 1905* sic praescribens in § *1. Adversus sententiam* quamlibet, etiamsi haec data fuerit ab ordinariis Apostolicae Sedis Tribunalibus [1]; « quia sententia Romanae Sedis non negatur posse in melius commutari, cum aut surreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione aetatum et temporum, seu gravium necessitatum dispensative quidquam ordinare decrevit. Et secundum iura civilia, principes etiam contra res bis iudicatas in auditorio suo examinari restitutionem in integrum permiserunt ». Prosequitur canon: *contra quam* « sententiam » *non suppetat* ex qualibet Codicis norma *ordinarium remedium* duplex Tituli praecedentis *appellationis* etiam iterae, quando sententia censetur solum iniusta, *aut querelae nullitatis*, qua inficiatur illa, *datur* iure canonis huius *remedium extraordinarium* a) *restitutionis in integrum* sub inscriptione declaratum b) *intra fines can. 1687*. (§ 1) « pro minoribus vel minorum iure fruentibus graviter laesis eorumque heredibus et successoribus, ad laesionem reparandam ex sententia » alterutra inter supradictas, et (§ 2) « maioribus quoque conceditur.... dummodo iustam subesse causam et laesionem sibi imputandam non esse probaverint », atque « intra fines » can. *1688*, nempe: (§ 1) « intra quadriennium ab adepta maioritate computandum, si agatur de minoribus, a die laesionis factae et cessati impedimenti, si de maioribus aut personis moralibus », imo « restitutio concedi potest a iudice etiam ex officio, audito vel instante promotore iustitiae ». Et sic explicit paragraphus: *dummodo* c) *de evidenti* sic ut in promptu appareat probandum esse *iniustitia rei iudicatae*, ac proinde contra ipsius naturam pugnare *manifesto constet*.

Huius exemplum adest in cap. 2 « de in integrum restitutione » (I, 41) X, ubi ait Innoc. III: « Nos igitur inspectis privilegiis praedecessorum nostrorum Leonis, Gregorii et Clementis, quae monasterium illud ad ius et proprietatem indicant Sedis Apostolicae pertinere, intelligentes quod monasterii procurator, et si eadem privilegia coram ipsis iudicibus exhibere omiserit negligenter, ius tamen non tam suum quam nostrum fuerit protestatus; videlicet quod monasterium ipsum ad Romanam ecclesiam nullo medio pertineret, ne ipsius negligentia in damnum tam

[1] Cap. 5 « de in integrum restitutione » (I, 41) X.

nostrum quam monasterii redundaret, ad audientiam restituimus monachos Rothon ».

Et his congruit cap. 9 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X dicens: « Item, cum aliqua causa appellatione remota committitur, et sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet, nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam ».

Quam iniustitiam prae oculis habeat legislator canonis, statim ipse nos edocet in § 2. *De iniustitia autem* supple: « rei iudicatae » *manifesto constare non censetur*, ac proinde illam clausulam sub littera c) non verificari, *nisi* pateat unum ex sequentibus factis:

1° *Sententia* vel uti processus iudicialis complementum vel iuxta rationes in iure et in facto adductas *documentis* necessariis ad procedendum valide, seu hac probatione in specie *innitatur*, *quae postea fuerint falsa deprehensa*. Huius exemplum invenitur in cap. 2 « ut lite non contestata... etc. » (II, 6) X. Sic enim legitur: « Cum igitur lis coram eisdem iudicibus non fuerit contestata, et *manifeste pateret* litteras ipsas *per veri suppressionem obtentas*, (cum manifestum esset duos praedictorum iudicum, Achonien. videlicet et Beriten. episcopos, eidem archiepiscopo tamquam suffraganeos suo metropolitano subesse) ac ex his plebanum legitime appellasse constaret, in quem (etiam si minus legitime appellasset et iudices ipsi licet propter contumaciam excommunicationis forte potuerunt proferre sententiam) non debuerunt super principali negotio, diffinitivam sententiam, lite non contestata, proferre, praedictas cassavimus sententias, immo cassas denunciavimus et inanes ».

Quia « ubi eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio », propter parem rationem ac in praec. n.°, additur 2° *Postea*, quando « non suppetat ordinarium remedium » ad normam § 1ae, sed admitti posset interpretatio ex rationabili dilationis motivo, etiamsi *detecta fuerint* tempore utili ad appellationem vel querelam nullitatis *documenta*, ut adnotatum est de hoc verbo in praec. numero, *quae* a) *facta nova* respectu motivorum in facto relatorum in sententia, *et* b) *contrariam* illius parti definitivae *decisionem exigentia peremptorie*, quia luce meridiana clarius appareat ex illis motivis in facto et in iure, *probent;*

3° *Sententia* a) *ex dolo partis*, quia « nemini dolus et fraus patrocinari debent », *prolata fuerit in damnum alterius* iniustum, etenim secundum reg. iuris 22 in 6°: « Non debet aliquis alterius odio praegravari ». Exemplum huiusmodi damni nobis offert cap. II « de procuratoribus » (I, 38) X, decernente Alex. III:

« Mandamus quatenus si vobis constiterit, quod Vigoren. episcopus praefatum A. in restitutione expensarum pro nulla alia rationabili causa condemnaverit, nisi pro eo tantum quod in termino constituto ad eius praesentiam non accessit infirmitate detentus, cum non possit quis cogi, nisi velit in gravibus causis procuratorem constituere, et ipse ad probandum infirmitatem suam presbyterum et diaconum destinaverit, eum absolvere ab eadem sententia minime differatis ».

1° Legis canonicae *praescriptum* vigens, sive validitatem processus aut solius sententiae respiciens, sive ad huius pertinens iustitiam fundandam, *evidenter*, ex processu vel ex tenore sententiae idipsum patens, *neglectum fuerit*, quia nempe: potuit iudex, debuit ex officio suo et omiserit observare vel casui applicare. Ex fontibus ad hunc canonem citatis fulcitur interpretatio data. Caput enim 54 « de electione et electi potestate » (I,) X agit de nullitate processus ob defectum verae contestationis litis, cap. 5 « de feriis » (II, 9) propter harum quasdam non servatas secundum ius tunc vigens, cap. 2 « de sententia et re iudicata » (II, 14) in 6° propter defectum sententiam tunc temporis irritantem, ac demum ob praescriptum ad meritum causae pertinens invenitur cap. 3 « de consuetudine » (I, 4) X, quod sequentis est tenoris: « contra te sententiam proferens, memoratis G. et A. praetaxatam domum secundum Veronen. civitatis consuetudinem adiudicare curavit. Deinde cum causa fuisset ad nos per appellationem delata, Brixien. episcopus delegatus a nobis, sententiam contra vos (spreta forma canonum) secundum eandem consuetudinem, sicut praefatus legatus fecerat, promulgavit. Nos autem considerantes, quod licet usus vel consuetudinis non minima sit auctoritas, numquam tamen veritati, aut legi praeiudicat, praescriptam sententiam revocavimus: et vos ab impetitione absolventes ipsorum, vobis et ecclesiae vestrae domum adiudicavimus supradictam ».

439. Iudex competens in hac re statim datur. *Can. 1906. Ad restitutionem in integrum* iuxta praec. canonem *concedendam* de facto *competens est* vi huius canonis in genere a) *iudex qui sententiam*, adversus quam post rei iudicatae eventum ex illa conceditur restitutio, *tulit*, *nisi* b) *ea petatur* a partibus vel promotore iustitiae ex n. 4° canonis praec.^{s}, scilicet: *ex neglecto a iudice praescripto legis* multiplici ibidem declarato; *quo in casu* iuste excipiendo ab illa competentia, ut in quo quis peccavit, in eodem puniatur iudicis munere, ac propter securitatem de iusta decisione, *eam* restitutionem in integrum supra dictam *concedit* post recep-

tas probationes ultra petitionem *tribunal appellationis*, idest: ad quod appellandum foret ab illo iudice secundum ss. canones.

Memorari oportet hic quoddam praescriptum, quod derogat praesenti canoni secundum reg. iuris 34 in 6°: « Generi per speciem derogatur ». Etenim « Apostolica Signatura videt potestate ordinaria:... 4° De expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit ».

440. Effectus alter huius remedii extraordinarii perpenditur ultimo loco. *Can 1907. § 1. Petitio restitutionis in integrum*, quamvis legitime concessa haec fuerit, a) *sententiae* adversus quam detur *exsecutionem* Titulo XVII moderatam b) *nondum inceptam* de facto, etsi decreto vel sententia statutam *suspendit* secundum quod exigit natura restitutionis in integrum.

Facti species tamen invenitur in Decretalibus non spernenda, quam Decretalem [1] plene admittit in parte dispositiva § 2. *Si tamen suspicio sit*, seu inclinatio mentis iudicis prudens *ex probilibus* respectu propositionis sequentis *indiciis*, seu factorum aut personarum circumstantiis, *petitionem* de qua in § 1° *factam esse ad moras exsecutioni* nectendas, *iudex decernere potest* ex huius canonis concessione, quin obligetur hoc praescripto, a) *ut sententia exsecutioni* de facto *demandetur*, servans sequentem conditionem, seu b) *assignata tamen* per illud decretum *restitutionem petenti idonea* pro conditione causae ac personarum *cautione*, sive verbali, sive reali, *ut, si restituatur in integrum* cum effectu, idest: hanc petens in causa praevaleat, *indemnis fiat* « pro medio tempore » inter concessam restitutionem et novam causae definitionem.

Sic enim habetur in cit. Decretali: « Sententia vero lata procurator monasterii ad probandum praescriptionem factam... Restitutionem in integrum nomine monasterii postulavit, quam eidem duximus indulgendam. et infra: Ne vero per excogitatam malitiam (sicut ex praesumptionibus pluribus videbatur) effectum sententiae in damnum episcopi contingeret impediri: neve monasterium per exequutionem sententiae, propter diversas suspiciones incurreret detrimentum. Nos aequitate pensata, iure duximus providendum, ut ante omnia supradicta sententiam executioni mandent. et infra. Volumus nihilominus, et mandamus, ut ab ipso episcopo recipiatis idoneam cautionem, quod si monasterium in causa ipsa praevaluerit, universa quae medio tempore sententiae ipsius occasione perceperit, monasterio restituat memorato ».

[1] Cap. 6 « de in integrum restitutione » (I, 41) X.

TITULUS XVI.

De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio.

CAPUT I.

De expensis iudicialibus.

CAN. 1908. - In causis contentiosis possunt partes adigi ad aliquid solvendum, titulo expensarum iudicialium, nisi ab hoc onere eximantur ad normam can. 1914-1916.

CAN. 1909. - § 1. Concilii provincialis, vel conventus Episcoporum est taxarum notulam ac regulam statuere in qua praefiniatur quid partes debeant pro expensis iudicialibus; quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro exscribendis ex archivo documentis.

§ 2. Potest autem iudex pro suo prudenti arbitrio exigere ut pecunia pro iudicialibus expensis, pro indemnitate testium, pro honorariis peritorum debita a parte quae petit vel, si iudex ex officio agat, ab actore, antea deponatur penes tribunalis cancellariam aut saltem congrua cautio praestetur pecuniam deinde solutum iri.

CAN. 1910. - § 1. Victus victori iudiciales expensas regulariter reficere tenetur tum in causa principali tum in incidenti.

§ 2. Si actor vel reus temere litigaverit, etiam ad damnorum refectionem damnari debet.

CAN. 1911. - Si actor vel reus partialiter tantum succubuerit, aut lis agitata fuerit inter consangui-



neos vel affines, aut de quaestione valde ardua actum fuerit, aut quacumque alia iusta et gravi de causa, poterit iudex pro suo prudenti arbitrio ex toto vel ex parte inter litigantes expensas compensare; idque debet exprimere in ipso sententiae tenore.

Can. 1912. - Si plures sint in causa qui condemnationem ad expensas mereantur, iudex eos damnet in solidum, si agatur de obligatione solidali; aliter pro rata.

Can. 1913. - § 1. A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars quae se gravatam putat, oppositionem intra decem dies facere potest coram eodem iudice: qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare ac moderari.

§ 2. Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas.

441. Inscriptio tituli eiusque logica divisio in capita. — Scriptum est: (1 ad Cor. IX, 7). « Quis militat suis stipendiis unquam?» Cum ergo stipendia et expensae aliae in iudiciis occurrant, secundum reg. iuris 54 in 6°: « Qui sentit onus, sentire debet commodum, et econtra », ac proinde illi qui volentes iudicium inchoant prosequendum, expensas iudiciales subeant. Et quia suadet aequitas, ut pro litigantium circumstantiis respectu uniuscuiusque causae, illae diversimode utrumque vel alterutrum tenent, hoc erit determinandum in sententia a iudice, qui talem aequitatem melius discernet atque sua poterit auctoritate ad servandam illam aequitatem cogere. Propterea priusquam gressus fiat ad sententiam exequendam, ac velut ipsius complementum est positus *Titulus XVI* agens *De expensis iudicialibus*, idest: quae iudicii causa a partibus solvendae erunt. Postulat autem charitas christiana, ne pauperes hoc motivo impossibilitatis illas ex toto vel in parte solvendi a iure suo rationabiliter persequendo in Ecclesiae foro impedirentur, et hac ratione Codex inscriptionem hanc complevit verbis: *et gratuito patrocinio*, quod praecipue intelligitur praestandum ab advocatis, sed alias expensas respiciunt quoque illa verba.

Congruit evidenter huic inscriptioni divisio Tituli in duo capita. *Caput* nempe *I. De expensis iudicialibus* sustinendis, ut hinc transitus sit facilior ad *Caput II De gratuito patrocinio*...

442. Canonum coordinatio in capite I positorum talis est. Primo enuntiatur principium de hac re in can. 1906, et quia pro diversitate temporum ac locorum regula de expensarum quantitate varia erit statuenda, ius id faciendi atque modum a iudice quandoque servandum decernit can. 1909. Hinc regulae dantur pro singulis causis easdem expensas exigendi ab alterutra parte (can. 1910, 1911) vel qualiter « si plures sint in causa » (can. 1912). Denique remedium tribuit can. 1913 parti, quae « se gravatam putat » in hac re.

443. Obligatio ad expensas iudicii, quam diximus iuri naturali innixam, etiam iure positivo confirmari docet *can. 1908* in genere praescribens. *In causis* proprie dictis, seu fori iudicialis, ac *contentiosis* solummodo, quae in commodum partium sunt institutae, *possunt partes*, tam actoris quam rei locum habentes, *adigi*, idest: auctoritate etiam poenarum obligari *ad aliquid* proportione servata *solvendum* ex propriis, *titulo* non iustitiae obtinenendae vel obtentae, quia simoniacum esset facile in foro Ecclesiae, sed *expensarum iudicialium*, sive honestae sustentationis iudicis huic munere se devoventis, sive quae fiunt ad necessaria pro tribunalis exercitio, sive honorarii advocatorum, etc., *nisi ab hoc onere* per se iusto *eximantur* ex personarum paupertate quoad totum vel partialiter, nempe: *ad normam can. 1914-1916* seu omnium capitis sequentis de huiusmodi exemptione tractantis.

444. Cuius sit eas in genere statuere, cum universaliter nequeant moderari, edicit *can. 1909.* § *1. Concilii provincialis* uniuscuiusque, quod moderantur can. 283-291, *vel*, quia hoc « celebratur vicesimo saltem quoque anno » (can. 283), *conventus Episcoporum*, in quem conveniunt « Ordinarii locorum, saltem quinto quoque anno, stato tempore apud Metropolitanum aliumve Episcopum comprovincialem » ex praescripto can. 292, § 1, *est* ius ac obligatio *taxarum* pro singulis actibus iudicialibus *notulam*, veluti elenchum *ac regulam* cum obligatione *statuere*, proindeque decursu temporum eandem mutare augendo vel imminuendo omnes vel aliquas taxas, *in qua* notula *praefiniatur* ad modum legis provincialibus a) *quid partes debeant* etiam ex conscientia *pro expensis iudicialibus* diversis cancellariae, deferentis partibus acta processus, etc.; b) *quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus*, quae hac usi sunt, *solvenda*, quia mercede digna est; c) *quae mercedis mensura pro versionibus* scripti in alteram linguam *et* meris *transcriptionibus* pro numero paginarum; d) *pro his*, tam versionibus quam transcriptionibus, qua talibus *examinandis* equidem a notario in hunc finem: *et fide facienda de earum fidelitate*, seu concordia cum originalibus; *itemque* e) *pro exscribendis ex archivo* Curiae *documentis*, quia haec etsi extraiudicialiter confecta, de se ad iudicium forsan futurum ordinantur, qua probationes.

Cum respectu ad iudiciales expensas quoddam ius attribuit § 2 statuens. *Potest autem* insuper a) *iudex* unicus vel tribunalis collegialis praeses, b) *pro suo prudenti* ex circumstantiis *arbitrio*, relinquitur ergo eius voluntati, c) *exigere* cum obligatione: *ut* a) *pecunia* in determinanda ab eodem quantitate b) *pro iudicialibus*

expensis, « universe sumptis » [1] c) *pro indemnitate* iuxta sequentes normas praevisis *testium*, si examen eorum habendum sit, « iuxta civilem loci Tribunalis usum, tum ob itineris expensas, tum ob cessatum lucrum ex interruptione laboris », d) *pro honorariis peritorum*, si hi requirantur, *debita*, *a parte quae petit* iudicium instaurari, *vel*, *si iudex ex officio agat*, quia tenetur iuxta ss. canones aut sic exigente iure communi, *ab actore* idest: in cuius favorem causa instruitur, *antea* hoc est: post litis contestationem *deponatur* de facto « tamquam depositum iudiciarium » *penes tribunalis cancellariam*, ac « deponenti tradetur syngrapha receptionis summae depositae, cuius aut exemplar a Notario redactum, aut ipsum autographum in actis servabitur » [2], *aut saltem* loco depositi iudiciarii antea declarati *congrua* fini obtinendo *cautio praestetur* revera, qua constet prudenter *pecuniam deinde* in processu atque fine iudicii *solutum iri* diversis secundum supra dicta ius habentibus, inter quos est ipsum tribunal. Haec omnia opportune consuli queunt in locis supracitatis, ubi magis determinata sunt pro Tribunalibus ordinariis Sanctae Sedis, et quae ut normae directivae inferiorum iudicum assumi poterunt, debita proportione servata.

445. Quis solvere debeat expensas iudiciales, causa in finem perducta, edicit *can. 1910* verbis desumptis ex cap. *4* « de poenis » (V, 37): « Calumniam et audaciam temere litigantium condemnando in expensis, et alio multiplici remedio sanctio imperialis compescit. Quum igitur sacris institutis consonare dignoscitur: Praecipimus, ut de caetero in causis pecuniariis victus, victori in expensis condemnetur: nisi sententia pro absente feratur ». Et in cap. 23 « De accusationibus etc. » (V. I) X sic decrevit Innoc. III: « Deinde si legitimus accusator apparuerit, audiatis quae fuerint hinc inde proposita ». Et ita explicit caput: « Si autem purgationem praestiterit, contradictores ab eius molestia compescentes, eos, qui eum nisi sunt impedire, in expensis legitimis condemnetis ».

§ *1* his congruit praescribens ut normam generalem. *Victus* in controversia iudiciali, praesertim contentiosa ubi duas partes contendentes invenire licet, non sic in iudicio criminali, cuius actio reservata est ex officio promotori iustitiae, sed etiam in controversia hac postrema, quando illud locum habeat in S. Romana Rota, iuxta illud: « In causa criminali qui condemnationem pati-

[1] Lex propria S. R. R. Appendix. Cap. I, nn. 6, 7. 29 Iun. 1908. CO. I, 33. — [2] Regulae servandae apud Trib. S. R. R. § 31. 4 Aug. 1910. CO. II, 795.

tur, expensas iudiciales solvere debet, excepto casu quo reo per ipsam condemnationem subtrahantur fructus omnes beneficiales, aliique reditus eidem aliunde non suppetant » et in inferioribus tribunalibus, quando damnatus reus recusavit opportune confiteri ad vitandum tale iudicium.

« Victus » ergo sic declaratus *victori* seu parti, pro qua vel cuius iure sententia fuit pronunciata, non solum « in causis pecuniariis », sed in omnibus, *iudiciales expensas*, quae iudicium directe attingunt, *regulariter*, quia exceptiones sequentur, *reficere tenetur*, ita ut victor easdem factas recuperet, a) *tum in causa principali* per sententiam definitivam ultimata, b) *tum in incidenti* per interlocutoriam solum decisa, si respiciat testes admittendos vel non, ut in cap. 36 « de testibus et attestationibus (II, 20) X, ubi decisio Innoc. III talis est: « Mandamus, quatenus si vobis constiterit abbatem et monachos, quartam productionem testium, cum iuris solemnitate super possessorio petivisse, et propter hoc infra decem dies post interlocutoriam sententiam appellasse,... vos ad quartam productionem (adhibita solemnitate legali) admittatis eosdem, ipsos (si in probatione defecerint) in expensis legitimis condemnantes ». Sed etiam de aliis incidentibus non deest textus in Decretalibus. Sic enim legimus in cap. 5 « de dolo et contumacia » (II, 14) X eumdem Summum Pontificem habens auctorem: « Quia frequenter ad impediendum, vel differendum processum, exceptiones huiusmodi per excogitatam malitiam opponuntur: ad solvendas alteri parti moderatas expensas extunc in iudicio faciendas, cum acceptis induciis, si forsitan in probatione defecerit, condemnetur ».

§ 2 complet praecedentis praescriptum consonans sequenti decisioni Innoc. III in ultimo cit. cap.: « Et si solvendo non fuerit, alias secundum arbitrium discreti iudicis, puniatur: ut hoc saltem timore perterritus, non facile quis in gravamen alterius falsas exceptiones opponat ». Codex autem confirmat potius aequitatem huic opponenti facile exceptiones onerosam, praescribens: *Si actor vel reus*, qui non debent ad imparia iudicari, et secundum reg. iuris 32 in 6°: « Non licet actori, quod reo licitum non existit », *temere* seu facile, quia destitutus fundatis prudentia motivis litigaverit, ille introducens causam, hic per litis contestationem, alteruterque exceptiones opponens vel causas incidentes promovens, *etiam*, si victus in alterutra causa *ad damnorum* inde evenientium in victore *refectionem* per iustam satisfactionem *damnari debet* in sententia decretove iudicis.

Hoc bene inductum est ab Innoc. IV in Conc. Lugdun. [1] his verbis: « Hominum succerescente malitia, quod provisum est ad remedium, tendit ad noxam, Dum enim in causis ecclesiasticis frequentius haec exceptio (nempe: excommunicationis) per malitiam opponitur, contingit interdum differri negotia, et partes fatigari laboribus et expensis: proinde (quia morbus iste quasi communis irrepsit) dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponit, speciem illius et nomen excommunicatoris exprimat, sciturus se eam rem referre debere in publicam notionem, quam infra octo dierum spatium (die in quo proponitur minime computato) probare valeat apertissimis documentis. Quod si non probaverit, iudex in causa procedere nom omittat, reum in expensis, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, prachabita taxatione condemnans ».

446. Casus speciales considerat *can. 1911. Si* a) *actor vel reus*, non sit plene victor aut victus, *seu partialiter tantum* alteruter *succubuerit* ex sententia in causa principali, *aut* b) *lis agitata fuerit inter consanguineos vel affines*, quorum relationes convenit fovere, ac lites magis vitare timore expensarum subeundarum, *aut* c) *de quaestione valde ardua*, et proinde cogente ad iudicem deferre eandem, *actum fuerit*, *aut* d) *quacumque alia iusta* idest: ratione iustitiae hoc requirente *et gravi de causa*, sicut habetur exemplum in c. Nepesina S. C. EE. et RR. [1] ibi discendum, quando « ad propositum dubium: An et in qua summa sit locus emendationi damnorum, et taxationi expensarum? rescripserunt (E.mi Patres): Ad E.mos Praefectum, et Ponentem ad mentem: mens est: che Sua Santità si degni imporre perpetuo silenzio sulla questione presente e di ordinare un equo compenso al Parroco per le spese sofferte nel presente giudizio »; a) *poterit* ergo *iudex* in unoquoque ex praedictis casibus facultate huius canonis, b) *pro suo prudenti arbitrio* circa aequitatem in facto, c) *ex toto* seu aequaliter *vel ex parte*, ergo inaequaliter *inter litigantes* « succumbentes partialiter » *expensas* solutas atque solvendas *compensare* ad librandam iustitiam humano modo; *idque* nempe: compensationis modus quoad expensarum quantitatem solvendarum ab utroque, *debet exprimere* sufficienter *in ipso sententiae tenore* ob canonis praescriptum.

447. Alius peculiaris casus non praetermittendus est, quem moderatur *can. 1912. Si plures* personae physicae vel morales *sunt in causa qui* tanquam « actor vel reus » (can. 1910) victus

[1] Cap. I « de exceptionibus » (II, 12) in 6°. — [2] 14 Febr. 1845, Collectanea S. C. EE. et RR. pag. 520.

condemnationem ad expensas iuxta duos praecedentes canones *mereantur, iudex eos* simul *damnet* ad eas a) *in solidum*, ita nempe ut unusquisque ad omnes teneatur, ipsoque solvente ceteri releventur in parte tantum illius, *si agatur de obligatione*, quae per sententiam definita est, *solidali*, vel propter naturam eius, quae ab uno tantum impleri debeat, vel propter naturam actionis ab unoquoque positae, v. gr. in damno inferendo, quae parit obligationem solidalem subordinatam restitutionis; *aliter*, seu in aliis casibus meriti causae, *pro rata* parte, seu unicuique eas expensas attribuat pro uniuscuiusque imputabilitate, ita ut ab omnibus simul expensarum summa sit solvenda sine mutuo solutionis respectu.

448. De appellatione concessa circa expensarum taxationem haec teneantur. *Can. 1913.* § *1.* Imprimis: *A pronunciatione*, per sententiam aut decretum in causa incidente, *non datur distincta appellatio*, ab ea concessa adversus sententiam definitivam, sed una sit tantum; videlicet: *sed pars* actor vel reus, *quae se gravatam* in praedicta solum taxatione, *oppositionem* pronunciationi iudicis *intra decem dies* a sententia definitiva vel vim huius habente *facere potest* iure *coram eodem iudice* sententiam ferente, quia subditur: *qui de hac re cognoscere* etiam de novo adductas rationes *denuo*, quia prius iam cognovit ad pronunciandum, *poterit* concessione huius canonis, *et taxationem* de expensis quibuslibet solvendis factam *emendare ac moderari* pro diversitate casuum, et cum dicatur « poterit », subintelligitur etiam retinere datam ex ratione.

§ 2 dat praescriptum congruens initio §[1] praecedentis. *Appellatio a sententia circa causam principalem*, ac proinde « ad superiorem iudicem » (can. 1879), *secumferl* ipso facto *appellationem* specificandam, excepto casu quo « appellans nullum determinavit caput sententiae », ad normam can. 1887, *a pronunciatione* partiali, seu *circa expensas* tum iudiciales, tum circa damnorum refectionem.

CAPUT II.

De gratuito patrocinio, aut expensarum iudicialium deminutione.

CAN. 1914. - Pauperes, si in totum impares sint expensis iudiliibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem.

CAN. 1915. - § 1. Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi vult, eam a iudice postulare debet, dato supplici libello, allatisque documentis quibus quae conditio sit postulantis quaeve eius rei familiaris copia demonstret; praeterea probare debet se non futilem neque temerariam causam agere.

§ 2. Iudex postulationem nec admittat nec reiiciat, nisi requisitis, si opus sit, notitiis etiam secretis quibus statum rei familiaris ipsius postulantis compertum habere possit auditoque promotore iustitiae; imo concessam potest etiam revocare, si in decursu processus assertam paupertatem non adesse compertum habuerit.

Can 1916. - § 1. Ad gratuitum pauperum patrocinium iudex in singulis causis eligat aliquem ex advocatis in suo foro approbatum, qui ab hoc munere explendo, nisi ex causa iudici probata, sese subducere nequit, secus a iudice congrua poena, etiam suspensionis ab officio, plecti potest.

§ 2. Deficientibus advocatis, iudex Ordinarium loci roget ut aliam idoneam personam, si opus sit, designet ad pauperis patrocinium suscipiendum.

449. Inscriptio capitis et canones sub eo. — Valde connexum est cum praec. hoc *Caput II*. Nam in favorem pauperum, quos semper praedilexit Ecclesia sui Sponsi doctrinam et vestigia sequens, agendum erat *De gratuito*, idest: remissione honorariorum ex Capite praec. debitorum advocatis, *patrocinio* ab his ob praescriptum canonis praestando, quia necessarium est, et eadem de causa providetur *aut expensarum iudicialium* nempe causa iudicii persolvendarum *deminutione*, quae innuit ex se illam esse ex parte, sed quandoque ad omnes in toto extenditur. Particula disiunctiva *aut* posita est, quia « gratuitum patrocinium », ut patebit, secumfert iure remissionem totalem expensarum iudicialium, ac proinde contradistinguitur « expensarum iudicialium deminutioni ».

Ius ad unum vel alterum enascens ex paupertate concedit *can. 1911*, quomodo petenda sit alterutrius iuris recognitio atque exercitii concessio moderationem suscipiunt ex can. 1915, subsequente can. 1916, qui statuit modum auctoritative providendi de advocato causae pauperum.

450. Ius pauperum ad hanc rem quod attinet sic definit *can. 1914*. *Pauperes*, ratione deficientis sibi pecuniae in re atque in iure, a) *si in totum* seu plene *impares*, eo quod facultate sua oeconomica indigent ad necessariam sui et suorum honestam sustentationem, *expensis* omnibus *iudicialibus*, seu iudicii motivo etiam quoad advocatum *sustinendis*, *ius* subiectivum ex hoc canone et ob illud factum *habent ad gratuitum* seu absque retributione *patrocinium;* subintelligendo quod nullae aliae expensae ab ipsis pauperibus solvendae sint eo quod statim additur: b) *si ex parte tantum*, supple « impares sunt expensis », ut supra declaratum manet, eo quod gravem iacturam in sui et suorum sustentatione paterentur ex solutione, supple « ius habent » *ad expensarum* quarumlibet sustinendarum in causa agitanda *deminutionem*. Hoc ius alterutrum proinde urgere possunt in foro Ecclesiae iudiciali.

451. Postulatio ac relativa admissio exemptionis ab expensis sunt quas moderatur *can. 1915. Qui* canoni praec. innixus a) *exemptionem*, qua non teneatur solvere taxas, proinde *ab expensis* omnibus, *vel* b) *earum deminutionem* statuendam a iudice respectu elenchi constituti pro tribunali, *assequi* de facto *vult*, *eam* alterutram *a iudice*, qui eam causam propriae competentiae videre debet, *postulare* libello introductionis vel altero *debet* ex canonis praescripto in illum finem, sed a) *dato supplici* quoad eius intrinsecam formam *libello*, b) *allatisque* simul *documentis* idest: scriptis, *quibus* fides fiat, a) *quae conditio sit* socialis ac domestica *postulantis* supra dicti, *quaeve* b) *eius rei familiaris copia*, num ex quotidiano labore sibi et suis quaerat victum, ex mendicitate, aut parvos reditus etiam possideat, vel ex officio parum lucrativo, *demonstret* coram iudice; *praeterea probare debet* argumentando *se non futilem* ratione momenti causae *neque temerariam* ob defectum probabilium motivorum *causam* iudicialem *agere*, idest proponere tamquam actor.

Quoad servandum in hac re a iudice est lata § 2. *Iudex postulationem* etiam rite factam secundum §^m^ 1^m^ *nec admittat nec reiiciat*, prout alterutrum fieri debeat, *nisi*, a) *requisitis* tantum *si opus sit* ex prudenti motivo *notitiis etiam secretis* propter circumstantias hoc consulentes, *quibus* verum *statum rei familiaris ipsius postulantis*, ut supra, *compertum* sibi *habere possit* cum morali certitudine, b) *auditoque promotore iustitiae*, etiamsi causa ipsa interventum huius non exigat; *imo*, iudici facultas fit, seu *concessam* « exemptionem » iuxta postulationem *potest etiam revocare*, sed quia ex reg. iuris 21 in 6°: « Quod semel placuit, amplius displicere non potest », solummodo *si in decursu processus* in causa *assertam paupertatem*, qua motus fuit exemptionem dare ab expensis *non adesse* in facto *compertum* ex morali certitudine *habuerit*, et quamvis deceptio provenerit ex non requisitis ut supra notitiis.

452. De gerendo gratuito patrocinio sollicita S. Mater Ecclesia secundum traditionem suam praeceptis Salvatoris innixam condidit can. 45 § 2 in Lege propria S. Rom. Rotae [1]. En textus: « Advocati in causis coram sacra Rota et Signatura Apostolica tenentur insuper de mandato Decani sacrae Rotae aut Cardinalis Praefecti Signaturae Apostolicae gratuitum patrocinium aut gratuitam adsistentiam praebere iis, quibus sacra Rota aut Signatura Apostolica hoc beneficium concesserit ».

[1] 29 Iun. 1908. CO. I, 32.

Ampliavit hoc praescriptum ad omnia Ecclesiae tribunalia ordinaria *can. 1916. Ad gratuitum pauperum* ex admissione postulationis ad normam can. praec.s *patrocinium* gerendum *iudex* ordinarius *in singulis causis* huiusmodi *eligat aliquem*, et non semper eundem, esset enim contra aequitatem, *ex advocatis in suo foro* seu tribunali *approbatum* ad causas ecclesiasticas tractantas *qui* electus sic a) *ab hoc munere* gratis *explendo*, b) *nisi ex causa* aliunde petita et *iudici probata, sese subducere* iure *nequit, secus*, nempe: si causa non afferatur aut iudici non probetur, et renuat munus sic, ut dictum est, exercere, *a iudice congrua* renisui in casu *poena* ecclesiastica, forsitan mulcta, *etiam suspensionis ab officio* advocati ad tempus, quae censura non est, *plecti potest* iure.

§ 2 providet ceteris casibus, praeter illum in §° 1° consideratum. *Deficientibus advocatis*, de quibus supra, vel quia iudex delegatus sit, praesertim non ab Ordinario loci, vel quia deficiunt advocati in eodem foro approbati, *iudex*, etsi ordinarius, *Ordinarium loci* ad normam can. 198, § 2, *roget*, idest: verbis deprecativis *ut aliam* forsan non advocatum titulo, sed *idoneam* scopo *personam* in iure canonico pollentem his iuribus, *si opus sit* ex natura causae vel huius circumstantiis, *designet* quasi eam approbando *ad pauperis patrocinium* in casu ex officio *suscipiendum* pro scientia sua.

TITULUS XVII.

De exsecutione sententiae.

Can. 1917. - § 1. Sententia quae transiit in rem iudicatam, exsecutioni mandari potest.

§ 2. Iudex tamen potest sententiae, quae nondum transiit in rem iudicatum, provisoriam exsecutionem iubere:

1.° Si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis;

2.° Si alia gravis urgeat necessitas, ita tamen ut, concessa provisoria exsecutione, per cautiones, fideiiussiones aut pignora satis consultum sit indemnitati alterius partis casu quo exsecutio revocanda sit.

Can. 1918. - Non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis decretum habeatur, quo scilicet edicatur sententiam ipsam exsecutioni mandari debere; quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.

Can. 1919. - Si sententiae exsecutio praeviam rationum redditionem exigat, causa incidens habetur, ab illo ipso iudice, servatis de iure servandis, decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam.

Can. 1920. - § 1. Sententiam exsecutioni mandare debet per se vel per alium Ordinarius loci in quo sententia primi gradus lata est.

§ 2. Quod si hic renuat vel negligat, parte cuius interest instante vel etiam ex officio, exsecutio spectat ad iudicem appellationis.

§ 3. Inter religiosos executio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit.

CAN. 1921. - § 1. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet sententiam ipsam, secundum obvium verborum sensum, executioni mandare.

§ 2. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae; quod si habeat aliunde compertum sententiam esse manifeste iniustam, abstineat ab exsecutione, et partem ad eum qui exsecutionem commisit, remittat.

CAN. 1922. - § 1. Quod attinet ad reales actiones, adiudicata actori re aliqua, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.

§ 2. Quod vero attinet ad actiones personales, cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, quadrimestre conceditur pro implenda obligatione.

§ 3. Iudex potest terminum praescriptum vel reducere vel protrahere, ita tamen ut neque infra bimestre coarctetur, neque semestre excedat.

CAN. 1923. - § 1. In exsecutione peragenda exsecutor caveat ut quam minimum damnato noceatur eaque de causa incipiat exsecutionem a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salva honesta eiusdem sustentatione ad normam can. 122.

§ 2. Ad exsecutionem privationis beneficii iudex ne procedat contra clericum qui Sanctam Sedem adierit; sed si agatur de beneficio, cui adnexa sit animarum cura, Ordinarius provideat per designationem vicarii substituti.

CAN. 1924. - Exsecutor utatur prius monitis et praeceptis erga reluctantem; ad poenas autem spirituales et ad censuras ne deveniat, nisi ex necessitate et gradatim.



453. Inscriptio Tituli. — Postquam sunt perpensa quaecumque sententiae accidere possunt, ac normae datae fuerunt ad eius fir-

mam vim reddendam, restat in iudicii complementum, ut definitio controversiae a iudice data in praxim deducatur. Illa enim definitio non est mere rationabilis, sed ab auctoritate publica proficiscitur. Ne igitur maneat illusoria, opus est ut eadem auctoritas partem forsan renuentem cogat parere sententiae. Propterea *Titulus XVII* ac ultimus Partis huius inscribitur *De exsecutione sententiae*, idest: « de actu vel complexu actuum, qui cum auctoritatis publicae interventu poni debent ad deducendum in praxim ius particulare sententia dictum ».

454. Ordo canonum talis est. Primo decernit can. 1917 quando sit locus eidem, saltem provisorie, ac sequens can. 1918 conditionem praeviam statuit, propter quam incidens quaestio forsan exoritura consideratur a can. 1919. Quis Superior sit exsecutor in singulis causis et qualis ab eo modus servandus edicitur in can. 1920, 1921. Dilatio exsequutionis ex parte victi denegatur vel conceditur vi can. 1922. Denique servanda in diversis exsecutionibus a Superiore decernunt can. 1923, 1924.

455. Exsequutio simpliciter vel provisoria distinguuntur atque sunt moderatae *can. 1917*. Hinc duo paragraphi. § *1. Sententia* equidem definitiva vel huius vim habens, *quae transiit in rem iudicatam* quaelibet ad normam can. 1902, *exsecutioni mandari potest*, quantum est ex parte ipsius causae: nam alia sunt praevie requisita. De causis vero quae ad normam can. 1903 « numquam transeunt in rem iudicatam », provident sententiarum exsecutioni can. 1987, 1988 et 1989.

Primus paragraphus est planus in eius praescripto, quia propter stabilitatem sententiae, nullum inconveniens proveniet ex tali exsecutione. E contra dum sententia esset contradictioni atque correctioni subiecta, non semel exsecutio praematura causaret molestias in posterum partibus. Legislator ergo cautelas necessarias decrevit, quando § 2 exceptiones primi paragraphi edicit. *Iudex tamen*, seu per exceptionem *potest* iure *sententiae* a se latae, *quae nondum transiit*, cum transire possit, *in rem iudicatam*, *provisoriam exsecutionem*, quae de se non obstet remediis ordinariis contra sententiam et huius correctioni, atque exsequutionis revocationi consequenti, *iubere;* prout muneris sui est.

1° Si agatur in illa *de provisionibus* idest: decisionibus *seu praestationibus*, nempe: dandis rebus mobilibus, pecunia, etc. *ad necessariam* cum honestate *sustentationem* in victu, vestitu, et habitatione *ordinatis* ratione controversiae; seu ut dicitur in § 84 [1]

[1] Regulae servandae in iudiciis apud S. R. Rotae Tribunal., 4 Aug. 1910. CO. II, p. 811.

« praesertim cum agitur de remediis provisionalibus, de cautionibus aut de iudiciis possessoriis aliisque, quae alimenta aut mercedes respiciunt ».

2° *Si alia* quaecumque *gravis urgeat* ex parte victoris *necessitas*, saltem ad exsecutionis securitatem, b) *ita tamen ut, concessa provisoria* ad sententiae tenorem *executione* forsan completa, disiunctive c) *per cautiones* iuratas vel non iuratas, reales, etc., *fideiiussiones* tertiae fortassis personae, *aut pignora*, quorum valor notabilis sufficiens ad finem iudicetur atque a victore tradantur de facto, *satis consultum sit indemnitati alterius partis*, nempe: sententia victae, *casu quo executio* supra declarata *revocanda sit* propter sententiae reformationem.

456. Praevium iudicis decretum ante ipsam exsecutionem necessarium esse habemus ex *can. 1918*. Revera, quia sententia tribuit ius parti victrici, atque iuxta can. praec. si illa « transiit in rem iudicatam, exsequi potest », hinc oritur in parte dicta « actio (quae dicitur) rei iudicatae » ad obtinendam exsequutionem. Aliunde vero ad iudicem pertinet cognoscere ac definire an locus sit dictae actioni, et proinde attendatur oportet sequens praescriptum. *Non antea executioni locus esse poterit*, nec desiderio partis acquiescendum est, *quam executorium* ratione obiecti *iudicis*, qui sententiam dedit, *decretum* seu pronunciatio iudicialis rite facta *habeatur*, atque contentum specificum declaratur sic: *quo scilicet* decreto *edicatur* iubendo vel non pro diversitate iudicum eorumque relatione erga exsecutorem *sententiam ipsam* subintelligendo iam firmam *executioni mandari* per competentem ad normam can. 1920 Superiorem *debere*, quando nempe talem exsecutionem illa exigit, quod nequit esse de sententiis absolutoriis; *quod decretum* iudiciale *pro diversa causarum natura*, quia v. gr. simplex exsecutio a parte adimplenda speratur, vel quia commode ob brevitatem inseritur, a) *vel in ipso sententiae tenore includatur*, prout regulariter conspicitur in sententiarum S. Rom. Rotae calce apud Commentarium Officiale, *vel separatim edatur*, v. gr. quia de modo ipsius exsecutionis, vel rerum huic subiiciendarum ordinem, etc., plura edicenda sint.

457. Causa incidens respectu habito ad exsecutionem sententiae dari potest. Hoc considerat *can. 1919. Si sententiae executio*, seu practica eius traductio *praeviam rationum redditionem exigat*, v. gr. propter beneficium illegitime possessum a quo quis deiicitur, propter privationem officii cum administratione temporalium, *causa incidens habetur*, eo quod « ita ad causam (principalem) pertinet ut resolvi (in casu) debeat ante quaestionem prin-

cipalem » respectu ad eius solutionem in praxi deducendam, *ab illo ipso iudice* ob canonis praescriptum, *servatis de iure* quoad incidentes causas *servandis* uno alterove praescripto, sicut patebit ex praelectione can. 1837-1840, *decidenda*, utpote quod facilius ac penitius ille potest hoc perficere, *qui tulit sententiam* supra dictam, seu *executioni mandandam*.

458. De exsecutore sententiae hanc invenimus veterem disciplinam. Alex. III inquit Norvicen. Episcopo [1]: « Consultationi tuae taliter respondemus, quod si iudex ordinarius ad mandatum iudicis delegati a Nobis, aut non vult, aut non potest (aliis resistentibus) sententiam ab eo latam effectui mancipare; delegatus iudex causam auctoritate nostra sibi commissam, potest executioni mandare: et si qui sibi restiterint, eos sententia ecclesiastica coercere ».

Et in Decreto S. C. EE. et RR. super causis criminalibus [2] sic statutum fuerat: « III. Eo tempore elapso, quin reus vel eius defensor appellaverit, latam a se sententiam Episcopus exsequetur. Et infra: XIII. Prolata (a S. Congr.) sententia una cum omnibus Actis causae ad eamdem Curiam Episcopalem remittitur, ut eam exsequatur ».

Nunc vero talis est disciplina, quam undequaque determinatam tradit *can. 1920. § 1. Sententiam* quamlibet, tum iudicis ordinarii, v. gr. Officialis Episcopi, tum iudicis delegati a Sancta Sede vel ab Ordinario loci, aut tribunalis collegialis *executioni* post executorium iudicis decretum *mandare debet* vi huius canonis *per se vel per alium*, admissa in hoc reg. iuris 68 in 6°: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum », *Ordinarius loci* ad normam can. 198, § 2, sive fuerit iudex in causa, sive non fuerit, sed illius « loci » *in quo sententia primi gradus* quoad illam causam legitimi, seu prioris instantiae, etiamsi ex delegatione superiori vel Sanctae Sedis *lata est*. Hinc nulla exurgere potest difficultas hoc dignoscendi.

§ 2. *Quod si hic* singularis Ordinarius loci *renuat*, « quia non vult aut non potest (aliis resistentibus), *vel negligat* per dilationem irrationabilem « sententiam effectui mancipare, prout debet ex §° 1°, a) *parte* victrice seu *cuius interest* executio sententiae *instante* pro iure suo seu actione rei iudicatae, b) *vel etiam ex officio*, quamvis causa sit boni tantum privati, sed propter ius praefatum et ad legem urgendam, *executio spectat*, non iam ad Superiorem altioris gradus, v. gr. ad Metropolitam, *sed ad iudicem*

[1] Cap. 7 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X. — [2] 18 Dec. 1835. Collectanea S. C. EE. et RR. Bizzarri, pag. 163.

appellationis erga iudicem a quo sententia profluit, sive appellatio de facto evenerit antea, sive non, quoad principalem causam. Quo in casu, haec potestas exsequendi datur vi huius §[i] et qua voluntaria seu non iudicialis, potest exerceri « extra territorium exsistens, aut in subditum (huic praescripto) e territorio absentem » (can. 201, § 3).

Porro quia iudex appellationis in casu Ordinarium loci supplet, applicanda est illi clausula « per se vel per alium » executioni sententiam « mandare debet » eo magis quod, ut accidere posset, utendum esset opera subditi erga illum Ordinarium, et hoc videur fuisse vitandum, quando Codex non ad iudicem primi gradus, sed ad iudicem appellationis detulit eiusmodi potestatem, sequens veterem iuris dispositionem.

Ex contextu § *3* intelligenda est solummodo de religionibus clericalibus exemptis, sive Ordines sint, sive Congregationes votorum simplicium, harum namque tantum « Superiores et Capitula... habent iurisdictionem ecclesiasticam pro foro externo » (can. 501, § 1). Dicitur enim: *Inter religiosos*, quando nempe in Ordine vel Congregatione religiosa, ut supra, iudicia ecclesiastica fiunt, *executio sententiae* supra declarata *spectat ad Superiorem* equidem maiorem, *qui* a) *definitivam sententiam* in causa *tulit*, *aut* b) *iudicem* cuius sententia sit exsequenda, *delegavit*.

459. Potestas exsecutoris sententiae undequaque circumscribitur secundum ius antiquum, nonnihil correctum. En quaestio Innoc. III proposita [1]: « Quia vero saepe contingit, quod exsecutio sententiae ordinario demandatur: quaesivisti an si ipsam iniustam esse cognoverit, debeat eam exsecutioni mandare: an sit ei potius subsistendum? » Atque respondet S. Pontifex: « Attendentes itaque quod non cognitio, sed exsecutio tantum demandatur eidem: respondemus, quod cum ordinarius teneatur obsequi delegato, et si sciat sententiam illam iniustam, exsequi nihilominus tenetur eandem: nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat ».

Item, Alex. III ait [2]: « De caetero noveris, quod si sententiam a nobis latam praecipimus per aliquem exsecutioni mandari, et fraus intervenerit, non est facultas exsecutori de toto negotio cognoscendi: sed deferri quaestiones quae inciderint, ad Sedem Apostolicam oportebit.

Nunc disciplina sequens est. § *1. Exsecutor* vi can. praec. quilibet, *nisi quid eius arbitrio* quidem aequo *in ipso sententiae*

[1] Cap, 28 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X. — [2] Cap. 5 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X.

tenore, explicite vel implicite *fuerit permissum* pro praxi facere vel omittere, *debet* vi huius canonis *sententiam ipsam, secundum obvium verborum* ipsius *sensum, executioni mandare*, omnibus clausulis adamussim servatis.

Insuper tribuit eidem § 2. *Licet ei* « exsecutori » *videre* quoad cognitionem *de exceptionibus* a parte oppositis *circa* a) *modum et* b) *vim* practicam *exsecutionis*, quae cognitio ex consequenti habet practicam definitionem, *non autem* « videre » *de merito causae* per sententiam definito, quia ut dixit Innoc. III « non cognitio, sed exsecutio tantum demandatur eidem »; sed bene adnotetur sequens comma: *quod si habeat aliunde*, non ex cognitione seu examine sibi vetito, *compertum*, idest: si certo sciat *sententiam* exsequendam ab eo *esse manifeste iniustam*, unde contra propriam ageret conscientiam, tunc, prout iustum est, a) *abstineat ab exsecutione* vi huius praescripti, *et* b) *partem* cuius interest exsecutio *ad eum qui exsecutionem commisit*, nam si exsequens tulit sententiam, eam emendare potius quam exsequi debet, *remittat* per conveniens scriptum.

460. De tempore exsecutionis datur *can. 1922* ad cuius pleniorem intelligentiam oportet praemittere distinctionem inter « reales actiones » de quibus est unus paragraphus et « actiones personales » quas altera respicit. « Actionum duo genera sunt, ait Ulpianus [1]: in rem, quae dicitur vindicatio, in personam, quae dicitur condictio ». Etenim, ut inquit clarissimus Card. Lega [2]: « Actio civilis habens pro obiecto iura quae defendit in iudicio, suas species ab ipsis iuribus desumit. — Iura civilia quibus nempe privati cives fruuntur, sunt vel realia seu in rem, nempe attingentia certam determinatam rem; vel in personam quatenus unum civem alteri obligant ad aliquid faciendum, praestandum. — Unde ius reale seu in rem, est illud quo aliqua res nostra est, (vel quolibet modo subditur nostrae potestati); ius in personam (cui respondet obligatio, est [3]: « iuris vinculum quo alius nobis obstringitur ad aliquid dandum, faciendum, praestandum ». Non secus ait Iustinianus in Inst. (III, 13): « Obligatio est iuris vinculum quo necessitate adstringimur alicuius solvendae rei, secundum nostrae civitatis iura ».

Accedamus iam ad interpretationem. § *1. Quod attinet ad reales actiones*, sic dictas propter ius in rem persequutum vel vindicatum in iudicio, *adiudicata* per sententiam *actori* propter ius definitum in illa, *re aliqua*, quam hoc respicit, *haec* res determi-

[1] Lib. 25 ff. De oblig. et act. — [2] De Iudiciis vol. I pag. 210. — [3] L. 3 ff. de obligat. et act.

nata *actori tradenda est statim*, nam res clamat pro domino suo, atque iustitia expostulat « ut res sua unicuique constanter tribuatur », statim vero *ac res iudicata habetur*, prius enim tale ius in rem non est sine alea securum coram societate. Sic etiam scriptum est in cap. 6 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « Cum aliquibus est adiudicata possessio, non sufficit eis dari pignora, nisi corporali possessione laetentur ».

§ 2. *Quod vero attinet ad actiones personales* supra definitas, et quarum notio sequentibus patefit verbis: *cum reus damnatus est* sententia a) *ad rem mobilem praestandam* v. gr. ob depositum, quia immobilia iuri in rem subduntur solummodo, b) *vel ad solvendam pecuniam*, v. gr. emptionis causa, vel servitii recepti, c) *vel ad aliud dandum aut faciendum*, v. gr. ex lege vel contractu praevio, *quadrimestre* ad normam can. 34 § 3, 3° a momento rei iudicatae *conceditur* hoc canone *pro implenda* sponte *obligatione* per sententiam definita.

Hoc tempus fuit iure Decretalium constituto. Legitur enim in cap. 15 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X: « Sed nec executionem ipsius sententiae ideo convenit retardari, licet ad hoc agendum quadrimestri tempus regulariter sit statutum: quia id arctari potest nonnumquam a sedente in medio, aut etiam prorogari: et qui ab initio sponte recepit terminum breviorem, imputari sibi potest et debet: cum ex hoc videatur amplius beneficium contempsisse, unde talis non audietur appellans, nisi forte adversus eum modus executionis canonicus excedatur ».

Hanc ab Alex. III adductam rationem roborat § 3. *Iudex potest* iure proprio vi huius §[i] *terminum* § 2° *praescriptum* « pro implenda obligatione », nam « quod attinet ad actiones reales » locum non habet concessio sequens: a) *vel reducere* b) *vel prorogare*, cum hac nova limitatione, *ita tamen ut* a) *neque infra bimestre coarctetur*, b) *neque semestre excedat*, alterutrum computando, ut supra de quadrimestri declaratum fuit.

461. De facto exsecutionis iustitiae et aequitati providens *can. 1923* sequentes edicit normas cum opportunis limitibus. § *1. In executione* legitime *peragenda executor* de facto ad normam can. 1920 *caveat* idest: attente observet *ut quam minimum damnato* sententia ultra huius exactam ad normam can. 1921 exsecutionem *noceatur*, ac edocetur modus hoc ipsum adimplendi: *eaque de causa* a) *incipiat exsequutionem*, quando contineat rerum indeterminationem, *a distrahendis* adiudicatione, venditione, etc. *rebus quae minus ei* « damnato » *necessariae sunt*, attentis tempore proximiori, eiusdem officio, conditione sociali, etc. b) *salvis*

semper seu exceptis a distractione per exsecutionem *quae eius* a) *victui*, quia praevalet actuali restitutioni secundum iustitiam b) *vel industriae* exercendae, qua sibi et victori poterit ulterius satisfacere, *deserviunt; et si agatur de clerico*, videlicet: « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipatus est (can. 108, § 1), « nec reductus ad statum laicalem, nec punitus privatione perpetua » ad normam can. 123, b) *salva honesta eiusdem sustentatione* propter privilegium competentiae, sed *ad normam can. 122* ibidem declaratam. Quo « privilegio fruuntur religiosi, etiam laici ac novitii » vi can. 614.

Speciale praescriptum dat § 2. *Ad executionem* taxative *privationis* proprie dictae, ac proinde tanquam poenae, *beneficii* sub (can. 118), *qui Sanctam Sedem* ad normam can. 7 et interpositione per decretum executorium nondum latum, vel iam latum ad praxim deducendo per executorem, qui proinde illi decreto inniti nequit, *contra clericum*, hi enim « soli possunt beneficia obtinere » (can. 118, *qui Sanctam Sedem* ad normam can. 7 et interpositione saltem recursus ad eam contra illud decretum prosequendi de facto *adierit;* sic enim cautum fuerat in Eugeniana Const. « Divina in eminenti » [1], praeeunte Celestino III in cap. un. « de clericis peregrinantibus » (II, 29) X his verbis: « Licet presbyter idem res suas et ecclesiae suae, in protectione nostra non posuerit quando ad nos accessit: tamen cum hi qui accedunt ad praesentiam nostram, cum rebus eorum debeant esse sub Apostolica protectione securi: Mandamus, quatenus quidquid eidem presbytero post iter arreptum ad nos veniendi substractum est, vel ablatum, sibi restitui faciatis ». Clausula irritans Const.s Eugeniae hic omissa est, utpote parvae utilitatis.

Illam vero Extrav. communem Conc. Trid. derogavit in cap. 1 sess. XXIII de Ref., agens de residentia beneficiatorum. Ut ergo pro his beneficiis quae in bonum animarum ordinata sint mens Con. Trid. salva maneat, prosequitur canon: *sed si agatur de beneficio* ut supra, *cui adnexa sit animarum cura*, ut in parocciis, *Ordinarius*, ad quem exsequutio pertineret, et sub cuius iurisdictione situm sit beneficium illud *provideat* vi huius canonis quoad partem exsecutionis *per designationem* liberam *vicarii substituti*. Hic « locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant nisi Ordinarius loci... aliquid exceperit » (can. 474).

462. Exsecutoris potestas coactiva determinatur statim. Iam alias vidimus provisum ab Alex. III securitati exsecutionis in de-

[1] Cap. 3 « de privilegiis ». Lib. V inter Extrav. communes.

fectu Ordinarii iudicis per haec verba [1]: « delegatus iudex eam (sententiam ab eo latam) auctoritate nostra sibi commissam, potest exsecutioni mandare: et si qui sibi restiterint, eos sententia ecclesiastica coercere ». Cum ergo nunc exsecutio pertineat vi can. 1920 ad habentem potestatem coactivam vi canonis 2220, supponens idipsum *can. 1924* eidem praescribit usum illius potestatis. *Exsecutor* quilibet legitimus *utatur prius* a) *monitis* b) *et praeceptis* quae « sunt remedia poenalia », in quibus servare oportet praescripta respective can. 2309, 2310, *erga reluctantem* exsecutioni, ad hanc enim potestate coactiva opus est, sive sit pars adversa victori, sive alius qui « exsecutori restiterit »; notetur autem ex can. 2310 quod « praecepto quid agere quidve evitare (illo) praeventus debeat, accurate iudicetur, cum poenae comminatione in casu transgressionis ». Hinc prosequitur canon: *ad poenas autem* a) *spirituales*, « qua in Ecclesia delinquentes plectuuntur », velut poenae vindicativae « quibusdam bonis praecise spiritualibus privantes, inter recensitas sub can. 2291 et 2298, b) *et ad censuras*, « quae sunt: 1° Excomunicatio; 2° Interdictum; 3° Suspensio »; prouti hae in Cap. II, Tit. VIII Lib. V exponuntur, *ne decenial* exsecutor infligendo eas, *nisi* a) *ex necessitate*, quia secus impediretur efficaciter exsecutio, *et* b) *gradatim*, ita ut a minori ad maiorem aggravando poenam progrediatur, semper postremo loco utens excommunicatione. Sic manet salvum, qua dirigens regula Cap. 3 sess. XXV de Ref. in Conc. Trid.

[1] Cap. 7 « de officio et potestate iudicis delegati » (I, 29) X.

SECTIO II.

De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis

---

TITULUS XVIII.

De modis evitandi iudicium contentiosum.

CAPUT I.

De transactione.

Can. 1925. - § 1. Cum valde optandum sit ut lites inter fideles evitentur, iudex exhortationes adhibeat, ut cum aliqua contentiosa controversia quae privatum eorum bonum respiciat, ei proponitur iudicii forma dirimenda, per transactionem, si qua concordiae spes affulgeat, lis componatur.

§ 2. Huic officio iudex satisfacere poterit sive antequam partes in iudicium vocentur, sive cum primum iudicio steterint, sive denique quocumque tempore et efficacius et opportunius id tentari posse existimaverit.

§ 3. Convenit tamen dignitati iudicantis ne ipse per se, regulariter saltem, hoc negotium suscipiat tractandum, sed ut illud alicui sacerdoti, praesertim ex iudicibus synodalibus, committat.

Can. 1926. - In transactione serventur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri divino vel ecclesiastico adversentur et salvo praescripto canonum qui sequuntur.

Can. 1927. - § 1. Transactio fieri valide nequit sive in causa criminali, sive in contentiosa in qua agitur vel de matrimonio dissolvendo, vel de materia beneficiaria, cum de ipso beneficii titulo disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas, nec de rebus spiritualibus quotiescumque interveniat solutio rei temporalis.

§ 2. Sed si quaestio fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt, transactio fieri potest, servatis tamen, si materia id postulet, sollemnitatibus a iure statutis pro alienatione rerum ecclesiasticarum.

Can. 1928. - § 1. Effectus transactionis ad exitum feliciter perductae dicitur *compositio* seu *concordia*.

§ 2. Expensarum, quas transactio postulaverit, nisi aliud expresse cautum sit, utraque pars dimidium solvat.

463. Inscriptio Sectionis ac divisio in titulos. — Postquam in Sectione prima huius Partis tractantis de iudiciis, haec in genere moderata sunt per canones, qui omnibus illis processibus sunt

communes, restant considerandi canones, quos continet *Sectio II* consequenter inscripta *De peculiaribus normis*, quia non omnibus iudiciis aptantur, sed *in certis* quia bene designata, *quibusdam* eo quod ad trium numerum rediguntur *iudiciis*, quia talis forma procedendi est in talis processibus necessaria iure, *servandis*, pro validitate vel saltem liceitate actuum iudicialium.

Hae normae peculiares proveniunt ex iure veteri, tum Decretalium quoad iudicia criminalia, tum a Benedicto XIV inchoato complete ac posterius a Sancta Sede perpolito quoad causas matrimoniales, tum ad huius similitudinem condito circa causas adversus sacram ordinationem invalide vel vi ac metu receptam. Propterea tribus Titulis constat iste tractatus.

464. Inscriptio tituli XVIII. — Ipsis praemittitur *Titulus XVIII* inscriptus *De modis evitandi* a fidelibus *iudicium* cuius difficultates atque expensae in Sectione prima fuerunt enucleatae *contentiosum*, quia ut patebit intervenit in eisdem quaedam partialis iuris cessio, vel exposita manet, quod locum habere potest solum in his quae uniuscuiusque potestati relicta sunt, et obiectum constituunt praefatorum iudiciorum. Videretur locus proprius Tituli ante inceptionem iudiciorum, quae praevenit impediendo, et propterea in Decretalibus positi fuerunt ante Lib. II agentem de iudiciis, Tituli XXXVI. « De transactionibus » immediate post Titulum « De pactis », quia transactio pactum quoddam est, et XLIII seu ultimus Lib. I cum rubrica « De arbitris ».

Codex vero materiam harum rubricarum consideravit formaliter secundum ordinem eis insitum ad iudicium, atque ad ultriusque modi commendationem attribuit hunc locum post Sectionem primam, quae ostendit iudiciorum moras et molestias, et simul revera isti modi respicientes vitandum iudicium peculiares legislatoris normas exigunt.

465. Inscriptio Tituli ac duo illius capita. — *Titulus* igitur primus istius Sectionis seu *XVIII* totius Libri IV inscribitur: *De modis*, quia duo inveniuntur ab antiquo admissi *evitandi*, tanquam rem per se non appetendam, *iudicium* proprie dictum et « ecclesiasticum » (can. 1552), sed solummodo *contentiosum*, cuius nempe « obiectum sunt: Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta iuridica declaranda » (can. 1552, § 1, 1°), quae declaratio cum intelligatur auctoritativa non subest illis modis privatorum arbitrio relictis.

In duo Capita dispescitur Titulus iuxta rubricas distinctas in Decretalibus, ut supra.

466. Inscriptio Capitis I eiusque canones. — « Caput I » inscribitur « De transactionibus », quod verbum, « ut vox ipsa indicat, est actus transeundi ab actione, nimirum iudiciali, seu praetereundi et evitandi iudicium, negotium litigiosum componendo alia forma, praetermissa iudiciali » [1]. Et revera transactio vulgo accepta videtur innuere actionem, qua personae inter sententias oppositas, practicas, quas propugnant mediam viam calcant unanimiter.

Transactionis divisionem ex illius natura petitam respicit cap. 7 huius Tituli Decretalium: « Tale damus responsum » ait Alex. III, « quod transigi super re sacra et litigiosa non potest. Etenim res sacrae ut possideantur aliquo dato vel retento sive promisso: speciem credimus habere simoniae. Alias si gratis et amicabiliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare ». De his postremis « pluries S. C. Concilii censuit ipsum recessum a lite esse sufficiens motivum pro adprobanda transactione vel fere gratuita » [2].

Species facti proposita Summo Pont. Alex. III erat: « utrum de ecclesiastico beneficio in litigium deducto, possit fieri transactio ». Hoc in mentem revocat dictum Ulpiani in l. 1 ff. de Transact.: « Qui transigit, quasi de re dubia et lite incerta, neque finita transigit ». Quod ex dictis dupliciter fieri potest: « aliquo dato vel retento sive promisso » aut « gratis et amicabiliter ».

Aliam divisionem nobis exhibet idem Pontifex in cap. 8 aiens: « Mandamus, quatenus nisi praefati monachi, transactionem praescriptam auctoritate Apostolica confirmatam esse docuerint, cum alias inter personas facta potius quam inter ecclesias videatur: ne pacta inter alios acta aliis obesse patiamur ». De illis transactionibus « inter personas » etiam Superioritatem habentes peractis intelligendum est assertum Conc. Trid. [3]: « quae tantum suos obligent auctores, non etiam successores ».

Nec transactio respuit adiunctum iuramentum vel poenam in sui firmitatem, dummodo natura rei transactae non obstet. « Sic enim legitur in cap. 4 h. t.: « Constitutus in nostra praesentia G. clericus sua nos assertione monstravit quod cum... controversia emerserit, tandem per transactionem sopita fuit, et licet hinc inde, fide praestita, firmata fuisset, eam tamen praefatus A. servare recusat. Quia igitur huiusmodi transactiones (super capella de Stratis inter clericos G. et A.) speciem continent simoniae, Man-

[1] P. Noval, « De iudiciis » n. 719. — [2] Lega « De iudiciis » Lib. I n. 6 nota 1 in pag. 27. — [3] Cap. 4 sess. VI et cap. 6 sess. XXV de Ref.

damus quatenus revocata transactione in irritum, causam audiatis, etc. ».

Canones huius capitis suadent ac moderantur transactionis actum. Et can. 1925 iudici adloquitur, normae illius canonizantur civiles cum necessaria restrictione in can. 1926. Imo can. 1927 exponit materiam ineptam transactioni, cuius effectus exponit quoad vocabulum et solutionem can. 1928.

467. Iudicis ecclesiastici officium quoad hoc institutum iuris praescribit *can. 1925* incipiens axiomate non semel in Decretalibus invocato. § *1. Cum valde optandum sit ut*, deducendo in praxim perfecte Christi mandatum de charitate, *lites* propter iudicialem formam vocatae *inter fideles evitentur*, dicente Salvatore: « hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos » (Io. XV, 12), qui « dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis » (ad Eph. V, 2), fidelesque vult Apostolus admonere « non litigiosos esse » (ad Tit. III, 2), *iudex* quilibet in Ecclesia propterea *exhortationes* sine iniunctione *adhibeat*, ad quod tenetur *ut cum aliqua* a) *contentiosa* sic dicta quia non agitur de delictis in ordine ad poenam infligendam vel declarandam *controversia*, quae obiectum iudicii constitueret, et b) *quae privatum eorum* contendentium ad invicem *bonum respiciat*, non iam personarum moralium sibi concreditarum, quarum iura nequeunt privati praeterire, *ei proponitur* per libellum *iudicii forma dirimenda*, quod plane licet, nam iustitia charitati non est contraria, *per transactionem* sub inscriptione capitis expositam, *si qua concordiae* idest: decisionis utrique contendenti placitae *spes* prudenter *affulgeat*, secus non tenetur iudex pertentare, ut sic *lis componatur* definitive et pacatis animis.

Ita Hon. III iam decreverat in cap. 11 huius Tit. (I, 36), X aiens: « Poteris ad componendum interponere partes tuas, et interdum aliquid severitati detrahere, prout (statu imperii, et excedentium multitudine provida deliberatione pensatis) videris expedire: exceptis nimirum casibus, qui compositionis sive dispensationis remedium non admittunt, utpote coniugii sacramentum, quod cum non solum apud Latinos et Graecos, sed etiam apud fideles et infideles existat, a severitate canonica circa illud recedere non licebit ». Quas limitationes explanat plenius can. 1927.

De tempore id adimplendi tractat § 2. *Huic officio*, quod ergo urget iudicem absque ullius praevia instantia, *iudex satisfacere*, quando tenebitur iuxta § 1 declarationem, *poterit* disiunctive, a) *sive antequam partes* post libelli oblationem acceptati *in iudicium vocentur* legitima citatione, b) *sive cum primum* parentes citationi

iudicio steterint, sive denique quocumque tempore usque ad sententiam definitivam, cui parendum est, iuxta normam sequentem: *et efficacius* obtentui *et opportunius* quoad circumstantias, quae idipsum consulant *id* in § 1° praescriptum *tentari posse* exhortationibus existimaverit pro sua prudentia.

Hic paragraphus innititur cap. 1 « de mutuis petitionibus » (II, 4) X, ubi scriptum est: « Mandamus, quatenus actione plebani et clericorum proposita, et responsione facta: monitione praemissa, compellatis eosdem, memoratis abbati et fratribus, incontinenti coram vobis super suis quaestionibus respondere; et vicissim postmodum rationes partium audientes, concordia vel iudicio utriusque negotium terminetis ».

Additur § 3 valde considerandus. *Convenit tamen dignitati iudicantis*, cui competit auctoritative non consilio procedere atque ius dicere severitate illius attenta, *ne ipse per se, regulariter saltem*, quia per exceptionem poterit ex circumstantiis convenientius esse oppositum, *hoc negotium* transactionis *suscipiat tractandum*, quando partes exhortationes favorabiliter auscultent, *sed ut illud* statuendi concordiam *alicui sacerdoti*, cuius muneri consentaneum est, *praesertim ex iudicibus synodalibus*, qui ius noscentes queunt aequitati magis consulere, *committat* perficiendum.

468. Normae transactionis in Ecclesia. — Huius auctoritas pro sua independentia erga proprios subditos, simul et pro pace cum potestatibus civilibus servanda, ex qua oritur quoque pax conscientiae fidelium, decernere duxit praescriptum sequens. *Can. 1926. In transactione* propter dubium inter fideles ratione iuris subiectivi in Ecclesia erga alterum, vel aliquam rem potestati Ecclesiae subiectam, *serventur* vi huius canonis, a quo acceptantur *normae statutae* eodemque vigore, videlicet in conscientia vel sub sola poena subeunda, *a legibus civilibus* diversis pro tempore atque gubernii forma vigentibus *loci in quo transactio* de qua Codex *initur*, hinc locus regit actum transactionis, *nisi quaedam* illarum a) *iuri divino vel* b) *ecclesiastico* vigenti ex aliis ss. canonibus generalioribus aut de alia re, v. gr. de immunitate agentibus, *adversentur*, nam hae sunt leges iniustae per contrarietatem ad bonum humanum, ex auctore, cum videlicet potestas civilis legem fert ultra sibi commissam potestatem. Et huiusmodi magis sunt violentiae quam leges: quia, sicut Augustinus dicit in Lib. I de lib. Arb. (cap. 5 parum a princ.) lex esse non videtur, quae iusta non fuerit. Illae vero leges « sunt iniustae per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges inducentes ad quodcumque aliud quod sit contra legem divinam: et tales leges nullo

modo licet observare, quia, sicut dicitur Act. 4, « obedire oportet Deo magis quam hominibus » [1]. Canonis interpretatio roboratur ex postrema eius clausula specificas normas iuris ecclesiastici exprimente sic: *et* c) *salvo praescripto canonum qui* sub Titulo praesenti hunc *sequuntur*.

469. Invalidae transactiones sunt, quas recenset *can. 1927* iuri antiquo concors. Equidem sic incipit § *1. Transactio* iuxta inscriptionem *fieri valide nequit* etiam vi huius canonis, a) *sive in causa criminali*, quae nempe ad competentem iudicem saltem denunciatione deducta est « in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. 1552, § 2, 2°). Sic legitur in cap. 2 « de collusione detegenda » (V, 22) X: « Crimina semel audita. Gregorius indiscussa nullo modo praeteribat: etiamsi accusatus cum accusatore in gratiam rediisset ». Atque iuste, quia semper bonum delinquentis ac pluries Ecclesiae illam punitionem exposcit. Nec vacat utilitate propter clausulam irritantem, hanc meminisse causam ab transactione exclusam, ut vidimus interpretando can. 1925, § 1.

Prosequitur canon praesens: b) *sive in contentiosa* per oppositionem ad praecedentem *in qua* etsi « de privato fidelium bono » (can. 1925, § 1), simul *agitur* a) *vel de matrimonio dissolvendo*, prout supra retulimus qua exemplum cum Honorio III [2], qui responsum dederat I. titulo S. Praxedis presb. Card.[1]: « Poteris ad componendum interponere partes tuas; et interdum aliquid severitati detrahere, prout... videris expedire: exceptis nimirum casibus, qui compositionis sive dispensationis remedium non admittunt, utpote coniugii sacramentum », non vero si de aliis causis matrimonialibus agatur, ac prosequamur b) *vel de materia beneficiaria*, non qualitercumque, solummodo *cum de ipso beneficii titulo disceptatur*, nam firma est regula I in 6°: « Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri », « nec valide » ex can. 147, § 1. Propterea additur in can. praesenti: *nisi legitima accedat auctoritas*, ergo competens ac saltem approbans vel confirmans transactionem.

Denique c) *nec de rebus spiritualibus* valet transactio, sub quorum nomine veniunt quoque res spiritualibus adnexae, quia nullitatis conditio exprimitur: *quotiescumque intervenial solutio rei temporalis*, videlicet: ob « simoniam iuris divini » (can. 727, § 1), quam summopere reprobat S. Mater Ecclesia.

Exempla duo ex Decretalibus in tit. « de transactionibus » (I, 36) X sufficiant. In cap. 9 ait Lucius III Ormen. Epo.: « Prae-

[1] D. Th. I-II, quaest. XCVI, art. 4, corp. — [2] Cap. 11 « de transactionibus » (I, 36) X.

terea quando inter laicos, et viros religiosos de praesentatione alicuius ecclesiae quaestione suborta transigitur, ita quod praesentationem laicus obtineat: religiosi vero novam vel maiorem percipiant in ecclesia, in qua prius nullam vel minorem habere consueverant portionem: an huiusmodi transactio teneat quaesivisti. Cum igitur ipsa pactio simoniaca merito videatur, Respondemus quod de iure non tenet: nec ex ea religiosi ullum debent commodum obtinere ».

Caelestinus vero III in cap. 10 inquit: « Praeterea quarto loco quaestio talis accessit: quod quaedam cella eximi voluit a subiectione, qua matrici domui tenebatur: et infra. Fratres illius cellae se confitentes in iure illi domui quondam fuisse subiectos referebant quaestionem olim de hac subiectione fuisse motam, et transactione sopitam, eatenus ut quendam annuum censum ecclesiae matrici reddendo, essent a subiectione principalis domus exempti: et infra. Prior consequenter pro maiori ecclesia proponebat, quod de spirituali subiectione transigere non liceret. Respondemus igitur, quod ex praedicta fratrum confessione, contra eos sententia procedere debeat, praesertim cum illa transactio... iniquitatem simoniacam continuisse putetur ».

Demum interpretationem postremo §[i] 1[i] commati datam fuisse iam contentam in can. 729 constat, quia transactio huiusmodi est « contractus simoniacus, qui et subsequens (forsan) provisio omni vi caret ». Confirmationem vero tribuit § 2 statuens: *Sed si quaestio fiat*, ante vel post inceptum iudicium a) *de bonis temporalibus ecclesiasticis et* inter ipsa b) *de iis rebus quae, spiritualibus sunt adnexae*, « ex gr. calix consecratus », *seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt*, v. gr. illius valor intrinsecus consecratione non amissus, quando nempe « non habetur simonia, cum datur res temporalis pro illis » (can. 730) *transactio* prout sub inscriptione *fieri potest*, non solum valide sed etiam licite, additurque monitio quandoque urgens: *servatis tamen, si materia id postulet*, quia « requiruntur... etiam in quolibet contractu quo conditio Ecclesiae peior fieri possit » (can. 1533), *sollemnitatibus a iure statutis*, hoc est: « ad normam can. 1530-1532 », *pro alienatione rerum ecclesiasticarum* diversarum.

Ita Alex. III in cap. 2 h. t.: « Statuimus ut si super decimis inter vos et aliquam personam ecclesiasticam, de assensu episcopi, vel archiepiscopi sui, compositio facta fuerit, rata et inconcussa persistat ». E contrario idem S. Pont. Carnoten. episcopo respondit: « Si compositio non est iuri contraria, non est a loci episcopo reprobanda. Sed census absque episcopali auctoritate,

cui praeest ecclesiae sub hoc praetextu solutus, vitam eius qui solverit, non excedit ».

470. Effectus transactionis extraiudiciales, quia ceteri respectu iudiciorum data opportunitate sacris in canonibus diversis innuntur, enumerat sic *can. 1928* duobus sub paragraphis. § *1. Effectus* immediatus ac proprius *transactionis*, quae iuxta inscriptionem capitis actum sic contrahendi designat, non solum tentatae, sed *ad exitum* de facto *feliciter* propter eius utilitatem *perductae dicitur* in iure « secundum propriam verborum significationem » (can. 18) *compositio*, ut quid facti provenientis ex actu transigendi, *seu concordia*, quatenus hanc animorum prius dissidentium exprimit. Ita sentiendum, quamvis pluries in antiquo iure et apud Doctores promiscue illa tria verba accipiantur.

§ *2. Expensarum*, *quas* faciendas *transactio postulaverit* v. gr. ex aliqua periti vel advocati consultatione, *nisi aliud expresse* v. gr. inter partes *cautum sit*, *utraque pars* utilitatem vitandi saltem iudicii capiens *dimidium solvat* compensando fortassis alteram partem expensas antea sustinentem.

CAPUT II.

De compromisso in arbitros.

CAN. 1929. - Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt quoque inire conventionem, qua controversia committatur iudicio unius vel plurium qui ad normam iuris quaestionem dirimant, vel de bono et aequo negotium pertractent et transigant; illi *arbitri*, isti *arbitratores* proprio nomine appellantur.

CAN. 1930. - Praescripta can. 1926, 1927 etiam compromisso in arbitros applicentur.

CAN. 1931. - Prohibentur ab arbitri munere valide gerendo laici in causis ecclesiasticis, excommunicati et infames post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; religiosi vero munus arbitri ne suscipiant sine venia Superioris.

CAN. 1932. - Si nec in transactionem nec in compromissum in arbitros vel arbitratores partes consentire velint, controversia dirimenda erit per formale iudicium ad normam Sectionis Primae.

471. Inscriptio Capitis et huius canones. — *Caput II* continet praescripta tituli Decretalium cum rubrica « de arbitris » (I, 43) X et doctrinam a Doctoribus traditam de illa legislatione supponit atque adoptat. Inscribitur *De compromisso in arbitros* indigitans similitudinem ac differentiam a iudiciis et transactione, ita ut medium inter illa et hanc teneat. « Compromissum » provenit ex utriusque contendentis voluntate libera per quoddam pactum, sicut transactio, non sic iudicium, atque illa duo ex auctoritate privata procedunt, faventibus legibus, iudicia vero auctoritate publica geruntur atque praescriptis canonum illa omnino subiacent.

Inscriptio Tituli respiciens directe partes correlativa est Rubricae in Codice Iust. « de receptis arbitris ». « Porro receptum significabat pactum quo quis acceptabat compromissum decidendi in se factum » [1]. In Iure canonico, quod ius romanum de arbitris suscepit atque ulterius correxit ac perpolivit « arbiter dicebatur stricto sensu persona idonea, sive voluntate litigantium (arbiter compromissarius seu voluntarius) sive imperio legis (arbiter iuris seu necessarius) constituta, quae rem controversam ad instar iudicis seu iudicialiter definiat per sententiam sive laudum, cui compromittentes stare debebant, remota appellatione. Lato sensu dicebatur arbiter, sed proprio sensu arbitrator ille compromissarius voluntarius cui controversia committebatur definienda ad instar boni viri, id est probi et periti, et proinde ex aequo et bono, et extraiudicialiter, et per sententiam appellabilem quae vocabatur arbitramentum ».

Codex coarctat hoc canonicum institutum quatuor solis regulis. Can. 1929 notionem illarum personarum ac nomen ex iure praecedenti enuntiat, illud conservans institutum. Normas huius compromissi decernit can. 1930, dum personae aptae ad suscipiendum tale compromissum restringit can. 1931. Ultimus vero can. 1932 statuit servanda casu quo controversia alterutro ex praefatis contractis finem obtinere nequeat.

472. Arbitri et arbitratoris distinctio refertur in *can. 1929* sic decernente permissive. *Ad evitandas iudiciales contentiones*, nempe: ut in cap. praec. quasdam solummodo contentiosas controversias aptas iudiciali formae subiici, *partes* « fideles » (can. 1925, § 1) *possunt*, quia in novo iure exulant arbitri necessarii qui iam in desuetudinem prius transierunt, *quoque*, et hoc verbo confirmatur interpretatio verborum praecedentium data, *inire conventionem* invicem obligatoriam, *qua* ut obiectum *controversia* mutua *committatur iudicio* seu examini ac decisioni *unius vel plurium* pro illorum delectu atque ab illis designatorum, *qui* recipientes commissionem a) *ad normam iuris* idest: sequentes canonicas praescriptiones praesertim de merito controversiae *quaestionem* eis propositam *dirimant*, b) *vel de bono et aequo*, nempe: sequentes potius naturale rationis lumen et respicientes ad aequitatem prae ius strictum, *negotium*, quia extraiudicialiter omnino, *pertractent* cum partibus *et transigant*, quia decisio ut plurimum remissionem proprii iuris aliquam a partibus exposcet; *illi* sub a) *arbitri*, isti sub

[1] P. Noval. « De iudiciis », n. 729.

b) *arbitratores proprio nomine* antea usitato in foro *appellantur* in posterum etiam in Codice.

473. Normae huius compromissi a S. Sede pro diversitate locorum sic determinantur. Animadvertens Codex, quod « iure hodierno, ut Pertile testificatur (Storia del Diritto Ital. vol. VI. Procedura, §. 216), apud civiles nationes compromissum in arbitros maximo habetur in honore et plus minusve urgetur », condidit *Can. 1930. Praescripta can. 1926* sic redigendi ad rem nostram quod attinet: « In arbitris vel arbitratoribus eorumque laudo vel arbitramento elaborando serventur normae statutae legibus civilibus loci in quo tale compromissum in arbitros initur, nisi iuri divino vel ecclesiastico adversentur et salvo praescripto canonum *1927* et 1931 ». Normae illae ex singularum nationum iure petendae sunt et a respectivis legistis accipiendae interpretationes, sensus canonis 1926 supra explicatus recolendus et in praxim aptandus arbitris, cum limitationibus specialiter positis can. 1931 post praesentem canonem declarandus.

Canon sic completur: « Praescripta » supradicta quia de transactione sunt ampliantur sic: *etiam compromisso in arbitros applicentur.*

Haec applicatio « can. 1927 » sic facienda est: § 1. « Compromissum in arbitros fieri valide nequit sive a) in causa criminali, sive in contentiosa in qua agitur vel b) de matrimonio dissolvendo », (congruenter iuri Decretalium, ubi ait: Greg. IX: [1] « In matrimoniali quoque liberali vel criminali causa cum maiores iudices exigant, arbiter nequit assumi »). « vel c) de materia beneficiaria, cum de ipso beneficii titulo disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas », propter rationem ibi adductam. « nec d) de rebus spiritualibus quotiescumque intervenial solutio rei temporalis ». Sic enim scriptum est in cap. 19 « de rerum permutatione » (III, 19) X a Gregorio IX conditum: « Quocirca mandamus, quatenus si vobis constiterit de praemissis (cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur) praedictum arbitrium, et quidquid secutum est ex eo, vel ob id, irritum decernatis ».

« § 2. Sed si quaestio fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae, etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt, compromissum in arbitros fieri potest, servatis tamen, si materia id postulet, sollemnitatibus a iure requisitis pro alienatione rerum ecclesiasticarum ». Huius

[1] Cap. 9 « de in integrum restitutione « (I, 41) X.

paragraphi ac praecedentis interpretatio in can. 1927 commentario dato supra requiratur.

De postremo praescripto non deest antiqui iuris testimonium. Etenim Innoc. III in cap. 21 « de praebendis et dignitatibus » (III, 5) X ita decidit: « Quoad ergo post concertationem diutinam ordinatum est circa unum de duobus electis, ut ipse habeat prioratum, hoc ex iurisdictione delegata, secundum iustitiam videtur esse statutum. Quod autem ordinatum est circa reliquum, ut ipse viginti libras de redditibus capituli, et quadraginta de proventibus Prioratus percipiat annuatim: hoc secundum providentiam intelligitur esse praeceptum ex arbitraria potestate; cum in delegatos fuerit compromissum, qui auctoritatem sibi retinendo commissam, se pro bono pacis, et utilitatis hoc ordinasse fatentur.

Quia igitur haec ordinatio ab omnibus est recepta, possuntque licite Prior et Capitulum de proventibus suis propter causas praedictas, non quidem ex pactione partium, sed ex iussione iudicum provisionem huiusmodi exhibere: Nos eam hoc adhibito moderamine (ibi sequenti) toleramus ».

474. Inhabilitates ad arbitri munus sunt prohibitiones, quas recenset partim ex iure praecedenti *can. 1931. Prohibentur*, proinde obligantur in conscientia abstinere, *ab arbitri* secundum propriam ex can. 1929 significationem » (can. 18) *munere*, quod « officium ecclesiasticum lato sensu est » (can. 145, § 1) *valide gerendo*, ac propter hoc « inhabilitans haec lex habenda est » (can. 11), a) *laici*, sive viri, sive foeminae, quarum aliquae excipiebantur in cap. 4 « de arbitris » (I, 43) X, quia iuxta consuetudinem approbatam quae pro lege servatur in partibus Gallicanis, foeminae praecellentes in subditos suos ordinariam iurisdictionem habere noscuntur », congruente praescripto canonis cap.[1] 8 eiusdem Tituli: « Ad haec generaliter prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet ut laicus in talibus arbitretur », sed canon subdit *in causis ecclesiasticis*, quae verba in mentem revocant caput 3 « de iudiciis » (I, 1) X edicens: « Causa vero iurispatronatus ita coniuncta est et connexa spiritualibus causis, quod non nisi ecclesiastico iudicio valeat diffiniri ». Unde generaliter intelligantur ecclesiasticae causae ad normam capitis 2 eiusdem Tituli sic exordientis: « Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non praesumant ».

Idem « prohibentur » ut supra b) *excommunicati* sive a iure sive ab homine *et* c) *infames* equidem « iuris », quia pro utrisque additur conditio *post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam*, clausula declarata in Commentario Textus ad can. 2258, § 1,

et hoc vetitum comprehenditur quoad excommunicatos can. 2263 statuente: « removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos », ad infames vero quod attinet can. 2294 § 1 aiente: « Qui infamia iuris laborat,... insuper est inhabilis... (sub conditione supradicta) ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos ».

Clausula finalis in canone posita, quam ex contextu non afficit clausula irritans est: *religiosi vero*, idest: « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°) *munus arbitri* supra declarati *ne suscipiant*, ut compromissum inscriptionis requirit pro eiusdem vi, *sine venia Superioris*, quae obtinenda esset praevie atque a Superiore locali sufficeret, nisi Constitutiones alterum designent adeundum pro hac re, ut sequitur ex can. 489.

475. Deficiente contendentium consensu, quo modo sit controversia finienda coram Ecclesia ostendit *can. 1932* dicens. *Si* a) *nec in transactionem* prout in cap. I et cum effectu b) *nec in compromissum in arbitros vel arbitratores* ad normam canonum capitis II *partes* ratione controversiae *consentire velint*, quando nempe possunt, vel in casibus ab illa vel hoc exceptis; quia sensus conditionis est: « si transactio aut compromissum » supradictum in praxim non prodeant, *controversia* ob defectum alterius viae *dirimenda erit*, prout requirit pax fidelium saltem illorum *per formale* idest: servatis iuridicis regulis *iudicium* equidem contentiosum, quia de isto solum in hoc Titulo est tractatum, *ad normam Sectionis Primae* sub hoc Libro quarto, quia haec inscribitur « De iudiciis », et ibi regulae praefatae plene traduntur, sicut visum est.

TITULUS XIX.

De iudicio criminali.

CAN. 1933. - § 1. Delicta quae cadunt sub criminali iudicio sunt delicta publica.

§ 2. Excipiuntur delicta plectenda sanctionibus poenalibus de quibus in can. 2168-2194.

§ 3. In delictis mixti fori Ordinarii regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit.

§ 4. Poenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium.

476. Inscriptio Tituli ac relativus inscriptioni canon. — Inter iudicia, quae peculiares sibi normas expostulant ex illorum natura, eminet iudicium criminale, primo quia per illud applicantur et urgentur canones maximi momenti, qui sub Libro quinto, ut plu-

rimum rediguntur. Momentum eorum patet, si animadvertatur per ipsos Ecclesiam efficaciter providisse fini sactificationis animarum, eliminando pro eius auctoritate ac prudentia omnia quae tali bono singulorum fidelium atque ipsius societatis Ecclesiasticae magis adversantur. Alia ratio primi loci attributi criminali iudicio potest assignari, eo quod in praxi ad plures diversi status fideles extendi oportet, quam subsequentia iudicia, quae coarctantur fidelibus peculiarem in Ecclesia statum amplectentibus.

Titulus igitur praesens XIX sic inscribitur: *De* ecclesiastico quidem *iudicio*, quo « nomine intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio » (can. 1552, § 1), sed adiungere opus est, « quarum obiectum sunt delicta in ordine ad poenam infligendam vel declarandam » (can. id. § 2, 2°).

Ex definitione plura eruuntur: 1° obiectum iudicii criminalis duplex assignatum, videlicet: « delicta » secundum Codicem post disceptationem definienda quoad existentiam cum tali specie ac circumstantiis et cuidam fideli certe imputanda, et relativa ex canone « poena infligenda » a iudice, vel si latae fuerit sententiae ac proinde ipso delicti facto incursa, declaratio auctoritatis publicae quod fuerit reapse incursa a praefato delinquente. II° subiectum duplex quoque deprehenditur necessarium praeter tribunal competens, quod appellari potest activum, et cui correspondent ad similitudinem iudicii contentiosi duae partes contendentes, agens nempe urgendo applicationem legis poenalis atque praesumptus ex sufficientibus rationibus, qui se defendit, a reitate seu imputatione delicti sibi obiecti. III° demum de his pertractandum est legitime, seu iuxta normas sacrorum canonum, quas nunc expendere percurrendo singulas oportet.

Alias doctrinas praetermittimus, vel quia decursu interpretationis inserere speramus, vel quia ad tractatum de iure ecclesiastico publico potius amandandae sunt, vel quia historicam eruditionem tribuentes [1] non parum ab interpretatione necessaria iuxta intentum nostrum, deviarent.

477. Canon generalis praemittendus fuit ad hoc, ut obiectum iudicii criminalis delimitetur undequaque. Hoc praestat *can. 1933. § 1. Delicta quae cadunt* sola *sub criminali iudicio* huius Tituli peculiari *sunt* a) *delicta* « iure ecclesiastico », quia de hoc foro pertractat directe Codex, et quo « nomine intelligitur (quaelibet) externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio

[1] Videri possunt succinctae apud P. Noval: « De iudiciis », nn. 743-748.

canonica saltem indeterminata » (can. 2195, § 1), sed additur in canone, ut sint *publica*, quae nempe « iam divulgata sunt aut talibus contingunt seu versantur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, 1°). Hos canones alibi sub Libro V in Commentario Textus explicatos, benevole lector, invenies.

Sed non omnia « delicta publica », nam § 2. *Excipiuntur* a criminalis iudicii obiecto *delicta* proprie ut supra, et forsan publica, verumtamen *plectenda sanctionibus poenalibus*, et hac de causa delicta sunt, *de quibus* delictis agitur *in can. 2168-2194.* Videlicet: quoad clericos non residentes, quoad clericos concubinarios, circa parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem, et quando liceat procedere ad suspensionem ex informata conscientia infligendam, sequendo normas Tituli XXXIII huius Libri.

Rememorans legislator se dixisse in can. 1553, § 2 adesse causas « in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt », ut patet propter plura delicta, quae simul laedunt societatem civilem atque crimina in legibus illis vocantur, et « in causis (eisdem) est locus praeventioni »; § 3 conditus est sequentis tenoris. *In delictis mixti fori* declaratis *Ordinarii* ad normam can. 198, § 1, nec officiales Episcoporum quia eamdem iurisdictionem exercent in foro iudiciali, *ne procedant* in isto praecipue, sed generaliter intelligatur de quolibet processu in ordine ad delictorum punitionem *cum* a) *reus laicus est*, idest: prout distinguitur a « clerico et religioso » (can. 107), *et* b) *civilis magistratus*, idest. ad quem reorum punitio auctoritative imponenda spectet pro diversitate legislationum, *in reum animadvertens* pro iure suo, *publico bono satis consulit.*

Propter finem quaerendum iudicio criminali, qui est inflictio vel observantia poenarum, illud excludit, limitando necessitatem § *4. Poenitentia*, quarum praecipuae recensentur in can. 2313, § 1, b) *remedium poenale* quodlibet ex quatuor enumeratis sub can. 2306, c) *excommunicatio*, d) *suspensio*, sive censura sit, sive poena vindicativa, e) *interdictum* pariter, quod censurae aut poenae vindicativae rationem habeat, sub conditione: *dummodo delictum certum sit* in se, vel, si agatur de poena in delictum patratum ex probationibus extraiudicialibus, *infligi possunt*, ita ut de facto incurrantur statim a delinquente, *etiam per modum praecepti*, tum cui adiungatur censura vel poena incurrenda statim ac transgressio eius fiat, tum cui comitetur ipsa inferenda statim postquam de transgressione praedicta constiterit, tum inungentis aliquam ex praedictis poenitentiis, remediis poenalibus, vel poenis vindi-

cativis, *extra iudicium*, seu hac forma non servata cauto quod poenae vindicativae suprapositae erunt infligendae ad normam can. 2222, § 1, quando « lex nullam sanctionem appositam habeat, (tunc) etiam sine praevia poenae comminatione, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat ».

478. Divisio Tituli in capita. — In Libro V Decretalium adest titulus I, cuius rubrica est: « De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus ». Ex iure Romanorum excepit antiquitus Ecclesia systema accusationis delictorum per singulos fideles exercendae, sed talis modus incipiendi iudicium criminali iure saltem consuetudinario obsolevit, et a Codicibus civilibus hodiernis illa fuit expuncta. Accusatio vero est semper initium talis iudicii, fidelibus tamen diligentibus iustitiam et Ecclesiae bonum est permissa vel aliquando praescripta denunciatio delictorum, quae viam patefacit vel dictae accusationi a persona huic muneri addicta perficiendae, vel inquisitioni peragendae, ut materia iudicii criminalis ac necessariae probationes deprehendantur. Propterea Titulus distribuitur sic: *Caput I* agit de his quae ad iudicium criminale proxime vel remote ordinantur, nempe: *De accusatoria actione et denunciatione.* Huic vero succedit ut plurimum quod pertractat *Caput II*, *De inquisitione.* Secundum ea quae inquisitione detecta sunt circa delictum ac delinquentem datur locus remedio poenali determinato, quod pertentandum est antequam iudicium criminale inchoetur, et *Caput III* edocet propterea *De correptione delinquentis.* Hoc subsequitur *Caput IV* referens normas speciales *De instructione processus criminalis et de rei constitutione.*

CAPUT I.

De accusatoria actione et denunciatione.

Can. 1934. - Actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur.

Can. 1935. - § 1. Quilibet tamen fidelium semper potest delictum alterius denuntiare ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum, vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem.

§ 2. Imo obligatio denuntiationis urget quotiescumque ad id quis adigitur sive lege vel peculiari legitimo praecepto, sive ex ipsa naturali lege ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum.

Can. 1936. - Denuntiatio scriptis a denuntiante subsignatis vel oretenus fieri debet loci Ordinario, vel cancellario Curiae vel vicariis foraneis vel parochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda.

Can. 1937. - Qui delictum denuntiat debet promotori iustitiae

adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem.

CAN. 1938. - § 1. In causa iniurarium aut diffamationis, ut actio criminalis instituatur, requiritur praevia denuntiatio aut querela partis laesae.

§ 2. Sed si agatur de iniuria aut diffamatione gravi, clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto, illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis, institui potest etiam ex officio.

479. Inscriptio Capitis eiusque canones. — Duo pertractat *Caput I*, quatenus connexionem desumunt ex ordine, quem dicunt ad criminale iudicium, et sunt sic expressa: *De accusatoria actione*, quae est « ius persequendi delinquentem apud tribunal Ecclesiae, ut poena debita mulctetur vel ab eo iam incursa urgeatur », *et denunciatione*, quae in genere ad praesentem materiam quod attinet, est « manifestatio alieni delicti Superiori ecclesiastico facta ».

Alia est evangelica seu caritativa, quia in correctionem peccantis vel delinquentis solam per se ordinatur absque intentione poenae ipsius. Evangelica vero appellatur, quia ex verbis Domini Iesu apud S. Matthaeum (cap. XVIII, vv. 15 et 17) est inducta: « Si autem peccaverit in te frater tuus vade et corripe eum inter te et ipsum solum... si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos,... quod si non audierit eos, dic Ecclesiae ».

Denunciationi qua caritativae contradistinguitur denunciatio iudicialis, sive fiat ad consequendam reparationem proprii damni per delinquentem illati, sive ut delinquens puniatur in bonum Ecclesiae. Denunciationi autem uti evangelicae opponitur per distinctionem denunciatio canonica, eo dicta quod iure isto permittitur vel potius imponitur facienda ad delinquentis correctionem per censuras, aliasque poenas inferiores tentandam, vel etiam ad illum per vindicativas poenas coercendum in bonum aliorum fidelium, vel ut societatis eorum incolumitati praecaveatur.

Canonica quoque est eodem originis sensu, qua panditur Superioribus ecclesiasticis, non praecise delictum, sed impedimentum quo alter fidelis detinetur a determinato matrimonio contrahendo vel a suscipiendo sacro ordine, vel ipsius ad hanc promotionem indignitas.

Canonum ordo sub hoc Capite talis est. Can. 1934 statuit subiectum actionis criminalis exercendae. Idem quoad denunciationem definit can. 1935, cui subsunt duo alii can. 1936 et 1937 de ipsius modo atque adiunctis tractantes, atque can. 1938 loquitur de actione criminali in causa iniuriarum et diffamationis.

480. Ad quem pertineat iudicialiter accusare, praescribit *can. 1934. Actio* idest: « ius persequendi delinquentem apud iu-

dicem ecclesiasticum », *seu accusatio*, veluti certi delicti imputatione inurens alterum, *criminalis* ratione homonimi iudicii, quod promovet, *uni* seu soli *promotori iustitiae*, tum inter fideles, tum praesertim erga Ecclesiam servandae, et cuius qualitates in can. 1589 praescribuntur, *ceteris omnibus* Ecclesiae membris *exclusis*, derogato antiquo iure canonico scripto, *reservatur* vi huius canonis.

481. De iudiciali denunciatione taxative agit *Can. 1935*. Et primo eamdem permissam ostendit § *1*. Ob relationem ad can. praec. adversativa coniunctione incipit: *Quilibet tamen fidelium*, nempe subditus sicut et Praelatus, vir aut foemina Ecclesiae incorporatus Sacramento fidei, *semper potest* transacto quoque tempore *delictum alterius*, materiam ergo per se iudicii criminalis, non iam proprium *denuntiare* idest: Superiori competenti ecclesiastico patefacere, salva charitativa correctione, quando haec obliget, a) *ad satisfactionem* pro iniuria recepta *petendam*, ut iudiciaria potestate interveniente obtineatur, *vel* b) eodem modo *damnum*, quod sustinuit, *sibi* petenti *resarciendum* ab eo qui sic deliquit, *vel* c) *etiam studio* idest amore efficaci *iustitiae* vindicativae praecise *ad alicuius scandali* ex illo delicto derivati *vel mali* apud fideles causati *reparationem* debitam iuxta Ecclesiae finem salutis animarum, quamvis hoc postremum sub c) « proprie pertinet ad accusationem ». Poenae autem praesentis vitae non per se expetuntur, quia non est hic ultimum retributionis tempus; sed inquantum sunt medicinales, conferentes vel ad emendationem personae peccantis, vel ad bonum reipublicae cuius quies procuratur per punitionem peccantium ». Ita S. Thomas in II^{a}-II^{ae}, quaest. LXVIII art. 1 c.

Id confirmatur ex pluribus Decretalium textibus. Et primo Innoc. III sic ait [1]: « Sed cum Dominus dicat in Evangelio: Si peccaverit in te frater tuus... etc. Et rex Angliae sit paratus sufficienter ostendere, (talem correctionem adimpletam fuisse), et tandem quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiae, quomodo nos qui sumus ad regimen universalis Ecclesiae, superna dispositione vocati, mandatum divinum possumus non exaudire, ut non procedamus secundum formam ipsius? Non enim intendimus iudicare de feudo: ... sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus... Cum enim non humanae constitutioni, sed divinae potius innitamur quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo,

[1] Cap. 13 « de iudiciis » (II, 1) X.

nullus qui sit sanae mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum: et si correctionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere ». Quod animadvertatur uti iure admissum, quod in capitibus III et IV huius Tituli enucleatur. Atque S. Pontifex infra inquit non praetermittendum. « Licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocemus a vitio ad virtutem, (ab errore ad veritatem), praecipue cum contra pacem peccatur, quae est vinculum charitatis ».

Alex. III ait Salernitano Episcopo [1]: « De cetero laicos in accusationem vel testimonium contra clericum, in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, censura sacrorum canonum manifestius edocet: Nisi forte suam vel suorum iniuriam prosequantur. Nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti », quae nunc sublata fuit per iudicialis denunciationis concessionem generaliter permissam propter iniuriam vel damnum receptum.

Quoad studium vero iustitiae sufficiat Deodatus Papa sic dicens [2]: « Si Dominus et Magister omnium, qui sine peccato fuit, accusandi licentiam uni dedit ». Et ait Glossa: « [uni] scilicet Iudaeo sceleratissimo, cum dixit: Si enim male locutus sum, etc. » Atque concludit Papa: « Non igitur catholicus est respuendus, sed ut veritatem asserat ad propalandam simoniacam rabiem, magnis est precibus exorandus ».

§ 2 ultra praedictam permissionem se porrigit sic praescribens. *Imo obligatio denunciationis* forsan iudicialis eo quod deserviet ad instruendum criminale iudicium urget cum gravi conscientiae obligatione *quotiescumque ad id* expresse *quis adigitur*, ut comprehensus a) *sive lege* ecclesiastica, v. gr. can. 904 « poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel Sacrae Congregationi S. Officii », *vel* b) *peculiari*, ratione personarum quibus determinatis datur, *legitimo* propter auctoritatem et modum ferentis illud, *praecepto*, *sive* c) *ex ipsa naturali lege*, quae talem denunciationem requirit necessariam *ob fidei* ab haereticis seminantibus errores *vel religionis* ab illis, qui superstitiones diffundunt vel res sacras profanant, *periculum* praecavendum aut auferendum efficaciter, *vel aliud imminens* adversus Ecclesiam, vel civilem societatem *publicum* in effectu *malum*. Quandonam ipsa naturalis

[1] Cap. 14 « de testibus et attestationibus » (II, 20) X. — [2] Cap. 3 « De simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur » (V, 3) X.

lex quoad hoc urgeat, quas personas et quo modo in praxim sit deducenda pertinet ad theologos moralistas edocere.

482. Quo modo et ad quos facienda sit iudicialis denunciatio praescribit *Can. 1936* respiciens praeprimis illam « ad quam quis adigitur lege », sive positiva sive naturali. *Denunciatio* praesertim iudicialis, quando sit obligatoria praecepto secundum istud, quando vero ex lege, a) *scriptis* eam sufficienter referentibus *a denunciante* manu propria *subsignatis* per nomen et cognomen propria, b) *vel oretenus*, disiunctive, nisi ad hunc modum cogatur nesciens vel non potens subsignare saltem scripta, *fieri debet* ex huius canonis praescripto, vigente in hoc et sequenti iuris reg. 70 in 6°: « In alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri ».

« Fieri ergo debet » a) *loci Ordinario* ad normam can 198, § 2, b) *vel cancellario Curiae* dioecesanae de quo tractat Codex in Lib. II, Tit. VIII, Cap. IV, art. II, c) *vel vicariis foraneis* de quibus ibidem agitur in Cap. VIII, d) *vel parochis*, illisve qui « parochorum nomine in iure veniunt » ad normam can. 451, § 2, cum sequenti animadversione: *a quibus* singulis tamen, solum *si viva voce facta fuerit* denunciatio, quia si in scriptis sufficit transmittere illam « loci Ordinario vel cancellario Curiae », tunc enim his potius reputatur facta, a) *scriptis* ab illis, qui sub litteris b c) d) continentur *est consignanda*, quae proinde fideliter denunciationem verbalem exprimant, *et* b) *statim ad Ordinarium* supple: « loci », ut supra *deferenda* personaliter vel per publicum servitium, aut fidelem personam.

Huc pertinet inserendum monitum S. Congreg. S. Officii adhuc vigens die 15 Maii 1901 datum [1]. « Uti pluries a Summis Pontificibus sancitum est, in rebus ad S. Officium spectantibus nullo modo ad Superiores Regulares pertinere subditorum suorum causas agnoscere, nulloque proinde titulo aut praetextu posse eos vel debere, nisi de expresso S. Congregationis mandato, de his inquirere, denunciationes recipere, testes interrogare, reos excutere, iudicium instituere, sententiam ferre, aut alia quavis ratione vel modo in eis sese immiscere vel manus apponere: sed quos Religiosi viri ex suis subditis vel confratribus vel etiam superioribus huiusmodi criminum (praesertim quod ad abusum sacramentalis Confessionis spectat) reos vel suspectos noverint, stricte teneri, absque ulla cum aliis quibuscumque communicatione, nulla petita venia, nullaque facta fraterna correptione aut moni-

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 2112.

tione praemissa, eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denuntiare. Ne vero sanctissimae hae leges ex ignorantia, vel malitia (quod Deus avertat) negligi aut infringi contingat, Superioribus grave onus incumbere eas, quo opportuniori putaverint modo, ad subditorum suorum certam et distinctam identidem referre notitiam, eorumque ab eis pleram observantiam urgere ».

Fundamentum vero modi alterni canone expressi accipiendum est ex initio cap. 16 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V, 1) X. Sic enim ait Innoc. III: « Super his de quibus nos consulere voluistis, inquisitioni vestrae breviter respondemus, quod tribus modis valet crimen opponi, denunciando, excipiendo et accusando. Quando crimen in modum denunciationis opponitur, non est inscriptio necessaria; sed cum in modum accusationis oportet inscribi: quoniam ad depositionem instituitur accusatio; sed ad correctionem est denunciatio facienda ». Ita iuxta antiquum ius.

483. Denunciantis praefati obligatio est quam praescribit *can. 1937. Qui delictum* alterius, ut supra, *denunciat* iudicialiter, vel « ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum vel etiam studio iustitiae », (can. 1935, § 1), tum quando « quilibet fidelium potest » (§ 1), tum quando « obligatio denunciationis urget » (§ 2), *debet* canonis praecepto promotori iustitiae, eo quod illa denunciatio in iudicium ab isto promovendum respicit, *adiumenta*, quae firmant denunciationem *suppeditare* idest: eidem patefacere *ad eiusdem delicti* denunciati proprie talis *probationem* in iudicio perficiendo necessariam.

484. Praevia conditio cuiusdam iudicii criminalis nobis proponitur statim. *Can. 1938. In causa* sic proprie dicta propter deductionem ad forum iudiciale, *iniuriarum* verbis aut factis contra ius quodlibet, praesertim ad honorem, quas subiit persona physica vel moralis, *aut diffamationis* seu contra ius ad bonum nomen, per calumniam vel solam detractionem, quando propter delictum, quod erit puniendum inchoari debebit, non vero quando actio contentiosa exercetur, seu iuxta canonem *ut actio criminalis*, quae ad punitionem vel declarationem poenae incursae, *instituatur*, exercente ius persequendi delicta promotore iustitiae, *requiratur praevia* a) iudicialis *denunciatio* saltem studio iustitiae, *aut querela partis laesae* Ordinario porrecta ad reparationem, quin actionem contentiosam promoveat.

Additur exceptio illius generalis normae. § 2. *Sed si agatur* a) *de iniuria aut diffamatione*, ut supra, b) *gravi* iuridice, propter sanctionem canonis, quam mereatur, c) *clerico* « propter primam

saltem tonsuram » (can. 108, § 1), *vel religioso*, propter « vota nuncupata in aliqua religione » (can. 488, 7°), *praesertim in dignitate* propter iurisdictionem in foro externo, vel Abbatiali aut Episcopali, *constituto*, *illata*, hoc primum propter personam laesam, *aut* ex distincto legis commate quoad utramque personam « de iniuria aut infamatione gravi » iam declarata, *quam clericus* quilibet *vel religiosus* forsan choro vel sacro ministerio non addictus, *alii pariter* clerico vel religioso, etsi dignitate non ornato, *intulerit* revera, *actio criminalis* ut declarata est, *instituti potest* « ab uno promotore iustitiae » (can. 1934) *etiam ex officio* proprio, subintellige non denunciante, nec querelante parte laesa, imo etiam ipsa dimittente iniuriantem vel obsistente quaesitae punitioni. Ratio, quia tales punitiones facile exposcuntur a bono communi Ecclesiae qua profluente ex optima existimatione possessa per eius ministros atque per statum religiosum profitentes.

CAPUT II.

De inquisitione.

Can. 1939. - § 1. Si delictum nec notorium sit nec omnino certum, sed innotuerit sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta, sive alia quavis ratione, antequam quis citetur ad respondendum de delicto, inquisitio specialis est praemittenda ut constet an et quo fundamento innitatur imputatio.

§ 2. Huic regulae locus est sive agatur de irroganda poena vindicativa vel censura, sive de ferenda sententia declaratoria poenae vel censurae in quam quis inciderit.

Can. 1940. - Haec inquisitio quamvis ab ipso loci Ordinario peragi possit, ex generali tamen regula committenda est alicui ex iudicibus synodalibus, nisi eidem Ordinario ex peculiari ratione alii committenda videatur.

Can. 1941. - § 1. Inquisitor delegetur non ad universitatem causarum, sed toties quoties et ad unam causam.

§ 2. Inquisitor tenetur iisdem obligationibus quibus iudices ordinarii, ac praesertim praestare debet iusiurandum de secreto servando deque officio fideliter implendo et abstinere ab accipiendis muneribus ad normam can. 1621-1624.

§ 3. Inquisitor nequit in eadem causa iudicem agere.

Can. 1942. - § 1. Prudenti Ordinarii iudicio committitur statuere quandonam ea, quae praesto sunt argumenta, sufficiant ad inquisitionem instituendam.

§ 2. Nihili faciendae sunt denuntiationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, vel anonymae iis adiunctis iisque aliis elementis carentes, quae accusationem forte probabilem reddant.

Can. 1943. - Inquisitio secreta semper esse debet et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur.

Can. 1944. - § 1. Ad finem suum assequendum potest inquisitor aliquos, quos de re edoctos censeat, ad se accire et interrogare sub iureiurando veritatis dicendae et secreti servandi.

§ 2. In eorum examine servet inquisitor, quantum fieri potest et natura inquisitionis patitur, regulas statutas in can. 1770-1781.

CAN. 1945. - Inquisitor, antequam inquisitionem claudat, potest promotoris iustitiae consilium exquirere quoties in aliquam difficultatem inciderit, et cum eo acta communicare.

CAN. 1946. - § 1. Expleta inquisitione, inquisitor, addito suffragio suo, omnia referat ad Ordinarium.

§ 2. Ordinarius vel de eius speciali mandato officialis suo decreto iubeat ut:

1° Si appareat denuntiationem solido fundamento esse destitutam, id declaretur in actis et acta ipsa in secreto Curiae archivo reponantur;

2° Si indicia criminis habeantur, sed nondum sufficientia ad accusatoriam actionem instituendam, acta in eodem archivo serventur et invigiletur interim moribus imputati, qui pro prudenti Ordinarii iudicio erit opportune super re audiendus, et, si casus ferat, monendus ad normam can. 2307;

3° Si denique certa vel saltem probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sint, citetur reus ad comparendum et procedatur ad ulteriora ad normam canonum qui sequuntur.

Caput II De inquisitione
- quandoque necessaria — Can. 1939
- peragenda
  - a quo legitime — » 1940
  - servatis quibusdam — » 1941
- propter sufficientes rationes — » 1942
- ducenda
  - quo modo — » 1943
  - quacum potestate — » 1944
  - exquisito consilio — » 1945
- expleta sequelae — » 1946

485. Inscriptio Capitis. — Deinde considerandum est *Caput II* inscriptum *De inquisitione* verbum innuens actionem quaerendi sibi absconsum in aliqua re, persona vel negotio, et in genere significat « investigationem rei nondum cognitae ». Pro diversitate igitur rei diversa erit inquisitio, et proinde in Codice fit mentio de inquisitione facienda a parocho circa impedimenta, quae forsan extent adversus matrimonium celebrandum, inquisitione circa mores populi ab Episcopo in visitatione dioecesis, inquisitio circa disciplinam tum in dicta occasione, tum a Superioribus religiosorum in visitatione domorum canonica, inquisitio fidei a Congr. S. Officii circa errores contra ipsam et circa abusum in administratione Sacramenti Poenitentiae. Sed inscriptionis materia est inquisitio circa delicta proprie in iure ecclesiastico appellata.

Haec postrema inquisitio adhuc dividitur ratione finis, quem persequitur. Etenim vel intendit delinquentes solummodo emendare per impositionem poenarum, quae extra iudicium ad modum praecepti infliguntur et erit inquisitio potius paterna, vel delinquentem quaerit iudicialiter puniendum et erit inquisitio iudicialis, et haec est obiectum huius Capitis.

Pro hac ultima distinctione modus procedendi ac vis probationum diversa requiritur. In paterna enim inquisitione, quamvis normae in materia respectiva vigentes servandae sint ad legitimitatem eius, et nonnunquam sint probationes contra reum, ipsi patefaciendae ut se defendere possit, nomina testium celantur, atque vis probationum collectarum sufficit, quae virum prudentem circa delictum eiusve auctorem certum moraliter reddant, et aliquando sufficiet pro minoribus poenis magnam probabilitatem. E contra in iudiciali inquisitione procedendum est ad normam sacrorum canonum de ipsa, probationes debent quaeri tales, quae in iudicium deductae sustineri ac rem evincere certo queant, subiiciendae sunt cum nominibus testium ipsi delinquenti, ut eas perpendat, et pessumdet, quatenus ei possibile sit.

Denique in unaquaque inquisitione adest: actio, impedimentum, error, etc. et persona illo affecta vel delicti aut culpae, etc. subiectum.

Inquisitio ergo dirigi potest v. gr. in visitatione canonica, ut veritas cognoscatur, num aliqui abusus, vel delicta existant et a quibus patrentur, vel ut, postquam de delicto aut abusu constet, v. gr. de scandalo, quod libello infamatorio causatum est, et quaeritur quis sit huius auctor, vel denique inquisitio versatur circa personam aliunde designatam qua delicti determinati auctorem, utrum res vere ita sit. Haec ultima est inquisitio undequaque particularis, quam respicit praesens Caput. Agit ergo: De inquisitione circa delicta iudicialia et erga certam personam uti delicti determinati reum denunciatam saltem fama, vel simili medio.

486. Capitis canones hoc disponuntur ordine. Quandonam sit locus inquisitioni praedictae edicit, can. 1939, cui duo sequentes can. 1940, 1941 subduntur de subiecto activo inquisitionis. Valor argumentorum ad illam peragendam perpendendus est ad normam can. 1942, et quo modo gerenda sit, statuunt can. 1943, 1944, 1945. Inquisitionis peractae dantur sequelae iuridicae, quas enumerat et moderatur can. 1946.

487. Inquisitionis necessitas proclamatur in *can. 1939* cuius initium etsi notorium delictum non distinguat, apponens conditionalem particulam non respicit notorium notorietate iuris, quia

sumus ante processus criminalis inchoationem et eius obiectum evidenter praecedit « sententiam iudicis competentis » et confessionem delinquentis in iudicio factam. Propterea sic interpretamur praescriptum § *1. Si delictum* proprie dictum a) *nec notorium sit*, « notorietate facti », eo quod nec « publice notum sit nec in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit » (can. 2197, 3°), b) *nec omnino certum* morali quidem certitudine probationibus relativis ad procedendi modum fulcita, hoc primum, unde e contrario arguitur quo si disiunctive vel delictum sit notorium notorietate facti, vel alias omnino certum, non viget sequens in hoc canone praescriptum de inquisitione, sed ad ulteriora procedi potest puniendo legitime.

In cap. un. « ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur » (III, 12) X Innoc. III ait: « praesertim cum ratio assignanda debeat esse posteris profutura. Et infra. Et ideo nos, qui non tam ex plenitudine potestatis, quam ex officii debito possumus et debemus, de subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem, te maxime causam et occasionem praestante, inquisitionem commisimus faciendam ».

Hac fretus ratione legislator potuit sic prosequi canonem: *sed* « delictum » *innotuerit* id est: ad notitiam Ordinarii pervenerit aliqualiter a) *sive ex rumore*, quando plures relative ad locum vel communitatem loquuntur de quodam delicto imputato certae personae, *et* simul (propter canonis contextum) *publica fama*, quam cognoscere possumus ex sequentibus Decretalium textibus, b) *sive ex denunciatione* forsan studio iustitiae vel quando obligatio urget facta ad normam can. 1935, c) *sive ex querela damni* ibidem § 1 concessa, d) *sive ex inquisitione generali* quoad culpas, excessus et delicta in genere, vel haec deprehensa quoad auctorem adhuc indeterminatum, *ab Ordinario*, tum loci iuxta can. 198, § 2, in ordinaria dioecesis visitatione, vel alias quoad determinatum cetum, tum « a Superiore maiore in religione clericali exempta » (can. 198, § 1) quoad domos sibi subiectas *facta*, iuxta illud, quod legitur in cap. 26 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V, 1) X: « inquiratis, quae circa personas et observantias regulares videritis inquirenda: corrigentes et reformantes tam in capite quam in membris, quae correctionis et reformationis officio noveritis indigere iuris », e) *sive alia quavis ratione*, quae excogitari possit, occasionem ad hoc praebente Bonif. VIII, qui in cap. 1 huius tituli (V, 1) in 6° ait: « Postquam coram eo, qui contra te super certis criminibus in-

quisitor fuerat deputatus, eadem crimina fuisti confessus, frustra confessionem tuam (quominus puniaris ex ea, prout iustitia suadebit) eo praetextu impugnare contendis, quod super eisdem criminibus non fueras antea diffamatus. Vel quod per eumdem Inquisitorem capitula, super quibus contra te volebat inquirere, tibi tradita non fuerunt ». In singulis praefatis casibus, a) *antequam quis citetur* iuxta inferius dicenda can. 1946, § 2, 3°, vel procedendo extraiudicialiter, *ad respondendum de delicto* sibi imputato, *inquisitio specialis* declarata sub inscriptione capitis, « ut omni studio atque prudentia veritas detegatur, et cognitio tum criminis, tum culpae, aut innocentiae (imputati) erumpat » [1], b) *est praemittenda* respectu citationis, *ut constet* iudicialiter vel extraiudicialiter quoad probationes ipsas sufficientes c) *an* firma consistat *et quo fundamento* diverso iuxta intentionem Superioris quoad poenas inferendas *innitatur imputatio* delicti determinati certae personae, prout innotuit antea.

Ad elucidationem motivi supradicti « ex rumore et publica fama » convenit prae oculis habere quosdam Decretalium textus sequentes. In cap. 21 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V. 1) X Innoc. III ait: « Ad haec respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamorosa insinuatio non praecesserit, propter dicta huiusmodi puniendum: quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere: cum inquisitio debeat fieri solummodo super illis, de quibus clamores aliqui praecesserunt ». Et idem Pontifex manifestat maiori claritate idipsum in cap. 24 eiusdem tituli dicens: « Ex quibus auctoritatibus (ibidem praeinsertis) manifeste probatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum Praelatus excedit, si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis, nec semel tantum, sed saepe, quod clamor innuit et diffamatio manifestat, debet coram Ecclesiae senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis ».

§ 2 edicit. *Huic regulae* videlicet sub paragrapho 1ª declaratae *locus est* a) *sive agatur de irroganda* tum in iudicio, tum extra iudicium quando « infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium » (can. 1933, § 4), *poena vindicativa vel censura*, quia « nulla (huiusmodi) poena infligi potest, nisi certo constet delictum commissum fuisse » (can. 2233, § 1), et in § 4 ci-

[1] Instr. S. C. EE. et RR. 11 Iun. 1880, n. XI.

tato scriptum est: « dummodo delictum certum sit », b) *sive* supple: « agatur » *de ferenda sententia* proprie dicta pro « iudicis pronunciatione » (can. 1868, § 1), nam « requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam » (can. 1869, § 1), et in casu paragraphi 2ae canonis praesentis *declaratoria poenae* supple « vindicativae » *vel censurae in quam quis inciderit.* Igitur praescriptum §i 1ae non urget, si declaratio huiusmodi detur extra iudicium, vel sit infligenda poenitentia aut remedium poenale.

488. A quo facienda sit. — Quamvis can. 1939 loquatur de inquisitione generaliter, ac propterea deficiente altero Codicis loco tractante de eadem necessaria ad procedendum extraiudicialiter cum prudentia, interpretati sumus paragraphum primum et consequenter secundum generaliter; attamen, si non solummodo, ille canon intelligendus est praesertim de inquisitione iudiciali ad normam inscriptionis huius Capitis et confirmatur ex sequentibus praescriptis, quae desumpta sunt ex diversis S. Sedis instructionibus, prout ex fontibus colligitur, et quae iudiciales inquisitiones respiciunt.

Can. enim *1940* sic incipit. *Haec inquisitio* de qua praescripsit canon praecedens, a) *quamvis ab ipso loci Ordinario* quolibet ad normam can. 198, § 2, *peragi possit*, atque adnotetur verba non comprehendere Superiores maiores in religione clericali exempta, quia ea quae sequuntur eisdem aptari nequeunt, nam praescribitur iubendo *ex generali* tamen aliter faciendi *regula*, quae suas habebit exceptiones, *committenda est*, veluti delegato ad hoc, *alicui* pro arbitrio eligentis Ordinarii *ex iudicibus synodalibus*, de quibus ex professo tractat can. 1574 iam declaratus, *nisi* per exceptionem *eidem Ordinario* « loci », ut supra, *ex peculiari ratione* diversa ob circumstantias *alii committenda* prudens *videatur.*

Sic etiam legitur iussum in sollicitationis inquisitione [1]: « Dictum est (in n. 5) *vel per se vel per sacerdotem a se* (Ordinario) *specialiter delegatum;* nihil enim prohibet quominus, rationabili ex causa, pio alicui docto ac prudenti sacerdoti id muneris (inquisitionis specialis iudicialiter interrogando) Ordinarius demandare valeat; speciali tamen ei in singulis casibus delegatione impertita, eique antea delato iureiurando de munere fideliter obeundo et de secreto S. Officii servando ».

489. Inquisitoris iudicialis obligationes complectitur *can. 1941.* Statuit § *1. Inquisitor* de quo praec. canon, sive « ex iudi-

[1] Instr. S. C. S. Officii. 6 Aug. 1897, n. 6. Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 1977.

cibus synodalibus », sive alius exceptionaliter, sive a Superiore maiori religionis clericalis exemptae, *dictegetur*, quia iurisdictionem respectu fori iudicialis exercet, a) *non ad universitatem causarum*, idest: habens hoc officium adimplendum in occurrentibus casibus, b) *sed toties quoties* hi eveniant, *et* insuper unusquisque « inquisitor » *ad unam causam* recipiat delegationem.

§ 2. *Inquisitor*, ut in § 1ª declaratus est, *tenetur iisdem obligationibus*, quae eidem conveniant, *quibus* expositis in Cap. 1° Tituli III « tenentur » *iudices ordinarii*, sic dicti propter huiusmodi stabile officium iure constitutum, *ac praesertim*, quia sunt aliae loco citato contentae, a) *praestare debet iusiurandum* duplex, nempe: « semper » *de secreto servando* hinc urgens, cum « in iudicio criminali (sit) tribunalis adiutor praevius, ac tenetur ad secretum officii » (can. 1623, § 1), *deque officio fideliter implendo* « coram Ordinario, vel coram viro ecclesiastico (ab eodem) delegato, idque antequam inquisitio agatur » (can. 1621, § 1), « praemissa divini Nominis invocatione, et tacto quidem pectore » (can. 1622, § 1), *et* b) *abstinere ab accipiendis muneribus ad normam can. 1621-1624*, ubi haec praescripta specialia declarata fuerunt.

Attenta vero regula 34 iuris in 6°: « Generi per speciem derogatur », atque dicente can. 1555, § 1: « etiam inferiora tribunalia, in causis quae ad S. Officii tribunal spectantes, normas ab eodem traditas sequantur oportet », en tenor n. 8 in cit. Instr. S. Officii: « Quoties autem iuramentum de secreto servando et, pro diversis casibus, de veritate dicenda vel de munere fideliter obeundo deferendum sit, iuramentum ipsum semper et ab omnibus etiam Sacerdotibus, *tactis Ss. Dei Evangeliis et non aliter*, praestandum erit. In Ordinarii vero potestate erit, siquidem pro rerum, locorum aut personarum adiunctis necessarium vel expediens iudicaverit, excommunicationem ipso facto incurrendam et Romano Pontifici speciali modo reservatam violatoribus comminari ».

§ 3 concordans n. 102 §° 1ª [1] inter Regulas servandas apud S. Rom. Rotae tribunal praescribit: *Inquisitor*, ut in §§is praec.s delegatus, quilibet iudicialis *nequit in eadem* criminali *causa*, quam sic instruxit, *iudicem* etiam cum aliis *agere*. Praescriptum non urget, ut videtur, Ordinarios, si ab ipsis inquisitio peragatur, prout possunt vi can. 1940.

490. Initium inquisitionis legitimum ostendit *can. 1942* concinens iuri praecedenti. Et ante omnia hic valde utiliter memo-

[1] 4 Aug. 1910. CO. II, 816.

rantur quidam numeri, quibus incipit Instr. cit. S. Officii: « 1. Instructionis S. Rom. et Univers. Inquisit. circa observantiam Apostolicae Constitutionis *Sacramentum Poenitentiae* [2], num. 10 praecipitur ut, antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debeat, quod mulieres vel viri denunciantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducti fuerint.

2. Praeceptum huiusmodi, uti omnia quae ad huius Supremi Tribunalis procedendi rationem spectant, strictissimi iuris censendum est, ita ut, eo neglecto, ad ulteriora procedi nequeat.

3. Nec sufficit ut id utcumque, sed omnino necesse est ut certa iudiciali forma iudici innotescat; quod propria dictione: « *diligentias circa denunciatum eiusque denunciantes peragere* » significari in foro S. Officii usus obtinuit.

4. Jamvero... Supremum Hoc Tribunal... hanc ad rem, Instructionem (eam) pro R.morum Ordinarium norma, edendam mandavit ».

Canonis praesentis § *1* se refert ad praescriptum canonis 1939. *Prudenti Ordinarii* interpretandi ad normam can. 198, § 1, seu comprehenso Superiore maiore in religione clericali exempta, *iudicio committitur* hoc canone *statuere quandonam* singulis in casibus *ea, quae praesto sunt argumenta*, quae provenerunt ex diversa origine, qua « delictum innotuerit » (can. 1939, § 1), *sufficiant ad inquisitionem* praesertim iudicialem *instituendam* cum probabili nempe spe obtinendi certiorationem de illo patrato per certam personam. Tunc enim solummodo tenetur in conscientia Ordinarius sequi normam canonis citati.

Circa originem cognitionis per denunciationem admonet § 2 concorditer iuri Decretalium et retinens aequitatis regulam. *Nihili faciendae sunt*, ac si non fuerint receptae *denunciationes* utcumque exaratae *quae* a) *ab inimico* denunciati *manifesto*, *aut* b) *ab homine*, viro vel muliere *vili* propter mores *et indigno* propter delictum vel poenam canonicam, *proveniunt*, *vel* « denunciationes » *anonymae*, quarum auctor in ipsis non exprimatur, a) *iis adiunctis* facto denunciandi b) *iisque aliis elementis*, quoad locum et tempus patrati delicti, circa personam delinquentis ut certa sit, « adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem » (can. 1937), etc. *carentes*, *quae* solam *accusationem* « uni promotori iustitiae reservatam » (can. 1934) *forte probabilem* eventu *reddant*, quidquid accidere possit de iudicii criminalis exitu.

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide n. 1282.

Vitia denunciationis supra positae enucleatae invenire licet in cap. 19-21 « de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus » (V, 1) X.

491 Modus gerendi inquisitionem profluit ex huius natura, quia ordinatur ad certitudinem de delicto quoad auctorem dubio capessendam. Hinc generaliter intelligere convenit praescriptum sequens, quamvis praecipue iuxta inscriptionem accipiatur de inquisitione iudiciali. *Can. 1943. Inquisitio* quaecumque « specialis » (can. 1939, § 1) a) *secreta*, tum quoad eam ipsam et quoad personam inquisitam *semper*, seu sine ulla exceptione, *esse debet*, confirmante canone quod sequitur ex illius natura, atque sicut dicit Innoc. III in Conc. Generali loquens de inquisitione adversus Praelatos: « diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsae, sed etiam malignae criminationi ianua praecludatur », *et* b) *cautissime*, propter adhibendam solertiam ultra ordinariam ab inquirente *ducenda*, ob duplicem finem, *ne rumor* idest: collocutio *delicti* inter plures *diffundatur* causa inquisitionis, quod pax fidelium vetat, *neve*, quod iustitia exigit, *bonum cuisquam nomen*, seu existimatio inter prudentes et probos, quamvis solum possessa *in discrimen*, seu periculum deturbationis *vocetur* ex inquisitione.

Huiusmodi praxis exemplum ostendit Epistola peculiaris S. Congr. EE. et RR. « Incerti loci » sub die 4 Dec. 1579 [1]. « Non si deve far fondamento nè dar credenza a lettere senza sottoscrizione, tuttavia quando si può pigliare informazione secreta, e senza scandalo delle cose esposte col mezzo delle persone prudenti, e di zelo Nostro Signore sente, che se ne faccia qualche diligenza, e particolarmente sopra inclusa lettera scritta contro Monsignor di N., che si manda a V. S., che ha le qualità che bisognano, e è vicina a fine, che Ella ora che à intesa la mente di Sua Santità vegga d' informarsi destramente delle cose, che si narrano in detta lettera, ed acciò il tutto passi con ogni segretezza V. S. si pigli la comodità del tempo, che vuole per aspettar l'occasioni, che alle volte sogliono presentarsi di pigliar simili informazioni ».

492 Inquisitoris potestas ratione commissionis receptae est haec quam refert can. 1944, et quam Ordinarius habere quoque constat ex reg. iuris 79 in 6°: « Nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur ». § *1. Ad finem suum* complendae inquisitionis per delicti probationes obtinendas in ordine ad criminale iudicium, *assequendum* efficaciter *potest* vi

[1] Collectanea S. C. EE. et RR. Bizzarri, pag. 227.

huius canonis *inquisitor* secundum receptum munus, et quae potestas limitari a delegante non debet, *aliquos*, plures vel pauciores, retenta reg. iuris 40 in 6°: « Pluralis locutio duorum numero est contenta », necessariorum in casu, ut « in ore duorum vel trium testium stet omne verbum » (Matth. XVIII, 16), *quos de re edoctos censeat* probabili fundamento, et cum cautela in praec. can. praescripta, a) *ad se* per invitationem, aut etiam obligando prudenter *accire et* b) *interrogare* auctoritative « de re » *sub iure-iurando*, quod ab inquisitore imponetur a) *veritatis* ad quaesita *dicendae et* b) *secreti* de inquisitione, delicto sic forsan cognito quoad circumstantias, persona inquisita, interrogationibus factis, et relativis responsis, *servandi*.

Nec tale praescriptum est novum vel iuri Decretalium adversum, ut patet ex cap. 5 « Ut lite non contestata... etc. » (II, 6) X, ubi scriptum est: « Quoniam frequenter in dubium revocatur a multis, an lite non contestata testes recipi valeant: auctoritate praesentium duximus declarandum, regulariter verum esse, quod lite non contestata, non est ad receptionem testium procedendum ». Et post recensionem exceptionum in causis aut negotiis contentiosis, addit: « Sunt et alii casus similiter speciales, in quibus absque litis contestatione, legitime possunt testes produci, ut quando excessuum inquisitio, vel testium publicatio imminet facienda ». Id ipsum confirmatur in posterioribus Documentis Summi Pont. Bened. XIV et Instructionibus SS. Congregationum in fontibus citatis.

§ 2. *In eorum* « testium » *examine* perficiendo iuxta §m 1am, *servet* ex canonis praescripto *inquisitor*, quod Ordinario peragenti inquisitionem aliunde impositum est, a) *quantum fieri potest* propter observantiam can. 1943, et b) *natura inquisitionis patitur*, quae ordinatur ipsa inconscia ad delegendum an delictum a persona determinata sit patratum, vel « inquisitionis » *regulas statutas* « de testium examine » *in can. 1770-1781*. Hinc quae ibidem statuuntur S. Officii habentis instructiones servandas, v. gr. de loco examinis, de confrontandis testibus inter se vel cum delinquente, de promotore iustitiae qui intersit, sunt omittenda; e contra urgent, quae de modo interrogandi, de interventu actuarii, (excepta inquisitione delicti ad S. Officium pertinentis), de modo testificandi, de scribendis depositionibus atque de ipsarum subscriptionibus, poterunt ac debebunt in praxim servari.

493. Assessor eidem conceditur, dum *Can. 1945* praescribit. *Inquisitor*, de quo in praecedentibus, *antequam inquisitionem* a se peractam *claudat* subscriptione ultima cum data, *potest* a) *promotoris iustitiae* in Curia constituti *consilium exquirere*, non ob-

stante inquisitionis secreto, quominus patefaciat inquisitionis cognitiones, *quoties*, idest: a principio inquisitionis, eaque procedente, vel completa, *in aliquam difficultatem* praesertim iuris vel etiam facti positi vel ponendi *inciderit*, ut sic prudentius et pacifice munus proprium expleat, *et* b) *cum eo* illa de causa *communicare*, et hinc ratione officii tenetur promotor iustitiae sub iuramento quoque secretum servare.

494. Inquisitionis sequela iuridica est, quam distincte tradit *can. 1946. § 1. Expleta inquisitione* iudiciali tantum ad normam declaratae inscriptionis, et quidem ex Ordinarii commissione, nam subditur, *inquisitor*, quo nomine appellat Codex delegatum ad hoc, *addito* relationi inquisitionis *suffragio suo*, per quem promat suum de contentis in ea et de conclusione inde eruenda iudicium, *omnia* a se peracta et recepta, nihil omittens *referat ad Ordinarium* a quo derivata fuit eius commissio.

§ 2. *Ordinarius* hic, et cum sit « loci Ordinarius » iuxta can. 1960, subditur: disiunctive *vel de eius speciali mandato*, idque supponit, quod praescriptum huius paragraphi non potest ex « potestate ordinaria iudicandi » (can. 1573, § 1) *officialis* eligendus a quolibet Episcopo, « distinctus (ordinarie) a Vicario generali », sed verbum initiale « Ordinarius » accipiendum est ad normam can. 198, § 1, ita ut intelligatur etiam hic paragraphus, « expleta inquisitione » relativa, de Superiore maiori in religione clericali exempta: alteruter igitur ex supradictis, *suo decreto* per se extraiudiciali *iubeat ut*: pro iudicio quod inferatur ex inquisitione bene considerata, iuxta triplicem hypothesim, inde possibilem,

1° Si appareat denunciationem; quae occasio fuit « inquisitionis specialis », « sive ex rumore et publica fama » processerit, « sive ex denunciatione » privatae personae facta « studio iustitiae, sive ex querela damni » ad normam can. 1935, § 1, « sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta, sive alia quavis ratione », (can. 1939, § 1), videlicet « denunciationem » sumptam pro delicti atque delinquentis delatione ad Ordinarii notitiam, *solido*, seu resistente probabili denegationi aut defensioni rei, *fundamento*, quo huius imputabilitas propugnetur *esse destitutam* saltem ob defectum probationum inquisitione deprehensarum, a) *id* succincte *declaretur*, saltem iisdem canonis verbis, *in actis* hucusque apud Curiam, *et* b) *acta ipsa in secreto Curiae archivo*, quod moderatur can. 379, atque hac etiam de causa habendum apud Superiores maiores religionis clericalis exemptae, ubi *reponantur* praedicta.

2° *Si iudicia criminis* nempe: circumstantiae aut sequelae cum eo moraliter coniunctae ut plurimum *habeantur* ex inquisitione contra reum inde praesumptum, *sed nondum sufficientia*, quatenus ex illis nequeat progredi *ad accusatoriam actionem*, quae ad poenam certo delinquenti infligendam vel declarandam ordinatur, *instituendam* cum effectus probabilitate, a) *acta* usque tunc, ut supra, *in eodem* seu « secreto Curiae » *archivo serventur*, nihil eis addendo, *et* b) *invigiletur* ab Ordinario generaliter per alterum, v. gr. parochum, vel inquisitorem dictum, *interim* scilicet: ad tempus imposterum *moribus imputati* praesertim ad delictum facientibus, *qui* a) *pro prudenti Ordinarii*, cui subiiciatur, atque supra declarati, *iudicio* circa convenientiam *erit* b) *opportune* seu capta occasione *super re* de qua suspectio habetur *audiendus*, vel sponte loquatur, sive suggestione data, *et* c) *si casus ferat* propter eius dicta, vel eamdem rem, *monendus ad normam*, eo quod sub ea comprehendatur, *can. 2307* tunc declarandi atque tractantis de eo « qui versatur in proxima occasione delictum commitendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi ».

3° *Si denique*, quia ultima hypothesis, a) *certa*, quia nullum dubium prudens relinquunt, *vel saltem* b) *probabilia*, quia gravibus fundamentis innixa *et* pro natura iudicii criminalis *sufficientia ad accusationem instituendam*, quae ex illis probari queat cum prudenti expectatione convincendi iudicialiter reum *argumenta* inquisitioene collecta vel corroborata *praesto sint*, tunc ex canonis praescripto a) *citetur*, idest advocetur obligatorie, *reus* praesumptus propter delictum, *ad comparendum et* b) *procedatur ad ulteriora*, respectu poenae infligendae, utrumque *ad normam canonum qui* sub III° et IV° capitibus *sequuntur*.

Haec ultima clausula sic videtur rite interpretanda, ut primo ipsa contineat obiectum, quod « decreto suo iubeat » alteruter ex designatis initio §ⁱ 2ᵃᵉ tunc declaratus. Secundo ut citatio fiat ad sequendam normam canonis 1947, quando « correptioni iudiciali locus sit » atque tunc ad comparendum coram Ordinario, cum observantia canonum qui de correptione iudiciali loquuntur. Tertio, quando « correptio iudicialis locum habere nequit » iuxta can. 1948, tunc sequendus erit can. 1954 et postquam « promotor libellum accusationis exhibeat iudici » (can. 1955), reus citetur ad comparendum coram eo, atque observentur canones sub capite IV, praetermissis aliis sub capite III.

CAPUT III.

De correptione delinquentis.

Can. 1947. - Si reus interrogatus delictum confiteatur, Ordinarius, loco criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali si eidem locus sit.

Can. 1948. - Correptio iudicialis locum habere nequit:

1° In delictis quae poenam secumferunt excommunicationis specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae, aut privationis beneficii, infamiae, depositionis aut degradationis;

2° Quando agitur de ferenda sententia declaratoria poenae vindicativae vel censurae in quam quis inciderit;

3.° Quando Ordinarius existimet eam non sufficere reparationi scandali et restitutioni iustitiae.

Can. 1949. - § 1. Correptioni locus esse potest semel et iterum, non autem tertio contra eundem reum.

§ 2. Quare si post alteram correptionem reus idem delictum commiserit, criminale iudicium instrui aut inceptum continuari debet ad normam can. 1954 seqq.

Can. 1950. - Intra fines can. 1947, 1948 potest correptio ab Ordinario adhiberi non solum antequam gradus fiat ad formale iudicium, sed etiam eo incepto ante conclusionem in causa; ac tunc quidem iudicium suspenditur, nisi tamen prosequendum idcirco sit quia correptio in irritum cesserit.

Can. 1951. - § 1. Correptio adhiberi etiam potest, cum interposita fuit querela damni ex delicto.

§ 2. Quo in casu Ordinarius potest de bono et aequo, partibus consentientibus, videre et dirimere quaestionem de damno.

§ 3. Sed si censuerit quaestionem de damno difficulter de bono et aequo posse definiri, licet ipsi, remissa ordini iudiciario solutione huius quaestionis, per correptionem consulere reparationi scandali et emendationi delinquentis.

Can. 1952. - § 1. Correptio iudicialis, praeter monita salutaria, debet plerumque coniuncta habere quaedam opportuna remedia, aut poenitentiarum vel piorum operum praescriptionem, quae valeant ad publicam reparationem laesae iustitiae aut scandali.

§ 2. Salutaria remedia, poenitentiae, pia opera reo praescribenda, mitiora et leviora esse debent iis, quae in criminali iudicio per sententiam condemnatoriam ipsi infligi possent et deberent.

Can. 1953. - § 1. Correptio censetur inutiliter adhibita, si reus remedia, poenitentias et pia opera sibi praescripta non acceptet aut acceptata non exsequatur.

495. Inscriptio Capitis et ipsius canones. — Postquam ex inquisitione speciali constet sufficienter de vero delicti auctore, ut ad puniendum eum gressus iudicialis fiat, mitiorem praxim multoties sequitur Ecclesia, quia ut mater quaerit praeprimis animabus mederi singulis, non praetermissis aliorum necessitatibus. Propter quod antequam leges de criminali processu exhibeat, Codici est insertum *Caput III*, cuius inscriptio memorat remedium aliquod poenale, afflictivum proinde aliqualiter, sed prospiciens directe ad medelam sustinentis ipsum. Scilicet: *De correptione*, quae designat « reprehensionem alicui factam auctoritative, propter ipsius conversationem ex qua scandalum vel gravis ordinis

perturbatio oriuntur (can. 2308), ut ab illa resipiscens in meliorem praxim transeat ». Additur in capite verbum *delinquentis*, quia talis supponitur cum firmo fundamento, et ob tale delictum proprie dictum reprehenditur.

Canones logice progredientes statuunt primo, quando correptio facienda sit, quandonam vero fieri nequeat, utrumque ostendunt can. 1947, 1948. Quoties illa locum habeat can. 1949 edocet, et quo tempore can. 1950. Can. 1951 praevenit ac tollit dubium facile emergens, atque naturam correptionis, quae obiectum est huius capitis, ut haec recte fiat monstrat can. 1952, ac sequelam iuridicam illius inutiliter peractae can. 1953 praescribit.

496. Praescriptum fundamentale huius capitis est positum inter duas conditiones, quarum secunda, ut supra diximus ansam praebet interpretationi praescripti de « citatione ad comparendum » consequente inquisitioni expletae. *Can. 1947* incipit a prima conditione. *Si reus* praesumptus ex inquisitione speciali, et sic vocatus propter certum delictum poena iudicialiter puniendum, *interrogatus* secundum detecta per inquisitionem, quando citationi pareat, *delictum* illud *confiteatur* extraiudiciali confessione, quia iudicium criminale nondum incepit, *Ordinarius*, qua talis ad normam can. 198, § 1, *loco criminalis iudicii* inchoandi, prosequendi atque finiendi per se vel per officialem ad normam capitis seq.s, *utatur* ex canonis iussu *correptione iudiciali*, quam declaravimus sub inscriptione capitis, attenta conditione limitante: *si eidem locus sit* iure canonum sequentium, et iuxta prudens Ordinarii iudicium.

497. Delicta a correptione iudiciali exclusa enumerat *can. 1948* triplici ex motivo. *Correptio iudicialis* supradicta *locum habere nequit* ob hanc iuris interdictionem, quae attingit iudicium ipsius valorem:

Ratione delictorum 1.° *In delictis* proprie ad normam can. 2195, § 1, *quae poenam* latae vel ferendae sententiae *secumferunt* in relativo canone a) *excommunicationis*, quae semper est censura ipso facto inflicta, *specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae* iuxta distinctionem in can. 2245, § 3 declaratam, *aut* b) *privationis beneficii* « ecclesiastici » in can. 1409 definit, c) *infamiae* iuris de qua est can. 2293, d) *depositionis*, cuius effectus ostendit can. 2303, aut e) *degradationis* quam explicat can. 2305, et quarum duae posteriores sunt semper ferendae sententiae;

2° ratione finis iudicii criminalis, *Quando agitur de ferenda sententia*, quae est « legitima pronunciatio qua iudex cau-

sam iudiciali modo pertractatam definit » (can. 1808, § 1) *declaratoria* a) *poenae vindicativae*, cuius enumerationes duae inveniuntur in can. 2281, 2298, b) *vel censurae* multiplicis, ut constat ex Cap. II, Tit. VIII, Lib. V, *in quam* alterutram determinatam *quis* nempe fidelis delinquens *inciderit* praevie seu ipso facto. Quapropter haec sententia debet definire duo, videlicet: ab hoc subiecto fuisse iam patratum hoc vel illud delictum, cuius sanctio supradicta ex consequenti, quia latae sententiae, illud tenet.

3° ratione ipsius correptionis. *Quando* nempe *Ordinarius*, ad quem pertineat illam facere, *existimet* prudenti iudicio *eam non sufficere* fini poenarum partiali in Ecclesia, idest: a) *reparationi scandali*, seu pravi exempli provocantis fideles ad delinquendum *et* b) *restitutioni iustitiae* legalis, quae respicit ordinem singulorum de Ecclesia in eiusdem qua societatis visibilis commune bonum.

498. Limitatio correptionis altera specialiter fuit ponenda, quia in peculiari tantum subiecto invenitur. Eam exponit *can. 1949, § 1. Correptioni* supple « iudiciali » declaratae *locus esse potest* a) *semel et* b) *iterum* sub eisdem conditionibus huius tituli, distinctum ob crimen, c) *non autem tertio* prohibitione canonis prudenti, subintelligens semper finalem clausulam *contra eundem reum* qua talem, scilicet: personam unam pluries committens idem delictum in specie.

Hoc patet ex tenore § 2, qui statuit servandum post alteram correptionem iudicialem, et incipit particula causali. *Quare*, seu motivo praescripti sub §° 1ª, *si post alteram* factam *correptionem* « iudicialem », seu ad normam inscriptionis Capitis, *reus*, qua auctor, *idem* specie *delictum* sed evidenter distinctum numero *commiserit*, tunc loco correptionis prohibitae *criminale iudicium*, cuius notio ex can. 1552 habetur, a) *instrui* nempe: incipi, prosequi, *aut* b) *inceptum* propter can. seq. praescriptum *continuari*, casu quo suspensum fuit *debet* iussu canonis *ad normam can. 1954 seqq.*, idest: capitis IV in quo inveniuntur illius regulae.

499. Legitimum correptionis tempus decernit *can. 1950* dicens. *Intra fines can. 1947, 1948* nuncnunc explicatos, quando nempe « correptioni iudiciali locus sit » *potest* iure *correptio* de qua tractat hoc Caput, *ab Ordinario* ad normam can. 198, § 1 *adhiberi* pro eius arbitrio eligendi a) *non solum antequam gradus fiat ad formale* criminale *iudicium* exordiens accusatione per iustitiae promotorem peracta, et quod in praecedentibus innuebatur, *sed etiam*, tunc praetermissa, ex qua hypothesi arguitur,

meo quidem iudicio, clausulam can. 1947 « si eidem locus sit », habere ampliorem sensum ei tunc attributum, *eo* « formali iudicio » *incepto* per accusationem *ante conclusionem in causa* eadem criminali; *ac tunc quidem* casu quo fiat correptio *iudicium* iure *suspenditur* ipso facto sine temporis praefixione, *nisi tamen prosequendum idcirco* praecise *sit* vi canonis *quia* haec *correptio in irritum cesserit*, quod censeatur ad normam can. 1953.

500. De peculiari criminali iudicio specialis conditus est *can. 1951*. Et primo cavetur generalis regula faciendae correptionis. § *1. Correptio* « iudicialis » toties sub intellecta *adhiberi etiam potest* in casu, quo videretur exclusa propter necessarium iudicium, *cum* nempe *interposita fuit* « partis laesae » (can. 1938) *querela damni ex delicto* provenientis « ad damnum sibi resarciendum » oblato libello seu denunciatione in hunc finem porrecta.

Quomodo procedendum sit, iustitia suadente, ostendit § 2. *Quo in casu Ordinarius* ad normam can. 198, § 1, *potest* adhibere « exhortationes, ut per transactionem lis (haec) componatur » ut praescriptum fuit can. 1925, § 1, sed generalioribus verbis loquitur apte canon: a) *de bono et aequo*, prout fit extra iudicium, b) *partibus consentientibus*, quae damnum passa est et quae intulit, eo quod transactio non imponitur in Codice, c) *videre* quoad illationem damni, huius quantitatem atque opportunam satisfactionem, *et dirimere* per laudum *quaestionem* seu contentionem *de damno*.

§ 3 fertur in complementum ultimi praescripti. *Sed si censuerit* « Ordinarius » *quaestionem* supradictam *de damno* privatae personae *difficulter* propter motiva sive intrinseca ipsi quaestioni sive eidem extrinseca, v. gr. ob dissensum alterutrius partis respectu ad transactionem, seu *de bono et aequo* ut supra *posse deffiniri, licet* vi huius canonis a) *ipsi* « Ordinario, b) *remissa ordini iudiciario*, ut plurimum per officalem exercito, *solutione huius quaestionis* per sententiam vel per transactionem in decursu iudicii, c) *per correptionem* « iudicialem » ab eodem « Ordinario » factam *consulere* iuxta poenarum ecclesiasticarum duplicem finem a) *reparationi scandali*: quoad bonum Ecclesiae *et* b) *emendationi delinquentis* pro ipsius animae sanctificatione.

501. Adiuncta legitimae correptionis edocet *can. 1952* in duplici eius parte. § *1* innititur Instructioni [1] S. C. EE. et RR. in n.is II, III et IV, qui haec continent: « Ex his remediis (canonicis ad praecavendas in clericis et eliminandas ordinis perturbationes)

[1] 11 Iun. 1880.

alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur, ut impediant quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur. Alia finem habent revocandi delinquentes ut sapiant, reparentque admissi criminis consequentias.

Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones et casuum adiunctorumque gravitatem.

Mediis, quae praeservant, praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta ».

Nunc temporis est haec disciplina § *1. Correptio iudicialis*, de qua conditum est Caput praesens, a) *praeter monita* necessaria secundum illius naturam *salutaria*, in favorem igitur delinquentis, quod pastorale onus Ordinario incumbit, *debet plerumque*, ut poenae omittendae non fraudentur scopo ipsarum, *coniuncta habere*, veluti extra correptionis strictam naturam, b) *quaedam opportuna* secundum casuum adiunctorumque diversitatem *remedia*, quae praeveniunt delictuosas transgressiones v. gr., « ut scandali stimuli, occasiones voluntariae, causaeque ad delinquendum proximae removeantur », utendo fortassis praecepto, *aut* c) *poenitentiarum vel piorum operum praescriptionem*, quarum praecipuae recensentur in can. 2313, § 1, *quae valeant* alterutrae vel utraeque *ad publicam* ex notitia adimplementi earum *reparationem laesae iustitiae* legalis *aut scandali* ex delicto consequentium, pro fine poenarum in Ecclesiae bonum consequendo.

Moderationem illius praescripti ostendit § 2 prospiciens mitiori naturae huius correptionis. *Salutaria remedia* iam declarata, *poenitentiae* ut supra, *pia opera reo* proter certum delictum *praescribenda* vi huius canonis, *miliora*, uti afflictiva *et leviora* quoad onus *esse debent iis, quae in criminali iudicio* per correptionem vitando *per sententiam condemnatoriam* seu definientem delictum et poenam *ipsi* reo convicto vel confesso *infligi possent* pro gravitate delicti vel iteratione *et deberent* secundum quosdam canones ad augendam poenam.

Comparatio vero inter remedia poenalia expressa cum « iis » tacitis videtur sic interpretanda, cum « iis » poenis, quae infligendae forent in sententia contra delinquentem correptum in casu, sive « ea » poenae solae sint stricto sensu, sive remedia poenalia simul cum poena aliqua. Intendit enim legislator monere de utilitate proveniente reo, si corripiatur iudicialiter potius quam iudicio gressus fiat cum alea exitus.

502. De inutilitate correptionis iudicandum est secundum regulam, quam dat *can. 1953. Correptio* « iudicialis » explicata in can. praec. *censetur* iure *inutiliter* quoad effectum intentum *adhibita* legitime, *si reus* propter delictum de quo corripitur a) *remedia*, b) *poenitentias et* c) *pia opera praescripta* vi praec. canonis a) *non acceptat* quolibet ex praetextu omnia *aut* b) semel *acceptata non exequatur* magna ex parte.

CAPUT IV.

De instructione processus criminalis et de rei constitutione.

CAN. 1954. - Si correptio iudicialis vel insufficiens sit ad reparationem scandali et restitutionem iustitiae, vel adhiberi nequeat quia reus delictum denegat, vel inutiliter adhibita fuerit, Episcopus, aut officialis, de eius speciali mandato, praecipiat ut acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae.

CAN. 1955. - Promotor statim conficiat accusationis libellum eumque exhibeat iudici secundum normas in Sectione Prima statutas.

CAN. 1956. - In delictis gravioribus, si Ordinarius censeat cum fidelium offensione imputatum ministrare sacris aut officio aliquo spirituali ecclesiastico vel pio fungi aut ad sacram Synaxim publice accedere, potest, audito promotore iustitiae, eum a sacro ministerio, ab illorum officiorum exercitio, vel etiam a publica sacrae Synaxis participatione prohibere ad normam can. 2222, § 2.

CAN. 1957. - Pariter si iudex censeat accusatum posse testibus timorem incutere aut eos subornare, aut alio modo iustitiae cursum impedire, potest, audito promotore iustitiae, decreto suo mandare, ut ille ad tempus deserat oppidum vel paroeciam quandam vel etiam ut secedat in praefinitum locum ibique sub peculiari vigilantia maneat.

CAN. 1958. - Decreta de quibus in can. 1956, 1957 ferri nequeunt, nisi reo citato et comparente vel contumace, sive post primam eius auditionem seu constitutum, sive postea in decursu processus; et contra eadem non datur iuris remedium.

CAN. 1959. - In reliquis serventur regulae in Sectione Prima huius Libri traditae et in inflictione poenarum sanctiones in Libro Quinto statutae.

503. Inscriptio capitis et coordinatio canonum. — Iuxta ordinem in Tituli divisione declaratum necesse est iam nunc agere de ipso processu criminali. Proinde ultimum Tituli *Caput IV* inscribitur *De instructione* seu de his quae agenda sunt apud ecclesiasticum tribunal ratione *processus* definiti sub inscriptione huius Libri, *criminalis* propter scopum infligendi poenam reo delicti vel declarandi poenam ab eodem iam incursam. Prosequitur inscriptio *et de rei constitutione*, seu auditione coram tribunali circa imputationem eidem factam, subsequente ipsius rei citationem. Haec videur sic appellata in usu fori, quia relatio in actis solet incipere his verbis: *Constitutus N. personaliter coram Rdmo. N. vel tribunali*, etc.

Canones duo primi iudicii initium ex parte promotoris iustitiae respiciunt. Peculiaria praescripta pluries attendenda in criminali iudicio pro fidelium in genere vel quorumdam bono et cursu pacifico processus continent can. 1856, 1857, de quibus decretis simul dat normam can. 1958. Reliqua non indigent speciali moderatione in criminali iudicio.

504. Connexio cum capite praecedenti est facta sic. *Can. 1954. Si correptio iudicialis* a) *vel insufficiens sit ad reparationem scandali et restitutionem iustitiae*, prout fuit declaratum sub n° 3° can. 1948, et pari de causa quandocumque illa « locum habere nequit » (ib.), b) *vel adhiberi nequeat quia reus* citatus atque interrogatus ad normam initii can. 1917 *delictum* de quo fuit specialiter inquisitus *denegat* fuisse a se patratum, *vel* c) *inutiliter adhibita fuerit*, tum ad normam can. 1953 clausulam huiusmodi explicantis, tum quia « post alteram correptionem reus idem delictum commiserit », ut praescribit can. 1949, § 2, *Episcopus* quolibet in casu, *aut officialis* ab eo Episcopo electus cum potestate ordinaria iudicandi, sed *de eius* Episcopi *speciali mandato*, sicuti cautum fuit in can. 1946, § 2 ad aliud decretum dandum, quia crimen nondum est ad talem iudiciariam potestatem deductum, etsi inveniatur directus ad eam; alteruter ergo legitime potest, et *praecipiat* canone urgente *ut acta inquisitionis* specialis, quae « inquisitor retulit ad Ordinarium » (can. 1946, § 1) *tradantur promotori iustitiae* « constituto in dioecesi » ad normam can. 1586.

Nomine Episcopi non venit Superior maior in religione clericali exempta. Hic vero, ut vidimus, potest ac debet quandoque inquisitionem specialem de subdito delinquente perficere, atque ipsi correptionem iudicialem dare secundum interpretationem canonum sub cap. praec. Concludendum est igitur, legislatorem, vel omisisse mentionem ipsius; quia raro evenire putandum est, ut ad iudicium criminale gressus faciendus sit hac via, vel subintelligere hoc in casu paritate rationis Superiorem praefatum tale praescriptum debere sequi, ut normam saltem directivam agendi rite, vel potius ipse Superior valens iudicium criminale incipere cogatur vi can. 1934 « acta inquisitionis tradere promotori iustitiae » qui est a seipso eligendus ad normam can. 1589.

Pariter vi can. 1934, quando « delictum notorium sit aut omnino certum », ac propterea « inquisitio specialis non est praemittenda » (can. 1939, § 1), debent promotori iustitiae tradi, quae apud Ordinarium extent documenta eidem promotori necessaria, ut « actio seu accusatio criminalis ab eodem porrigatur ».

505. De libello causae introductorio statuit *Can. 1955.* Cum ex dictis sub praecedentibus praescriptis appareat voluntas Ordinarii ut procedatur ad ulteriora: *Promotor* supranominatus *statim* pro diligenti officii sui executione a) *conficiat* idest legitime scribat *accusationis* emergentis ex actis inquisitionis eidem traditis vel in casu, quo inquisitio non praecesserit specialis, ex aliis motivis, quae « omnino certum vel notorium » (can. 1939, § 1) reddunt « delictum quod cadit sub criminali iudicio » ad normam can. 1933, *libellum*, quo iudicium criminale inchoandum est, b) *eumque exhibeat* tradens *iudici* competenti in casu, *secundum normas* quoad utrumque *in Sectione Prima statutas*, quae proinde abs dubio vigent in iudicio criminali vi huius canonis, etiamsi ex contextu ad contentiosum iudicium coarctari viderentur.

Hae normae sunt insertae sub Capite I. Tituli VI, atque desumenda inde praescripta, prout aptantur criminali iudicio. Sic ex. gr. « in libello delictum a reo patratum esse proponatur, et ministerium iudicis ad poenam infligendam ei vel declarandam expostuletur » (can. 1706).

Item: « iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui promotori iustitiae legendus est et ab eo probandus » (can. 1707, § 3), vel quod in idem redit incipiendis Actis iudicii inseratur.

Item: « Libellus quo criminalis causa introducitur debet:

1° Exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid poenae petatur et contra quem delinquentem;

2° Indicare, generatim saltem, quo iure legis et factorum innitatur promotor iustitiae ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;

3° Subscribi a promotore iustitiae, appositis die, mense, et anno, necnon loco in quo ipse habitat, aut residere se dixerit actorum recipiendorum gratia » (Can. 1708).

Item: « Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, promotor iustitiae novum libellum accusationis rite confectum debet eidem iudici (competenti) denuo exhibere »...

« Adversus libelli (accusatorii) reiectionem integrum semper est promotori iustitiae intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal: a quo, audito promotore iustitiae, quaestio reiectionis expeditissime reiicienda est » (can. 1709, §§, 2, 3).

Omisimus praescripta quae iudicis officium moderantur in hac re, atque vigent quoque in criminali iudicio, utpote intime connexa cum praedictis, quae urgent promotorem iustitiae.

Denique: « Si iudex continuo mense ab exhibito libello accusationis decretum non ediderit quo (illum) libellum admittit vel reiicit ad normam can. 1709, promotor iustitiae instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia, poterit recursum ad Ordinarium loci, si ipse iudex non sit, vel ad superius tribunal interponere ut vel iudex ad definiendam causam criminalem adigatur, vel alius in eius locum subrogetur » (can. 1710).

506. Prohibitio permissa propter criminale iudicium sic praescribitur. *Can. 1956. In delictis gravioribus* respectu absoluto ad omnia dimetiendis « non solum ex (potiori) gravitate legis laesae, sed etiam ex maiore imputabilitate aut damno illato » (can. 2196), et cognoscendis praecipue ex sanctione ipsorum canonica, sub conditione: *si Ordinarius* ad normam can. 198, § 1 *censeat* pro eiusdem prudentia *cum fidelium* proborum et prudentum *offensione* seu displicentia rationabili *imputatum* per accusationem de aliquo illorum delictorum a) *ministrare sacris*, utpote clericum in sacris constitutum, *aut officio aliquo spirituali* propter ipsius finem, non purae administrationis temporalium, b) *ecclesiastico* sive stricto sensu sive lato, quae in can. 145, § 1 definita sunt, nam sic accipiendum esse officium ecclesiasticum « ex contextu sermonis apparet » (ib. § 2), sequitur enim c) *vel pio*, quatenus illud clericis solum, istud etiam laicis, v. gr. officium sacristae, quodlibet in associationibus laicorum, *fungi*, seu prosequi exercere, *aut* d) *ad sacram Synaxim* clericum vel laicum *publice*, *accedere*, ita ut a pluribus videatur vel ex loco et tempore queat videri, a) *potest* ex facultate per hunc canonem admissa b) *audito promotore iustitiae*, quod sufficit, quamvis hic censeat nihil vetandum, c) *eum* « imputatum », pro diversitate hypothesis a) *a sacro ministerio* subdiaconi, diaconi vel sacerdotis proprio exercendo, b) *ab illorum* supra declaratorum *officiorum exercitio*, *vel etiam*, quia clericis quoque in sacris communi, atque ultra praedictum exercitium c) *a publica* solummodo *sacrae Synaxis participatione prohibere* decreto seu provisione extraiudiciali *ad normam can. 2222*, § 2. His postremis verbis innuit Codex servandas esse huius paragraphi clausulas, quae sunt praeter determinationes canone praesenti statutas, atque concordare aliquatenus tantum cum illo praescripto istud praesens.

Clausulae ad rem facientes, qua supplementum sunt: « non solum ius, sed etiam officium habet ad scandalum (si quod adsit) evitandum » atque illae prohibitiones « in casu non habent rationem poenae ».

Perpendamus distinctionem horum praescriptorum. Ibidem (can. 2222, § 1) dicitur « legitimus Superior », quae verba ex contextu totius canonis cum canone 2220, § 2 videntur excludere Vicarium generalem sine mandato speciali: sic enim excluditur a praescripto §i 1ae can. 2222, atque secunda §us incipit: « Pariter idem legitimus Superior ». Econtra can. 1956 defert potestatem « Ordinario », sub « cuius nomine intelligitur, nisi expresse excipiatur, Vicarius Generalis ». Verumtamen contraria sententia fortassis probabilior est, videlicet: quod sub verbis « legitimus Superior » in canone 2222 § 1 includant Vicarium Generalem sine mandato speciali, quia concessum in tali paragrapho « non habet rationem poenae ».

Differentiae maioris momenti sunt: a) can. 1956 locum habet « in delictis gravioribus, de quibus imputatus est aliquis accusatione », dum § 2 canonis 2222 agit de quocumque delicto, non taxative deducto in iudicium per accusationem, sed « licet probabile tantum sit delictum, fuisse commissum aut delicti certe commissi poenalis actio praescripta sit ».

b) in § 2 canonis 2222 agitur de non promovendo ad ordines clericum de cuius idoneitate (ut dictum est) non constat » et iubetur prohibere clerico exercitium sacri ministerii, aut etiam eundem ab officio, ad normam iuris, amovere; dum can. 1956 respicit clericos et laicos, unde praeter prohibitionem sacri ministerii, in quo solum est concors alteri citato paragrapho, duas diversas prohibitiones continet supradictas.

507. Alia permissio iudici occasione criminalis iudicii est expressa in *can. 1957*. Pariter, quia exhibita accusatione, et altera aequali conditione canonis praecedentis posita, urget praescriptum; sub conditione: *si iudex*, Ordinarius sit vel officialis non refert, *censeat* prudenter ex circumstantiis *accusatum* per libellum promotoris iustitiae *posse*, quamvis nondum fecerit, *testibus*, qui delictum norunt iuxta inquisitionis acta vel secundum alias notitias habitas, a) *timorem* gravem *incutere*, ne verum reddant testimonium, b) *aut eos subornare* idest: per dona, promissiones etc. a veritate patefacienda impedire, c) *aut alio modo*, qui excogitari queat, *iustitiae* cursum quoad actus iudiciales, v. gr. per commotionem popularem, per diffamationes iudicio interessentium etc. *impedire* a) *potest* vi huius canonis, quin obligetur b) *audito* ad validitatem (can. 105, 1° *promotore iustitiae*, sicut haec clausula fuit declarata in can. praec., c) *decreto suo mandare*, cui parendum est in conscientia, *ut ille* « accusatus » a) *ad tempus* saltem indeterminatum *deseat oppidum vel paroeciam quandam*

pluribus constantem oppidis, *vel etiam* cumulative vel disiunctive parum refert, b) *ut recedat in praefinitum* decreto *locum*, sive domum, sive oppidum, *ibique sub peculiari* idest: specialiter posita *vigilantia maneat.*

508. Conditio necessaria et communis duobus praecedentibus praescriptis est, quam iubet *can. 1958. Decreta* singula *de quibus in can. 1956* extraiudicialia, *1957* iudicialia, *ferri* licite valideque seu cum iuridica vi, hoc est: iure *nequeunt*, quo verbo limitatur alterum « potest » in citatis normis, *nisi* quoad iudicii stadium a) *reo citato*, ut accusationi respondeat *et* b) *comparente* pro eiusdem obligatione coram iudice *vel contumace*, eo quod « citatus, sine iusta causa nec ipse per se nec per procuratorem comparet », comprobando haec ad normam can. 1843, et insuper a) *sive post primam eius auditionem* respondentis examini circa libellum accusationis *seu* iuxta verbum usitatum in foro ecclesiastico *constitutum* se reum per contradictionem promotori iustitiae, nec appellatur « primum constitutum, sicut antiquitus a pluribus, b) *sive postea in decursu processus* ut patet criminalis; *et contra eadem* praecedentium canonum « decreta » sic, ut declaratum est hoc in canone facta *non datur* a legislatore *iuris remedium*, seu sunt in praxim omnino servanda in conscientia.

509. Quoad ceteras normas processus criminalis, adnotat *can. 1959* non esse « peculiares » secundum Sectionis inscriptionem. Eapropter ultimum praescriptum est: *In reliquis* ad instructionem seu progressum et complementum processus criminalis *serventur* vi huius canonis a) *regulae in Sectione prima huius Libri traditae*, etiamsi verbotenus vel ex contextu videantur eas loqui de iudicio contentioso, atque interpretando verbum actoris de promotore iustitiae, intelligendo verbum rei de imputato post accusationem, et materia iudicii substituatur delicto puniendo poena vel hac declaranda ob patratum delictum: *et* praeterea *inflictione poenarum* a iudice iuxta scopum ipsius processus facienda « serventur » *sanctiones* sic dicti canones, qui respiciunt poenas *in Libro Quinto* « de delictis et poenis » tractante *statutae.*

TITULUS XX.

De causis matrimonialibus.

CAPUT I.

De foro competenti.

CAN. 1960. - Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant.

CAN. 1961. - Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum ad normam can. 1016; sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri.

CAN. 1962. - Causas matrimoniales ad eos spectantes de quibus in can. 1557, § 1, n. 1, illa Sacra Congregatio vel illud Tribunal aut specialis ea Commissio exclusive cognoscet, cui eas toties quoties Summus Pontifex delegaverit; causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato, Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum; causas vero quae referuntur ad privilegium Paulinum, Sacra Congregatio S. Officii.

CAN. 1963. - § 1. Quare nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica facultatem eidem fecerit.

§ 2. Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti poterit ad sententiam super rato et non consummato ferendam.

CAN. 1964. - In aliis causis matrimonialibus iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo pars conventa vel, si una sit acatholica, pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet.

CAN. 1965. - Si matrimonium accusatur ex defectu consensus, curet ante omnia iudex ut monitionibus opportunis partem, cuius consensus deesse affirmatur, ad consensum renovandum inducat; si ex defectu formae substantialis vel ex impedimento dirimenti quod dispensari potest et solet, partes inducere studeat ad consensum in forma legitima renovandum vel ad dispensationem petendam.

510. Inscriptio Tituli et eius divisio. — Ut explicatum fuit ad inscriptionem Sectionis secundae, iam considerare oportet obiectum, quod continet *Titulus XX*, scilicet: *De causis*, eo quod iudicialem formam maiori ex parte controversiae huiusmodi requirunt, *matrimonialibus* secundum earum materiam, quae est vinculum matrimoniale aliaque omnia cum eodem connexa qualitercumque.

Verumtamen circa sponsalia quae matrimonium praecedant statuit can. 1017, § 3: « ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen

ad refectiomem damnorum, si qua debeatur ». Igitur hae causae matrimoniales pluribus Decretalibus moderatae expungendae sunt ab hoc titulo, quia normis primae sectionis sufficienter moderatur.

Non desunt delicta, quae matrimonio adversantur quoad ipsius iura et obligationes, sed applicare sanctiones iudex apprime poterit per normas peculiares iudicii criminalis.

Igtur causae propriae huius Tituli, quando iudiciales, sunt primo contentiosae, atque secundo, perspectis Decretalium textibus, Const. Bened. XIV « Dei miseratione » 3 Nov. 1741, classica circa huiusmodi materiam, atque Decretis tum Conc. Tridentini, quae praecesserunt et Sanctae Sedis, quae subsequuta sunt ac perfecerunt illam constitutionem, sunt causae a) circa validitatem ipsius vinculi, b) circa dissolutionem eiusdem valide contracti, c) circa matrimonii effectus, ac demum d) circa separationem coniugum.

Speciales autem normae ex supradicto iure antiquo, quod Codex retinuit se referunt ad fori competentiam de illis, ad tribunalis peculiarem constitutionem, ad ius agendi pro his processibus, ad speciales harum causarum probationes, ad ipsius processus ultima stadia, et ad exercitium iuris appellandi. Haec omnia sub sex capitibus, quae congruas inscriptiones habent, ordinata sunt, et explicit Titulus hac inscriptione, qua ornatur *Caput VII. De casibus exceptis a regulis hucusque traditis.*

511. Inscriptio Capitis I non indiget explicatione, sed animadversione. Quamvis enim eadem sit ac posita in Titulo I, dum ex una parte restringenda est iuxta inscriptionem Tituli, sub quo invenitur seu in « causis matrimonialibus » ampliatur quoad harum forum, quia canones priores tractant de fori quoque civilis competentia, dum haec Titulo I fuit praemissa per canones ante ipsum positos.

512. Ordo canonum. — Principia iuris publici hac de re continent can. 1960, 1961. Statim cum parallelismo erga can. 1557 de personis, quas hae causae attingunt, est sollicitus can. 1962 complectens causas matrimoniales alias, quae cum illis Sanctae Sedi reservantur, et cui colligatur intime can. 1963. De iudice competente infra Romanam Curiam agit can. 1964, cui iudici can. 1965 normas dat sequendas nonnumquam ad vitandum illud iudicium, sicut in causis criminalibus consultum est per correptionem iudicialem.

513. Competentia fori ecclesiastici primo exprimitur, secundum dogmaticum canonem 12 « de matrimonio » in sess. XXIV

Conc. Trid. rite intellectum per posteriores S. Sedis declarationes de hac eadem materia editas. Unum sufficiat testimonium Leonis XIII in sua Encyclica « de matrimonio christiano », quae exorditur « Arcanum divinae sapientiae », sub die 10 Febr. 1880. « Revera Honorius, Theodosius iunior, Iustinianus fateri non dubitarunt, in iis rebus, quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, caussam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate; cuius ipsius iudicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium, de divortiis, denique de rebus omnibus cum coniugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus. — Igitur iure optimo (ex his ac praemissis in Encyclica), in Conc. Tridentino definitum est, in Ecclesiae potestate esse, *impedimenta matrimonium dirimentia constituere, et causas matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare* ».

Nec piget addere prosequutionem Encyclicae, quae fundamentum incommovibile canonis edocet: « Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cuius contractum nuptialem a sacramento disiungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu verius distractio probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus iure. — Huc accedit, quod ob hanc caussam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem refereus mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae coniunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se coniugantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet omne inter christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus quae a contractu disiungi vel disparari hominum arbitratu queat. - Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicae esse iure traductam: Quod si hac in re

alienum violatum ius est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum ».

His doctrinis innixus *Can. 1960* iure merito asserit. *Causae* in iudiciali foro tractatae *matrimoniales* propter earum obiectum; videlicet: « de honestate natalium, de divortiis, denique de rebus omnibus cum coniugali vinculo necessitadinem (idest: necessariam connexionem) habentibus », ut habetur in cit. textu Leonis XIII, *inter baptizatos* actorem et reum, quod idem sonat ac « christianos », nam in Conc. Trid. sub can. VII est definitum « baptizatos per baptismum ipsum... debitores fieri... universae legis Christi servandae », atque can. VIII sic conceptus est: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit », *iure proprio*, idest: ex natura Ecclesiae iuxta institutionem sui Divini Fundatoris, contra prop. 74 damnatam in Syllabo Pii PP. IX editus cum Bulla « Quanta cura » (8 Dec. 1864): « Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civili pertinent », *et* « iure » *exclusivo* respectu huius societatis ob rationem sacramenti praefato contractui matrimoniali a Christo Domino insitam, *ad iudicem ecclesiasticum* nempe: iurisdictione ecclesiastica legitime praeditum, *spectant.*

514. Competentia fori civilis in praesenti materia est quam retinet *Can. 1961* ex iure Decretalium. Sic enim legitur [1] circa « causam, quae inter R. et F. super eo, quod mater dicti R. dicitur non fuisse de legitimo matrimonio nata, agitari dignoscitur, vobis commisimus (ait Alex. III) terminandam, et infra. Nos attendentes, quod ad regem pertinet, non ad ecclesiam de talibus possessionibus (quibus fuisset per violentiam (saepefatus R.) spoliatus) iudicare; ne videamur iuri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum iudicium ad se asserit pertinere: Fraternitati vestrae mandamus, quatenus regi possessionum iudicium relinquentes, de causa principali videlicet, utrum mater praedicti R. de legitimo sit matrimonio nata, plenius cognoscatis, et causam huiusmodi terminetis ».

Et Cap. 5 eiusdem tituli est sequentis tenoris. « Lator praesentium R. et infra. Cum autem idem R. H. coram saeculari iudice super haereditate avi eiusdem A. patris dicti H. traxisset in causam, ille sibi praesumpsit obiicere, quod pater eius non fuit de legitimo matrimonio natus, et ideo de haereditate avi sui,

[1] Cap. 7 « Causam » Tit. XVII. « Qui filii sint legitimi ». Lib. IV. X.

nihil posset iure successorio vindicare, et infra. Ideoque mandamus, quatenus causam, super quaestione nativitatis patris eiusdem R. infra duos menses sublato appellationis obstaculo terminetis. Si vero infra duos menses praefatus H. non poterit probare legitime quod obiecit, ex tunc saeculari domino, sub cuius iudicio de haereditate causa vertitur, intimetis, ut pro quaestione nativitatis non dimittat, quin causam super haereditate audiat, et decidat ».

Denique Clemens III ita loquitur [2]: « De prudentia vestra miramur, quod cum vobis causam matrimonii, quae vertebatur inter H. et M. commisissemus terminandam, et vos consanguinitatem inter eos invenientes, sententiam divortii tulissetis: de dote, quam a viro mulier repetebat, quidquam statuere distulistis: Quia igitur vos, qui de matrimonio principaliter cognovistis, et de dote (quae est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, et sententialiter diffinire: Mandamus, quatenus pradictum H. monitione praemissa cogatis, ut praedictae M. totam dotem (sicut canonicum fuerit) restituere non moretur ».

Innoc. vero III in cap. 5 eiusdem tituli sententialiter profert: « Cum castra ipsa non tam ob turpem, quam ob nullam causam sint data: utpote cum inter eos matrimonium non existat, et ideo nec dos, nec donatio propter nuptias: Ne ad commodum ei cedat, quod debet in poenam eius potius retorqueri: castra ipsa restitui volumus, et ad id puellam per excommunicationis sententiam coarctari ».

Ex his evadit *can. 1961* facilis captu interpretationis. *Causae*, ut supra iudiciales a) *de effectibus matrimonii*, quia illud supponunt v. gr. de dote aut donatione inter virum et uxorem, vel remote, sicuti de haereditate ob consanguinitatem proveniente, b) *mere civilibus*, quia sunt accidentales matrimonio hic vel ibi contracto propter relationem eius ad societatem civilem, c) *si principaliter agantur*, idest: tamquam obiectum directum instaurati iudicii contentiosi, *pertinent* « non ad ecclesiam », sed *ad civilem* propter huiusmodi auctoritatem *magistratum*, prout iudices illi audiunt, *ad normam can. 1016*, in quo praescriptum est « salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii (baptizatorum regendi) effectus ». Nam potestas iudicialis limites potestatis legislativae consequitur in qualicumque societate.

[1] Cap. 3 « de donatione inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda » (IV, 20) X.

Propter verbum « principaliter », prosequitur canon: *sed si* « causae, ut supra, de effectibus matrimonii mere civilibus », (clausula iam declarata) *incidenter*, quatenus « incepto saltem per citationem iudicio, quaestio (illa) proponitur quae, libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse » (can. 1837), *et accessorie*, quia haec causa solutioni alterius coniungitur accidentaliter *possunt etiam* secundum cap. 3 supra citatum (IV, 20) X, *a iudice ecclesiastico* causam principalem fori ecclesiastici cognoscente, proinde inter baptizatos *ex propria potestate*, quia ex reg. 42 iuris in 6°: « Accessorium naturam sequi congruit principalis », *cognosci ac definiri*, quamvis possit quoque iudex eam causam incidentem uti accessoriam propter effectum mere civilem ad « civilem magistratum » remittere partes iuxta cap. cit. cap. 7 Decretalium (IV, 17) X.

Quid si econtra in causa principali de effectibus mere civilibus incidat quaestio alia matrimonialis, v. gr. de legitimitate natalium. Resp. in casu iudex civilis se inhibere deberet, remittendo partes circa hanc incidentem causam ad iudicem ecclesiasticum, atque definitione huius obtenta, posset causam principalem cognoscere ac definire. Propterea can. 1960 nullam distinctionem causarum matrimonialium inter baptizatos adhibuit.

515. Reservationes causarum ex iure praecedenti manent, quas sic enumerat *Can. 1962*: primo ratione personarum, additis aliis ratione materiae. *Causas* igitur *matrimoniales* iuxta inscriptionem Tituli *ad eos spectantes*, quia sint pars in illis, *de quibus* agitur *in can. 1557, § 1, n. 1*, scilicet: « eos, qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum », sicut ibidem fuit declaratum, dummodo praescriptum hoc, ut patet, intelligatur subordinatum canoni 1960 habenti « inter baptizatos », a) *illa* determinata *Sacra Congregatio* inter eas, quibus « Curia Romana constat » (can. 242), *vel* b) *illud Tribunal* praesertim ex « ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus » (Cap. III, Tit. II), *aut* c) *specialis* velut ad rem constituta *ea* determinata *Commissio* pluribus, ut plurimum Cardinalibus S. R. E., vel Romanae Curiae Praelatis, *exclusive*, utpote « ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius » exercens, *cognoscet*, correlative illi disciplinae, quae in Dec. S. C. de disciplina Sacramentorum [1] edicitur: « Inter causas maiores Apostolicae Sedi speciali modo reservatas, dispensationes etiam illae recenseri sunt solitae, quae ad princi-

[1] 7 Mart. 1910. CO. II, 147.

pum regiae stirpis matrimonia referuntur, exclusis ab eiusmodi utenda facultate aliis omnibus Ecclesiae Praepositis ». Addit canon determinationis, quam innuimus, modum clausula: *cui* sub a), b), vel c) *eas* causas singulas *toties quoties* occurrant *Summus Pontifex* personaliter pro tempore *delegaverit* cum necessaria iurisdictione.

S. Congr. de disciplina Sacramentorum sub die 7 Maii 1923 edidit Dec. « de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato », incipiens: « Catholica doctrina » et regulas adiunxit ei, quas « ut ab omnibus ad quos spectat, rite et religiose serventur, iussit (D. N. Pius PP. XI) edi in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis*. (XV, pagg. 389-413). Has non semel citavimus opportune hoc in Titulo, quarum lectio omnium accurata valde commendatur Curiis ecclesiasticis.

In illo Dec.° legitur: « Ut autem Apostolica Sedes (hanc) dispensationem largiatur, duo sibi constare necesse est: matrimonium revera non fuisse consummatum et iustam exstare causam pro dispensatione concedenda.

Quamvis uni tantum Romano Pontifici competat dispensationem concedere, tamen pro indaganda et comprobanda tum asserta matrimonii non consummatione, tum existentia legitimae causae dispensationis, solet Sancta Sedes locorum Ordinariis committere processus instructionem, unde factorum veritas tuto eruatur.

Inde duo consequuntur magni ponderis: primo quod huiusmodi causae, utpote quae non promoventur ab actione iudiciali contentiosa aut criminali, sed ex benigna concessione S. Sedis annuentis oratoris precibus, non sunt vere iudiciales, sed magis gratiosae seu administrativae; quae tamen cum eo spectent, ut Summus Pontifex legitime uti valeat Sua suprema potestate dispensandi super matrimonio rato et non consummato cum plena rerum cognitione, in his veritas inquirenda est non minus religiose ac sedulo, quam in negotiis proprie iudicialibus. Quare quae iudex decernit aut ordinat, vera iussa faciunt quibus parere necesse est; ac inobedientes fiunt contumaces ».

His concinens canon, ac supponens ordinationem Curiae Romanae inductam Const. « Sapienti consilio » Pii PP. X, et substantialiter in Codice retentam, sic prosequitur: *causa* « non vere iudiciales » *dispensationis* iam declaratae *super matrimonio rato et non consummato* non comprehensas sub initio huius canonis, quia ratio illius praescripti desumpta est ex personis, quae proinde in causis de inconsummatione matrimonii dispensandi

dant locum rectae applicationi reg. 34 iuris in 6°: « Generi per speciem derogatur », de aliis vero « exclusive cognoscet » *Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum*, cuius competentiam moderatur can. 249. Huc referenda est declaratio S. Congr. Consistorialis [1] adhuc vigens vi can. 6, 2°, 3°: « utrum causae, quae formali sententia saltem primi gradus, carent et ad sacras Congregationes delatae sunt, remitti possint iure proprio ab ipsis Sacris Congregationibus ad S. Rotam, an potius id ipsis liceat per rescriptum commissionis de mandato SS.mi; E.mi Patres respondendum censuerunt: Exceptis causis dispensationis super matrimonio rato, quas S. Congr. de Sacramentis potest iure proprio remittere ad S. Rotam, ut de facto inconsummationis videat, negative ad primam partem; affirmative ad secundam, cauto ut in commissionis rescripto normae praefiniantur, quibus processus, si deficiat, instruatur ».

Denique illud iam diu observatum et pluribus Sanctae Sedis actibus confirmatum, in ordinatione Romanae Curiae fuit retentum, atque canon idipsum memorat, dum explicit sic: *causas vero quae referuntur ad privilegium Paulinum*, ergo circa matrimonia in infidelitate contracta et post conversionem unius partis legitime dissolvenda vel soluta, *Sacra Congregatio S. Officii* « exclusive cognoscet ».

Cum nonnulli Auctores inveniant huius privilegii applicationem in matrimoniis contractis ad normam can. 1125, atque saltem ob similitudinem facultatis Summi Pontificis, qua usus est in dicto canone condendo, cum praefato privilegio, putamus et horum matrimoniorum causas sub dicta competentia Congr.[s] S. Officii inveniri comprehensas.

Et ne quis putet hunc canonem 1962 undequaque completum de hac materia, reminiscatur oportet commatis sub can. 247, § 3: « Quare quaelibet huiusmodi (circa privilegium Paulinum et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis quaestio ad hanc Congregationem (S. Officii) est deferenda, quae tamen potest, si ita censeat et casus ferat, quaestionem remittere ad aliam Congregationem vel ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae.

516. Consequentiae iuridicae ex praec. canone circa medias causas, recenset *can. 1963*, hac de causa incipiente § *1. Quare nullus* cuislibet gradus et dignitatis *iudex*, propter rationem ex dec. cit. adductam *inferior* auctoritate Sedi Apostolicae *potest* licite aut valide secundum causarum maiorum naturam *processum* de

[1] Romana, 29 Ian. 1909. I, 213.

facto inconsummationis *in causis* circa obiectum *dispensationis super rato* tantum matrimonio *instruere*, quia semper reservatur de ipso facto sententia Sanctae Sedi, *nisi* ad illum solummodo processum *Sedes Apostolica* in praxi per S. Congregationem de disciplina Sacramentorum *facultatem eidem* singulari iudici *fecerit* per commissionem. Haec est generalis norma.

Causa vero parcendi temporis iacturae, statuit § 2 exceptionem, dicens: *Si tamen iudex* a) *competens* iuxta seq. canonem b) *auctoritate propria*, non delegata vel vicaria, quam habet quoque officialis Curiae dioecesanae, *iudicium peregerit* idest: processum iudicialem instruxerit *de matrimonio nullo* praecise *ex capite impotentiae* iuxta libellum introductionis, hoc primo et secundo *ex eo* processu, a) *non impotentiae*, quae probata excluderet dispensationem matrimonii non existentis, *sed* b) *nondum consummati matrimonii* impugnati *emerserit*, ut est multum verisimile ex natura causae, *probatio*, v. gr. deducta ex inspectione oculari, nec refert huius vis, dummodo prudentem iudicem suadeat de absentia istius facti, *omnia acta* apud tribunal inferioris iudicis declarata *ad Sacram Congregationem* competentem ex can. praec. *transmittantur* modo alibi praescripto pro causis appellationis, quae S. Congregatio *iis* peractis absque commissione *uti poterit*, sicuti validis etiam *ad sententiam super rato et non consummato*, sicut assolet, rite *ferendam*.

Quoad probationem in §° 2ª indicatam regula est addita per saepius laudatam S. Congr. (n. 3 § 2): « Si vero probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus instructae (*idest*: *quando emerserint in casu canonis*, *quem commentamur*), habeantur non sufficientes (*ad sententiam*) *iuxta normas* hic positas (*nempe adiunctas Dec.° « Catholica doctrina » supra citato*), eaedem compleantur (*non petita commissione iudici inferiori*) et acta deinde plene instructa ad H. S. C. remittantur ».

Imo eadem S. Congr. providit aliis casibus ibidem N. 4° his verbis: « Pariter si in iudicio in prima aut altera instantia peragendo de matrimonii nullitate, ex alio capite (ex, gr. ex defectu consensus, ex vi et metu, etc.) matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri vel utrique parti, (quin teneatur) libellum porrigere (iudici eidem, sed) Romano Pontifici inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; at (*supposito huiusmodi libello*) quin preces (*sic expressae*) ad hanc Sacram Congregationem remittantur pro obtinenda consueta commissione facultatum, (*quae ex*

canone sunt necessariae), fit potestas iudici, vi huius praescriptionis seu ex delegatione a iure, causam instruendi (tantum) iuxta regulas heic determinatas », cum qua instructa libellum supra dictum transmittetur.

Animadvertatur differentia inter hunc numerum atque praecedentem in his regulis. Quando agitur ex capite impotentiae, debet iudex instruere processum de facto inconsummationis, non requisita voluntate praesumptorum coniugum, quia pars impotens validitatem matrimonii ex illo motivo, sufficienter patefacit voluntatem transeundi ad alias nuptias, vel ut libera declaretur, nec est consultum obligare illam ad servandam cum periculo incontinentiae castitatem, econtra in aliis casibus, pars etiam impugnans matrimonii validitatem, hoc facto tantummodo innuit se velle consulere conscientiae, ut licite valeat cum altera parte convivere, nam potest matrimonii convalidationem curare. Propterea in his casibus, non ex capite impotentiae, debet specialiter dispensationem matrimonii forsan validi expostulare ad praevium processum consequendum.

517. Competentia ordinaria determinatur praescripto, quod sic refert *can. 1964* congruenter ex parte iuri praecedenti. *In aliis* praeter moderatas in can. 1962, *causis* singulis *matrimonialibus iuxta* sensum tituli iam declaratum *iudex*, seu subiectum potestatis iudicialis *competens*, idest: qui ex talis potestatis subordinatione ecclesiastica potest eas licite ac valide cognoscere ac definire *est iudex*, ut supra, ipse quoque officialis Curiae dioecesanae, *loci* contenti intra illius fines, *in quo* a) *matrimonium* singulare, de eius vinculo vel effectibus tractandum est, *celebratum est*, admisso quoad hoc principio: « locus regit actum, *aut* disiunctive pro libitu actoris quoad solas litteras a) et b), b) *in quo* loco *pars convenia*, sive sit uxor, sive maritus, *vel*, *si una sit acatholica*, nempe: haeretica aut non baptizata, c) *pars catholica* quamvis actrix, a) *domicilium* prout ex can. 92-95 determinandum est singulis in casibus *vel* b) *quasi-domicilium*, quae in can. 94 aequiparantur ad hoc, ut « quisque parochum et Ordinarium sortiatur », *habet*. Tres ergo ad summum et duos ad minus iudices invenientur competentes.

Quia vero can. 93 statuit: « (§ 1). Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui », et in § 2°: « potest quasi-domicilium proprium obtinere uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium »; exorta sunt dubia sub n. XIV resoluta authentice a Commissione

Pontificia competente: [1] « 1. Utrum uxor, a viro malitiose deserta, eum in causa matrimoniali, ad normam can. 1964, convenire possit coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii; an vero convenire debeat coram Ordinario domicilii vel quasi-domicilii viri ». Quod evidenter monstrat non agi hic de uxore, quam deseruit vir acatholicus. « Resp. Negative ad 1^am^ partem; affirmative ad 2^am^.

« 2. Utrum actrix catholica, a viro non legitime separata, quae proprium ac distinctum quasi-domicilium habet, virum acatholicum in causa matrimoniali, ad normam can. 1964, convenire possit tantum coram Ordinario proprii ac distincti quasi-domicilii; an vero etiam coram Ordinario domicilii viri. Resp. Cum uxor in casu habeat proprium ac distinctum quasi-domicilium, et sequatur domicilium viri, potest virum convenire coram alterutro Ordinario ».

Quae hucusque declarata sunt non concordant in omnibus casibus iuri praec. sic expresso in n. 2 Instr. S. C. de Prop. Fide [2]: « Coniuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a toro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit. Priori casu quaelibet pars ius accusandi contra alteram ipsi competens, coram Episcopo dioecesis, ubi haec domicilium habet, exercere debet, Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis minime operatur ».

Simili correctioni subest ad normam canonis secunda pars seq. resolutionis antiquae S. C. Officii [3]: « Quis sit Ordinarius coram quo processus in causis matrimonialibus mixtae religionis instituendus sit. R. Coniuges in causis mixtarum nuptiarum subsunt Episcopo in cuius dioecesi pars catholica domicilium habet; et quando ambo sunt catholici quia pars haeretica in Ecclesiae sinum reversa est, subsunt Episcopo in cuius dioecesi domicilium habet maritus ». — Eadem S. Congregatio praefatam declarationem confirmavit [4] in Colonien. addens monitum adhuc practicum: « Quando vero agitur de matrimonio mixto contrahendo cum haeretico separato per divortii sententiam tribunalis civilis

[1] 14 Iul. 1922, CO, XIV, 329. — [2] Collectanea S. Congr. de Prop. Fide, n. 1587. — [3] 30 Iun. 1892. Collectanea S. C. de P. F, n. 1799. — [4] 23 Iun. 1903. Collectanea cit. n. 2170.

ab haeretica, erit Episcopus domicilii partis catholicae, ad quem spectat iudicare an contrahentes gaudeant status libertate ».

Denique propter quamdam connexionem cum canone, quem commentamur, placet referre nonnullas regulas ex his, quas Dec.um « Catholica doctrina » S. Congr. de disciplina Sacramentorum publici iuris fecit. « 7. Quamvis cuilibet fideli integrum est libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

8. § 1. Ordinarius proprius est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo orator domicilium aut quasi domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegitime separata ab altero coniuge, in quo haec pars conventa, dummodo sit catholica, domicilium aut quasi-domicilium habet ». Citatur can. 1964, utpote ad eum habens regula respectum, sed notetur diversitas praescripti prae oculis habenda.

« § 2. Licet tamen oratori recurrere ad Ordinarium loci suae actualis commorationis, qui preces acceptare valet et commendare apud H. S. C., praesertim cum plerique testes audiendi in sua dioecesi degant ».

518. Curanda praevie a iudice praescribit *can. 1965* in similitudinem aliarum praescriptionum, quas inseruit Codex sub Titulo XVIII. Etenim pax et concordia inter fideles promovendae, ut lites diminuantur, potiori ratione sunt optandae inter eos virum et mulierem, qui matrimonium saltem specie contraxerunt, cuius validitas nutare postea dubitatur vel creditur.

Si ergo *matrimonium* sumptum pro contractu iam inito *accusatur*, eo quod permanentia in eo statu invalide inito concubinatum constitueret, sed non ut delictum ad poenam accipitur, a) *ex defectu consensus*, qui multipliciter accidit, *curet* ex canonis praecepto *ante omnia*, ergo quamvis illud motivum proponatur solummodo, quod nondum certo constet, *iudex*, cui libellus exhibetur, *ut monitionibus* quia partes ad illud non sunt obligatae iure *opportunis* propter circumstantias ad convincendam *partem* alterutram, *cuius consensus* in matrimonium necessarius *deesse affirmatur* in accusatione, *ad consensum*, « dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret » (can. 1136) diversimode (can. cit. § 3) *renovandum*, idest: « per novum voluntatis actum in matrimonium quod constet (quodammodo) ab initio nullum fuisse » (can. 1134) *inducat*, et sic pereat accusationis fundamentum.

Prosequitur canon: *si*, ut supra, « matrimonium accusatur » b) *ex defectu formae substantialis* rite quoad validitatem adhibendae, *vel* c) *ex impedimento dirimenti*, quod « graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur » (can. 1036, § 2), *quod dispensari potest*, quia iuris ecclesiastici *et solet* ex stylo Curiae Romanae in casus circumstantiis, saltem post initum contractum, *partes*, quia opus est ut vir et uxor praesumpti consentiant, *inducere studeat* « iudex » supra declaratus pro sua prudentia in casu b) *ad consensum in forma legitima renovandum*, quia « ut validum fiat, (sic) contrahi denuo debet » (can. 1137), *vel* in casu c) *ad dispensationem* praefati impedimenti saltem probabilis *petendam*, et postquam obtinuerint exequutione complendam.

CAPUT II.

De tribunali constituendo.

CAN. 1966. - Firmo praescripto can. 1576, § 1, n. 1, unicus est iudex instructor in inquisitione pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

CAN. 1967. - Sive agatur de nullitate matrimonii, sive de probandis inconsummatione et causis ad dispensandum super rato, citari debet defensor vinculi matrimonialis, ad normam can. 1586.

CAN. 1968. - Defensoris vinculi est:

1.° Examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere;

2.° Articulos a partibus propositos perpendere, eique, quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere;

3.° Animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit.

CAN. 1969. - Defensori vinculi ius esto:

1.° Semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos;

2.° De omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit;

3.° Petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere;

4.° Exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissentiat.

519. Inscriptio capitis et ipsius canones. — Considerandum est nunc *Caput II*, quod innuit propriam esse materiam *De tribunali*, scilicet: sive quod personam principalem quae habeat iurisdictionem in matrimoniales causas, sive quoad aliam perso-

nam, cuius interventus specialiter circa easdem iure requiritur, et adeo necessario, ut secus acta nullitate inficiantur: *constituendo* secundum iuris dispositionem.

Huiusmodi tribunalis ordinatio repetit originem a Bened. XIV in Const. « Dei miseratione » (3 Nov. 1741), qua praescribitur forma et ordo in causis matrimonialibus servandus, et est, sicut aliae eiusdem Pontificis, classica, quapropter etiam in Codice pro maxima ipsius parte immutata remanet, prout ius praecedens ipsa efformabat simul cum aliis posterioribus Curiae Romanae decretis.

Ratio generalis adducta in hac Const. fuit: « ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis (ait Papa Benedictus) desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas ».

Ratio specialis statim sequitur: « § 1. Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit; et quatenus est catholicae Ecclesiae sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis curiis inconsulta nimis iudicium facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota ».

Ad particulares abusus inde secutos descendit relatos in § 2, et adducta responsa ad excusationem continet § 3, quibus omnibus mederi per illius Const.[s] decreta intendit atque consecutus est, quatenus legibus obtineri potest.

520. Iudex unipersonalis admittitur in causis ceteroquin maximi momenti, ut patet ex seq. textu Dec.[1] « Catholica doctrina »: « Alterum dein consequitur, quod alte usque insidere debet in animo iudicum et testium ac praesertim partium dispensationem (super matrimonio rato et non consummato) efflagitantium; videlicet, si res aliter se habeant ac ab oratoribus asseruntur, id est si matrimonium ratum reapse fuerit consummatum, et veritas in processu non detegatur, vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partium et testium, *pontificia dispensatio forte obtenta, utpote suo fundamento destituta, nullius est va-*

ioris; et matrimonio, quod dispensatum ducitur, in suo valore permanente, si partes vinculo matrimoniali se solutas existiment, et aliud matrimonium in facie Ecclesiae ineant, hoc revera est invalidum, proindeque putati coniuges filiique forte progeniti, graviorum malorum vinculis pene inextricabilibus implicantur. *Hoc proinde est solemniter praemonendum a iudice antequam iusiurandum praestetur, et animo reputandum ab omnibus qui in his causis partem habent, praecipue eo momento quo a partibus, a testibus, a peritis, respective, redduntur iuratae responsiones, attestationes, relationes* ».

Non igitur sine ratione, sic incipit *can. 1966. Firmo praescripto* etiam quoad hanc causam non stricte iudicialem *can. 1576, § 1, n. 1*, videlicet: « causae contentiosae de vinculo matrimonii », sicut de ipso vere existenti dissolvendo agitur in causa, quam respicit canon, quem commentamur, sed cuius sententia datur a S. Congr. plenaria Cardinalium de disciplina Sacramentorum, prout ait canon citatus: « tribunali collegiali trium iudicum reservantur ».

Hoc autem « firmo praescripto », ut supra: *unicus* prout « collegiali » opponitur *est iudex* ad normam Dec.[1] « Catholica doctrina » *instructor* causae ipsius *in inquisitione* perficienda probationem ad factum inconsummationis matrimonii plene elucidandum *pro dispensatione* Summi Pontificis impetranda *super matrimonio rato et non consummato*, ut ab oratore affirmatur.

521. Peculiare officium necessarium in his causis fuit introductum Const. Benedictina « Dei miseratione » his verbis: « § 6. Ad officium autem defensoris matrimoniorum huiusmodi.... spectabit ad iudicium venire quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari... Et (§ 7) demum defensoris huiusmodi persona, tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio, sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant ».

In § 10 loquens de causa appellationis, ait: « citato in quolibet iudicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuetur », et adiungit normas de tali defensore apud tribunal diversum huiusmodi seligendo.

Hanc sequutus Constitutionem praescribit *can. 1967. Sive agatur* in causis matrimonialibus a) *de nullitate matrimonii* diffinienda, *sive* b) *de probandis* tum *inconsummatione* in processus

instructione *et causis ad dispensandum* sufficientibus *super rato* tantum matrimonio, ac proinde consequitur, ut una vel aliis deficientibus periclitetur matrimonii validitas apud Ecclesiam manu tenenda prouti ius divinum exigit, *citari* a iudice quocumque vel tribunali et in qualibet instantia *debet* ad initio et « in quolibet actu iudiciali », quia « non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit » (can. 1587, § 1) *defensor vinculi matrimonialis*, qui huius partes assumat, *ad normam can. 1586* loquentis de talis officii constitutione, quem sequuntur alii cum praedicto connexi usque ad finem art. III.

De tali officio pro instructione processus super rato, normae similes huic canoni nunc commentato ex aliis citatis traduntur [1] in Cap. III num.s 13-16, 18, qui necessario tunc praelegendi erunt, atque ex ss. canonibus facile intelliguntur.

522. Obligationes desumptas ex iure praecedenti sic enumerat *can. 1968*.

Defensoris vinculi matrimonii officium *est*:

1°. Examini a) *partium* idest: coniugum praesumptorum, b) *testium* ab utraque parte, vel a seipso ex officio propositorum, *et* c) *peritorum* in causa impotentiae vel de facto inconsummationis consultorum *adesse*, sicut Bened. XIV primo praecepit in § 6, cit. Const.s; pro quo unoquoque examine tenetur ille *exhibere iudici* saltem instructori vel tribunali *interrogatoria* a) *clausa et* b) *obsignata*, ne aperiantur ante ipsum examen, seu c) *in actu examinis* ad quod destinantur *a iudice*, qui debet interrogare *aperienda, et* d) *partibus aut testibus*, tum in causa, tum motivo peritiae exhibitae, *proponenda* per ordinem, uti descripta sint; *novas* respectu obsignatarum *interrogationes* per iudicem faciendas, *ab examine* ex responsis logice *emergentes, iudici suggerere* ab eodem statim faciendas.

Ad praxim horum examen quod attinet, valde modus deservit contentus in Instr. S. C. C. 22 Aug. 1840 his verbis: « Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, aperienda, illo postulante, ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam

[1] Regulae servandae in processibus super matrimonio rato et non consummato, 7 Maii 1923. CO. XV, 394.

de aliis interrogatoriis, super quibus ceteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars, nullitatem matrimonii allegans, comparebit, ut supra dictum, coram iudice, adstante defensore matrimonii et cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a iudice vel a defensore matrimonii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, iudex illud suspendet, ac designabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine, cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus, per signum Cru+cis; dein iudex et defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine ».

Prosequitur canon: « Defensoris vinculi est »: 2° *Articulos*, seu positiones, de quibus altera pars est interroganda, an eas admittat, vel eis contradicat, *a partibus*, tam instante pro nullitate matrimonii, quam altera, ut vidimus, *propositos* a) *perpendere*,

eisque, *quatenus opus sit*, circa contentum aut redactionem, b) *contradicere;* insuper *documenta* contra et pro validitate matrimonii *a partibus* secundum eorum ius *exhibita recognoscere* pariter quoad substantiam, formam et authenticitatem; sic habetur quoque in Instr. S. Congr. S. Officii ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Rituum Orientalium (20 Jun. 1883) [1]: « Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat ».

Ultimo, Bened. XIV ait [2]: « eumque defensorem matrimoniorum oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit ». Canon haec omnia magis distincte refert in praecedentibus et 3° « Defensoris vinculi est »: *Animadversiones* a) *contra matrimonii* in causa *nullitatem* a parte assertam et propugnatam, *ac* b) *probationes* econtra *pro validitate* ipsius matrimonii *aut* relative *pro consummatione matrimonii*, ut iam contractum non dissolvatur, qua ratum tantum, *scribere et allegare* idest: tribunali vel iudici exhibere, ut perpendantur actis inserta, c) *eaque* generaliter *omnia* sic *deducere* in processum, *quae ad matrimonium* alterutrum in eius stabilitate *tuendum utilia* rationabiliter *censuerit*, ac prudenter.

523. Iura officii huius enumerat secundum praecedens ius *can. 1969*, dicens:

Defensori vinculi matrimonialis multiplex iuxta numeros *ius* stricto sensu et ratione officii sui *esto*, veluti hoc canone de novo concessum; cui iuri propter munus est connexa nonnumquam obligatio:

1° Semper quoad tempus perdurantis processus *et quolibet causae* discutiendae vel saltem ante sententiam appellatam *momento*, non obstante quolibet alio canone ipsum non exprimente, a) *acta processus*, « tum quae meritum quaestionis respiciunt, tum quae ad formam procedendi pertinent » (can. 1642, § 1) seu « acta iudicialia », nam subditur: *etsi nondum publicati*, quae publicatio fit de probationibus, quae sunt « acta causae », *invisere*, unde quando partibus idipsum nondum licet; b) *novos terminos*, ultra iure concessos vel a iudice designatos antea, *ad scripta* suo

[1] Tit. II, n. 8. — [2] Const. « Dei miseratione » 3 Nov. 1746, § 6.

iudicio requisita a seipso *perficienda flagitare*, *prudenti* ob circumstantias *iudicis* concedentis *arbitrio*, quod non patitur renisum, *prorogandos*, ergo petitio exhibenda est priusquam illi elabantur;

2° *De omnibus* nulla celata a) *probationibus* cuiuslibet generis, v. gr. instrumentis, testibus, peritia, confessione, *vel* b) *allegationibus* factorum ac iuris *ita* quoad tempus ac modum *certiorem fieri* ob communicationem tribunalis, *ut contradicendi* praefatis singulis *facultate*, hoc in loco concessa, cui accedit obligatio ex can. praec. n.° 3°, *uti possit* tempore utili ad scopum officii sui;

3° *Petere*, atque propter ius debet eidem a iudice concedi, nisi illud fieri absque motivo constet, *ut* a) *alii testes* praeter iam auditos vel propositos *inducantur* per legitimam citationem, *vel* b) *iidem*, semel auditi *iterum examini subiiciantur*, quandocumque partibus non liceret ex canonis vetito, eo quod additur: *processu etiam absoluto* per conclusionem in causa *vel publicato*, c) *novasque animadversiones* circa illos vel eorum testimonia vel alias probationes *edere;*

4° *Exigere*, ita ut eidem satisfaciendum sit, *ut alia acta*, vel peritiae vel transcriptionis documentorum, etc. *quae ipse* proprio marte *suggeserit* equidem pro matrimonii validitate adstruenda, *conficiantur* legitime, hoc casu tantum excepto: *nisi tribunal*, quod est collegiale, *unanimi suffragio* iudicum eius *dissentiat* a defensoris voluntate.

Ita fuerunt ampliata pro novo iure, quae sic constrinxit Instructio « Cum moneat Glossa » S. C. C. (22 Aug. 1840): « Ipsi, qui pro sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat ».

Demum quandocumque agatur « de probandis inconsummatione et causis ad dispensandum super rato » erunt de obligationibus ac iuribus defensoris vinculi hauriendae ampliores et accuratae normae in Regulis a S. C. de disciplina Sacramentorum promulgatae, ac praesertim sub « Cap. IV. De officio iudicis et tribunalis ministrorum » [1].

[1] 7 Maii 1903. CO. XV, 396.

CAPUT III.

De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato.

Can. 1970. - Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio praecesserit.

Can. 1971. - § 1. Habiles ad accusandum sunt:

1.° Coniuges, in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa;

2.° Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis.

§ 2. Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent ius matrimonia accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi.

Can. 1972. - Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio.

Can. 1973. - Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

524. Inscriptio Capitis et huius canones. — Cum ex praecedentibus notum fiat ad quem iudicem sit recurrendum, huiusque tribunal constitutum appareat, logice quaeritur quod *Caput III* pertractat. *De iure* subiectivo, ut noscantur legitimi actores *accusandi* cum significatione valde diversa ab accusatione criminali, *matrimonium* unumquodque iam contractum, velut si talis status matrimonialis in casu non extet propter illius invaliditatem contractus, *et* « iure » *postulandi* ex gratia, quae proinde non debetur, *dispensationem super* matrimonio, quod validum censetur, sed tantum *rato*, quae dispensatio, ut vidimus a solo Rom. Pontifice, ut Vicario Christi concedi potest.

Necessitas accusationis postulationisve, seu exclusio processus ex officio enuntiatur in can. 1970. Quibus competat ius praefatum accusandi can. 1971 ostendit, tum positive, tum negative, succedente can. 1972, qui tempus ad hoc utile praescribit. De altero iure, quod inscriptio memorat est singularis can. 1973.

525. Initium horum iudiciorum manet iuri praecedenti consentaneum. Sic enim legitur in cit. Instr. S. C. S. Officii ad Episcopos Rituum orientalium an. 1883: « 1. Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et iuridica accusatio praecesserit; quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur; in aliis qui sunt iisdem sanguine pro-

pinqui, vel etiam quilibet de populo; ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denunciatio facta fuerit, aut fama, fundamentum veritatis praeseferens, de alicuius impedimenti existentia divulgata sit.

2. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto; si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur ». Hoc vero constituit nunc generalem normam iudiciorum.

« 3. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae ». Et haec sub canone de libelli confectione comprehenduntur.

Ex numero ergo 1° conflatus apparet *can. 1970. Tribunal collegiale*, quia « causae contentiosae de vinculo matrimonii tribunali collegiali trium iudicum reservantur » can. 1576, § 1, 1°, et Congregationi de disciplina Sacramentorum praeest Card. Praefectus, sicut Congregationem S. Officii, cui praeest ipsemet Rom. Pontifex, dirigit Cardinalis Secretarius, quibus adiunguntur Cardinales quos Pontifex eis adscribendos censuerit, cum aliis necessariis administris » (can. 246). Quodlibet igitur horum tribunalium *nullam causam matrimonialem* « de vinculo » vel de dispensatione super rato a) *cognoscere* formalem instruendo processum vel delegando hanc instructionem, *vel* b) *definire* per sententiam et consulendum Ss.mo, *potest* legitime ac valide, *nisi* a) *regularis*, idest: secundum ss. canones quoad personam actoris et ceteras sollemnitates libelli introductorii *accusatio* matrimonii tanquam invalidi, *vel* b) *iure*, idest secundum Regulas S. Congregationis de disciplina Sacramentorum citatas alibi *facta petitio* gratiae dispensationis super matrimonio valido sed rato tantum *praecesserit*. Putamus hoc canone abrogari, quod in numero 1° citato dicitur de iudiciali inquisitione ex officio, quia haec nullum effectum iuris consequi posset ad nullitatem matrimonii decernendam, casu quo impedimentum dirimens non sit natura sua publicum.

526. De actore in his causis specialiter agere oportuit, quia can. 1646 praescripsit: « Quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur », atque in canone praecedenti ex iure praecedenti relatum est: « in aliis impedimentis quilibet

etiam de populo uti accusatores admittebantur », quod mutatum voluit *can. 1971.*

§ *1* praemittit positivam normam. *Habiles*, quia ius habent *ad accusandum* certum matrimonium, sive de invaliditate, sive de obligationibus ex illo auferendis, *sunt*: *1°* *Coniuges*, nempe: illius matrimonii maritus sicut et uxor, *in omnibus* absque limite *causis* iudicialibus a) *separationis* a toro et mensa, *et* b) *nullitatis* definiendae a tribunali ob impedimentum dirimens praevium, ob defectum substantialem consensus vel formae, cum exceptione unius ex coniugibus: *nisi ipsi*, alteruter vel utrumque, *fuerint impedimenti* prosequendae vitae coniugalis vel oppositi validitati matrimonii *causa*, non iam subiectum, ipsum producens defectum vel motivum prohibitionis quoad matrimonium vel obstaculi. Etenim nemini fraus et dolus patrocinare debent.

Quid igitur remedii pro illis, qui matrimonium contraxerunt cum impedimento criminis, utroque patrante? — Videtur respondendum: ipsos coniuges, qui tantum specie tenus sunt huiusmodi, consulere debere propriae conscientiae per voluntariam separationem, sine spe contrahendi utroque vivente, alias nuptias in facie Ecclesiae.

Alex. III in cap. 3 « de divortiis » (IV, 19) X sic decernit: « Porro de Comite Pontini, quod B. uxorem suam absque iudicio ecclesiae dimisit, quia eam cognatam fuisse uxoris defunctae proponit, prudentia tua cognoscat, quoniam si etiam parentela esset publica et notoria, absque iudicio ecclesiae ab ea separari non potuit:... Praeterea de H. qui cognatam suam duxit uxorem: Respondemus, quod non apparentibus accusatoribus et parentela manifesta seu publica existente (quod credibile non est, nisi essent in primo gradu vel secundo) tui officii interest, matrimonia illa, adhibita gravitate, dissolvere quae illicite contracta noscuntur ».

Hoc prudens ac plenum ratione decretum retinet canon, dum « habilis ad accusandum » matrimonium cum praec. declaratione « est », ait: *2°* *Promotor iustitiae*, quia, ut nomen ipsum innuit, curat bonum iustitiae commune observari in dioecesi, auferendo pro posse quae praebent scandalum fidelibus, *in impedimentis* dirimentibus *natura sua*, quia probationes ipsorum extant, v. gr. in consanguinitate, affinitate ex matrimonio, voto, ordine, etc., publicis, « quae nempe probari in foro externo possunt » (can. 1037).

§ *2* praescribit exclusionem, aiens. *Reliqui omnes* fideles, ipseque promotor iustitiae extra praefatos casus, additurque: *etsi consanguinei*, ut iuris praecedentis derogatio exprimatur, quia

motivum cognoscendi melius parentelam excidit propter consanguinitatis restrictionem quoad gradus pro invalido matrimonio, *non habent ius matrimonia* quaelibet contracta *accusandi* velut invalida, ac inde non est accipiendus eorum libellus introductorius causae, *sed tantummodo* b) « habent ius » *nullitatem* cuiuslibet apparentis *matrimonii* a) *Ordinario* loci semper *vel* b) *promotori iustitiae* in casu impedimenti natura sua publici *denuntiandi* seu notam faciendi, ut iudicialiter vel extra iudicium de remedio apto provideatur in bonum coniugum et Ecclesiae. Denunciatio prae se ferat oportet quae n. 3 citatae Instr.[s] S. C. S. Officii anno 1883 expressit de accusatione « ut hoc modo fundamenta (denunciationis) cognoscantur, et via sternatur veritati detegendae ».

527. Tempus utile ad introductionem causae limitat *can. 1972*. Cum [1] « incongruum videatur (ait Alex. III), ut matrimonium genitricis praefati R. impetatur, quod ea vivente non fuit (ut dicitur) impetitum », sic praescribit legislator: *Matrimonium*, quia coram facie Ecclesiae contractum, *quod*, *utroque coniuge* adhuc *vivente*, *non fuerit accusatum*, quando videlicet hoc intererat coniugibus et Ecclesiae, *post mortem alterutrius*, qua solvitur alius coniux a matrimonii lege *vel utriusque coniugis* ex potiori ratione *ita praesumitur validum fuisse*, praesumptione iuris, *ut contra hanc praesumptionem non admittatur* in iudicio *probatio* quaelibet, *nisi incidenter* propter aliam causam principalem, v. gr. de hereditate *oriatur quaestio*, sicut ea, facti species sub cap. 11 [1] « Qui filii sint legitimi » (IV, 17) X: « Pervenit sane ad nos ex insinuatione L. viduae, quod cum inter G. patrem suum, et A. matrem illius, matrimonium fuisset legitime celebratum, et quamdiu vixerunt, quiete permanserunt, post illorum decessum quidam asserentes eam non de legitimo matrimonio fuisse susceptam, a paterna hereditate, tamquam illegitimam amovere conantur: Mandamus itaque, quatenus si est ita, dictam viduam legitimam nuncietis ». Quia illi sunt parentes, quos nuptiae demonstrant.

528. De postulanda dispensatione super rato quid tenendum sit per respectum ad canones huius Capitis ostendit breviter *can. 1973*. *Soli coniuges*, tam maritus quam uxor veri, ut supponitur, et propterea non deturbandi a iuribus consequutis, ius *habent* ante matrimonii consummationem *petendi* solummodo, quia est gratia, etiamsi causae sufficientes existant, *dispensationem*, qua divortium plenum statim fiat, *super matrimonio rato*

[1] Cap. 7 « Qui filii sint legitimi » (IV, 17) X.

quidem seu valide contracto *et non consummato*, « si inter coniuges locum (non) habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro » (can. 1015, § 1), sed « celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, contrarium praesumitur, donec inconsummatio probetur » (ib. § 2).

CAPUT IV.

De probationibus.

Art. I. — *De testibus.*

Can. 1974. - Consanguinei et affines de quibus in can. 1757, § 3, n. 3, habentur testes habiles in causis suorum propinquorum.

Can. 1975. - § 1. In causis impotentiae vel inconsummationis, nisi de impotentia vel inconsummatione aliunde certo constet, debet uterque coniux testes, qui septimae manus audiunt, inducere, sanguine aut affinitate sibi confunctos, sin minus vicinos bonae iamae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam; quibus iudex, ad normam can. 1759, § 3, alios testes potest ex officio adiungere.

§ 2. Testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis quod robur addit depositionibus coniugum; sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur.

529. Inscriptio Capitis et divisio. — Praeter normas peculiares de actore in causis matrimonialibus, harum natura exigit pares normas circa nonnullas personas alias processui necessarias ratione probationum, quae ex illis ad rem haberi queunt: hinc statim subinfertur *Caput IV* inscriptum *De probationibus*, non iam cuiuslibet generis, sed de illis, quae in his causis specialem deposcunt iuris positivam prudentiam. Propter hoc Caput istud duos solummodo articulos continet, quorum *Art. I* est *De testibus*, qui, ut plurimum, designantur opportuniores ex diversa origine nullitatis matrimonii propositae, vel propter maiorem cum coniugibus conversationem. Alter *Art. II* inscribitur *De inspectione corporali*, quibus verbis innuitur illa probatio, quae continet peritiam pro quodam matrimonii impedimento necessaria, et potissimum ad probandum factum, quod ut conditio dispensationi super rato est omnino in tuto ponenda.

530. Inscriptio art. I et duo ipsius canones. — Ex duabus rationibus exigitur haec particularis consideratio. Primum propter coniunctionem inter adductos testes a coniugibus et hos ipsos, quae illos aptiores reddit propter cognitionem de obiecto quaestionis ad lucem maiorem iudici afferendam. Secundo iuxta sin-

gulare impedimentum dirimens aut dispensationem optatam est a iure canonico inducta testificalis probatio plene singularis expostulans diversas iuris cautelas. Hinc per duos canones Articuli I materia est digesta.

531. Peculiares testes in causis matrimonialibus edicit *can. 1974* congruens iuri antiquo. Sic enim generaliter decrevit Clemens III respondens Florentino Episcopo [1]: Quod parentes, fratres et cognati utriusque sexus, in testificatione suorum ad matrimonium coniungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbatur. Ideo enim maxime parentes, et si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam genealogiam, cum testibus et chartis, tum etiam ex recitatione maiorum scire laborat: qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt, et quorum est interesse; ita ut si non interfuerint, et consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium? Quod vero legitur: pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris, in criminalibus causis, et contractibus verum est: In matrimonio vero coniungendo et disiungendo, ex ipsius coniugii praerogativa, et quia favorabilis res est, congrue admittuntur ».

Haec praerogativa et iste favor propter matrimonii ius divinum tectum servandum sunt semper admissa. Iure igitur *can. 1974* sic est redactus. *Consanguinei* propter descensum naturalem ab uno et eodem stipite, sive in linea recta, sive in linea obliqua, et in quocumque gradu, etiam primo, *et* pariter *affines* propter matrimonium unius et consanguinitatem alterius cum tertia persona, *de quibus in can. 1757, § 3, n. 3*, idest: ibi exclusi « consanguineus et affinis in causa consanguinei et affinis, in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut religiosum personae spectant, cuius notitia aliunde haberi nequeat », unde absque his limitationibus, *habentur* in iure *testes habiles*, hac inspecta ratione, *in causis* matrimonialibus quibuslibet *suorum propinquorum*, eo quod uni saltem consanguinitate iungitur testis.

Valde utilia in praxi iudicis censemus alia duo capita Decretalium hic inserenda. Sit primum Decretalis Eugenii III [1]: « Quotiens aliqui propter cognationem propinquitatis separari petuntur: duobus vel tribus testibus adhibitis, qui de eadem consanguinitate supersint: vel totidem senioribus, et melioribus loci eius-

[1] Cap. 3 « Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari » (IV, 19) X. — [2] Cap. 5 « de testibus et attestationibus » (II, 15) X.

dem, id debet legitime comprobari. Probatio autem testium debet fieri duplici iuramento, ut iurent se non privato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo quod habuerint, vel quod habent, vel habituri sunt, ad hoc iurandum inductos: et sicut ipsi dicunt, rei veritatem se accepisse a maioribus suis: et credere ita esse ».

Alias admonitiones prudentia plenas tradit Alex. III Matthaeo Cardinali, in cap. 5 « de testibus et attestationibus » (II, 15) X, unde hanc desumimus: « Super illa vero quaestione quam fecisti, an mulier coniungenda non sit viro, pro eo quod sola mater alterutrius, eos esse consanguineos confitetur: Respondemus quod si non est firmatum matrimonium inter eos, matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent coniungi: quia praesumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero matrimonium est firmatum, non debet sine plurium iuramento dissolvi ».

532. De examine testium septimae manus inscribitur Caput IX in Regulis saepius citatis S. C. de disciplina Sacramentorum, ubi accuratae normae de illis dantur, quae illustrant sequens praescriptum ceteroquin derivatum ex iure Decretalium. Et primo quidem [2] Caelestinus III, postquam probavit Decretum Gregorii, iuxta quod si « mulier per iustum iudicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium » et hoc quidem post triennalem cohabitationem, nunc prudenter abolitam. Sicut etiam ob periculum incontinentiae sane derogatum fuit in praxi quod sequitur: « Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam et si non ut uxorem saltem habeat ut sororem ». Praecipua et practica norma est: « Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis evangeliis uterque iureiurando dicat, quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent: et tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare ».

Bonifacius etiam III eamdem experimenti viam consilians et more temporum iniungens, divortium concessit. Ita enim scriptum est in cap. 7 « de frigidis et maleficiatis » (IV, 15) X: « Muliere autem requirente divortium, et dicente, quod mater esse volebat, et filios procreare: proponente vero viro, quod paratus erat stare consilio Ecclesiae, iniunxistis eisdem, ut agerent poenitentiam de commissis, et sic forte placeret Deo, qui matrimonii fuit institu-

[1] Cap. 5 « de frigidis et maleficiatis » (IV, 45) X.

tor et auctor, ut opus matrimonii consummarent: qui post plures terminos ad vestram reversi praesentiam, consona voce dixerunt, quod non poterant carnaliter commisceri.

Quo circa mandamus quatenus, si ita est, et constiterit vobis, praefatum virum et mulierem, infra praedictos octo annos, per continuum triennium insimul habitasse: ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus iuramento, se commisceri carnaliter nequivisse, proferatis divortii sententiam inter eos ».

Pariter decernit *can. 1975. § 1. In causis matrimonialibus* a) *impotentiae* quoad opus matrimonii consummandi, tum absolutae tum relativae, quae sive ex parte viri, sive ex parte mulieris adfuerit, « quae scilicet naturalibus atque licitis remediis tolli non possit » [2], *vel* b) *inconsummationis*, quae cum illa concordat, differens in causa huius, cum exceptione circa praescripti obligationem: *nisi* a) *de impotentia* in casu *vel* b) *inconsummatione* huius matrimonii *aliunde*, eo quod non cohabitaverint quoad hanc, vel ex testimonio fidedigno medicorum, quos adierunt, quoad illam *constet*, *debet* ex canonis *praescripto uterque coniux testes, qui septimae manus* ab antiquo *audiunt*, quorum « testimonium, ut ipsa denominatio innuit, septem testibus ex utraque parte inductis, hoc est septem ab una et septem ab altera, constare debet » [1], *inducere*, proponendo eos tribunali vel iudici, ut examinentur, a) *sanguine aut* disiunctive *affinitate sibi*, parti eos proponenti, *coniunctos*, « qui praesumuntur magis instructi », quanto sunt « parentes proximiores » (n. 66) [3], « si fieri possit » praeferendos, *sin minus*, idest: in defectu eorum ad complendum forsan numerum, saltem b) *vicinos* coniugum commorationi *bonae famae* propter munus ad quod vocabuntur, *aut* disiunctive *alioquin* idest non vicinos, sed *de re* nempe: de impotentia vel de inconsummatione pro casus diversitate *edoctos* quolibet modo, admonetque S. Congr. de disciplina Sacramentorum pro eius causis: « hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est iudici unum alteri praeferre ».

Cautelae sunt adhibendae in horum testium admissione, requiruntur enim duae in ipsis conditiones: *qui* videlicet: « Testes septimae manus » *iurare possint*, uti de re eis certo perspecta a) *de ipsorum coniugum* a quibus respective inducuntur *probitate* quoad religionem et mores, *et praesertim*, quia magis interest

[1] Instr. S. C. S. Officii ad Episcopos rituum Orientalium an. 1883, tit. VI, art. 5. — [2] Regulae servandae in processibus super matrimonio rato, n. 59. CO. XV, 404. — [3] Instr. S. C. C. « Cum moneat Glossa » 22 Aug. 1840.

causae b) *de veracitate* « coniugum » *circa rem in controversiam* alterutram ex dictis a tribunali definiendam *deductam; quibus* septem ex utraque parte *iudex* tum tribunal collegiale, tum instructionis, *ad normam can. 1759, § 3,* « quoties videlicet publicum bonum id exigat », ut omne periculum laedendi ius matrimoniale divinum evanescat, *alios testes potest ex officio* ad eundem scopum *adiungere* semper, « imo debet, quando scilicet testes septimae manus vel a parte non inducantur, vel tres tantum aut quatuor inducantur, vel ad rei veritatem illustrandam, etsi septem vel plures ab utraque parte producantur, insufficientes sint » [1] (n. 61, 62) « Inductio testium ex officio non est praetermittenda, cum ex actorum instructione ediscitur, alias adesse personas de re controversa edoctas, vel quae alio modo utilem attestationem reddere valent ».

Quoad impotentiae vero causam, quid simile exigunt tum Inst. S. C. Conc. citata, tum Instr. S. C. S. O. ad Episcopos Rituum orientalium anno 1883, in qua sub n. 48 legitur: « Partibus ipsis auditis, examini subiiciantur testes inducti ab iisdem coniugibus, ac primo eorum parentes, quia melius informati praesumuntur, postea vero propinqui, famuli, amici, vicini, et quotquot de re instructi reputantur ». Infra est adiunctum: « Si partes ipsae aut testes deposuerint, pharmaca vel remedia adhibita fuisse, inquiratur de medico vel medicis, qui illa praescripserunt, in iudicium vocentur, et interrogentur » ubi sequitur interrogationes ipsis proponendae, quibus aliud interrogatorium pro aliis testibus praemittitur. Par interrogatorium in altera S. C. C. Instructione inseritur etiam.

Denique in processu instructorio ad probandam inconsummationem interrogationes faciendae sunt publici iuris factae, sub n. XXVII in Appendice, idest: « Praecipuorum actorum formulae, quae utiliter et opportune adhibentur in his causis ». (CO. XV, 415).

Greg. VIII praeposito S. Cataldi [1] rescripsit: « Proposuisti, quod causa matrimonii, quae inter O. de Casanova et S. mulierem vertitur, tibi fuit de mandato Apostolico delegata: cumque partes essent in tua praesentia constitutae, mulier proposuit, se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci: quod tam proprio iuramento quam testimonio septem mulierum probavit, quae per aspectum corporis, eam esse virginem asseverant: viro per iuramentum suum contrarium asserente: et infra. Videtur igitur nobis, quod iuramento puellae, et testimonio illarum septem mulierum

[1] **Cap. 4 « de probationibus » (II, 19) X.**

fides est potius adhibenda ». His concinit § 2. *Testimonium septimae manus* de quo egimus longe in §° praec., *est argumentum credibilitatis*, seu corroborans fidem tribuendam coniugum assertioni, qui rem plene norunt, *quod* proinde *robur addit depositionibus coniugum; sed*, quamvis numerosiores sint, *vim plenae probationis* ad rem certo definiendam *non obtinet, nisi aliis adminiculis* propter circumstantias, v. gr. inspectione corporis in facti specie capitis Decretalium citati, *aut argumentis* aliunde petitis *fulciatur* ».

Quapropter in Regulis S. C. de disciplina Sacramentorum citatis, scriptum est sub n. 60. § 2. « Testes septimae manus, quatenus sunt de credibilitate, eo maiorem sibi conciliant fidem, quo potiora habent documenta de sua probitate. Habendi sunt autem quasi testes *de scientia*, et hinc maximam faciunt fidem, cum referunt se ex coniugibus aut ex proximioribus parentibus, tempore non suspecto, (ut infra, n. 70), didicisse matrimonium mansisse inconsummatum ».

Pariter Instr. S. C. S. Officii saepius laudata sic explicit de impotentiae causa loquens: « His omnibus accurate peractis, si omnia ad assertam impotentiam probandam conspiraverint, Ordinarius pro matrimonii nullitate iudicabit; sin adhuc dubium aliquod supererit, a sententia proferenda abstinebit, et novas ulterioresque investigationes instituendas praecipiet; quas si inire impossibile fuerit, aut si, his non obstantibus, dubium semper remanserit, aut si de matrimonio non consummato dumtaxat, minime vero de alterutrius impotentia constiterit, nec coniuges reconciliari queant, integra causa ad S. Sedem transmittatur, cuius erit opportune providere ».

ART. II. — *De inspectione corporali.*

CAN. 1976. - In causis impotentiae aut incousummationis requiritur inspectio corporis utriusque vel alterutrius coniugis per peritos facienda, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat.

CAN. 1977. - In peritis eligendis, praeter normas in can. 1792-1805 datas, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

CAN. 1978. - Ad periti munus ne admittantur qui coniuges privatim inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis; licet tamen hos tanquam testes inducere.

CAN. 1979. - § 1. Ad inspiciendum virum, duo periti medici ex officio deputari debent.

§ 2. Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant, ex officio designentur; nisi maluerit mulier a duobus medicis ex officio pariter designandis inspici vel id Ordinarius necessarium habuerit.

§ 3. Corporalis mulieris inspectio fieri debet, servatis plene christia-

nae modestiae regulis et adstante semper honesta matrona ex officio designanda.

CAN. 1980. - § 1. Mulieris inspectionem obstetrices vel periti, seorsum singuli, exsequi debent.

§ 2. Singuli medici vel obstetrices singulas relationes conficiant, intra terminum a iudice praefinitum tradendas.

§ 3. Potest iudex relationes ab obstetricibus confectas examini alicuius periti medici subiicere, si id opportunum existimaverit.

CAN. 1981. - Peracta relatione, periti, obstetrices ac matrona, seorsum singuli, a iudice interrogentur, secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos quibus ipsi, praestito iuramento, respondeant.

CAN. 1982. - Etiam in causis defectus consensus ob amentiam, requiratur suffragium peritorum, qui infirmum, si casus ferat, eiusve acta quae amentiae suspicionem ingerunt, examinent secundum artis praecepta; insuper uti testes audiri debent periti qui infirmum antea visitaverint.

533. Inscriptio articuli et canones sub eo. — Quia in his causis de facto agitur, cuius probatio evidens multoties queat deprehendi ex corporis conformatione vel aliquo vestigio, non est mirum quod Ecclesia in re tam gravi propter ius divinum servandum, etiam exquirat illud argumentum veluti accessus iudicialis. Attamen honestas personarum et castitas ipsa cautelas accuratas consulit, et has ius determinavit ut ceteroquin praedicta probatio ad effectum causae vere proveniat. Propter quod *Art. II* fuit necessarius, qui pertractat *De inspectione* per medicos aut obstetrices perficienda *corporali*, quod verbum innuit corpus coniugis qua talis, quatenus ex illa utilitas expectatur ad decisionem controversiae, quae probatio nonnumquam exquiri nequit.

Ius antiquum de hac re explicatum pro praxi continetur in Instructionibus tum S. C. C. sub die 22 Aug. 1840, tum S. C., S. Officii ad Episcopos Rituum orientalium anno 1883, tit. VI, art. 5, atque in Regulis S. Congr. de Disciplina Sacramentorum 7 Maii 1923, Cap. XIII, (Co. XV, 408).

Canon igitur 1976 principium enuntiat de necessitate iuridica inspectionis praedictae. De peritorum electione can. 1977, 1978 agunt positive ac negative; sequentes vero can. 1979, 1980 in specie loquitur de illis pro diversitate coniugis ac de modo tum examinandi, tum relationem exhibendi de his quae in peracta inspectione fuerint deprehensa. Can. 1981 interrogationes peritorum decernit, atque occasione huius peritiae, aliam pro quodam defectu valde diverso, qui matrimonium reddit nullum statuit canon postremus 1982.

534. Necessitas iuridica huius probationis ad definiendas certas causas statuitur cum limitationibus a *can. 1976*, qui refert ius contentum in supradictis Documentis. En textus. *In causis* propter iudicialem formam a) *impotentiae aut* b) *inconsumma-*

tionis tantummodo, *requiritur* iure canonico *inspectio corporalis* ad rem pertinens *utriusque* ut plurimum, *vel alterutrius coniugis*, praesertim viri quoad impotentiam, uxoris quoad inconsummationem, *per peritos* medicos pro viro, obstetrices generaliter pro muliere *facienda*, prout edocent relativa Documenta citata, *nisi ex adiunctis* uniuscuiusque casus *inutilis evidenter appareat*. Hinc Regula sub n. 96 sic decernit: « Inspectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis, in sequentibus casibus: a) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi; b) si certo iam constet de mulieris defloratione ». Similiter in causa impotentiae edocet S. C. S. Officii n. 49: « Haec mulieris inspectio omittenda erit, si ea vidua sit, aut constiterit, post separationem a coniuge, cum quo lis est, aut etiam ante, cum alio viro commercium habuisse ».

Utrum « utriusque vel alterutrius coniugis » inspectio fieri debeat praedicta, eruendum est ex sequentibus textibus. Sic incipit Cap. XIII Regularum: « X. 84. § 1. In causis inconsummationis requiritur uxoris inspectio corporalis, per peritos facienda, uti infra exponetur, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat; quo in casu processus ad exitum erit perducendus ex morali argumento, adminiculis suffulto, seu aliis probationibus ad normam n. 64.

§ 2. Viri corporalis inspectio quae, ut plurimum, valde confert ad tute adstruendum factum inconsummationis, non est praetermittenda cum inconsummatio tribuatur eius impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habeatur probatio ».

Instructio edita a S. C. C. statuit: « Praeterea, quatenus querela super nullitate ex iis sit ut solvi possit matrimonium si coniuges illud non consummarunt (et casus est impotentia), tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti modo perficiendam, instante praesertim defensore matrimonii ».

535. De peritorum designatione generalis norma praemittitur *can. 1977. In peritis*, « per quos inspectio corporalis est facienda » ob can. praec.[m], *praeter normas* etiam quoad hos servandas *in can. 1792-1805* generaliter *datas*, seu in toto Cap. III, Tituli X « de probationibus », ibique declarata, *serventur praescripta canonum qui sequuntur* usque ad can. 1981 tantum, inclusive.

536. Exclusio quorumdam ab hoc munere statuitur sic. *Can. 1978. Ad periti munus* pro corporali inspectione *ne admittan-*

tur a iudice propositi a partibus vel defensore vinculi *qui coniuges*, utrumque vel alterutrum, a) *privatim* idest: non ex iudiciali munere b) *inspexerint* prius ac praecise *circa factum cui innititur petitio* alterutrius *declarationis* a) *nullitatis* ob impotentiam, *vel* b) *inconsummationis* quolibet ex motivo ordinata in dispensationem super rato, quin tamen invalida huiusmodi admissio asseratur, imo adversative adiungitur; *licet tamen*, seu prohibitio non vetat *hos* sic antea determinatos *tanquam testes* etiam « circa factum cui innititur petitio » *inducere* ac consequenter admitti a iudice.

537. Conditiones peritorum positivae definiuntur in *can. 1979* referente ius praecedens Instructionum, quae citatae sunt. § *1* se refert ad inspectionem viri corporalem. *Ad inspiciendum virum* adimplendo praescripta canonum praecedentium, ac proinde semper ac de impotentia agitur et nonnumquam, si fiat de inconsummatione, *duo*, nec plures requiruntur, nec unus sufficit, ut « in ore duorum stet omne verbum » in hac re, a) *periti* quoad hoc propter artem salutarem b) *medici* propter officium huiusmodi civilem, vel saltem testimonium completorum studiorum medicinae, et consequenter viri ambo, *ex officio*, nempe: a iudice, quamvis coniux proponat eos, *deputari* per commissionem huiusmodi actus perficiendi *debent* ex canonis praescripto.

§ 2 statuit. *Ad mulierem vero* in causis tum impotentiae tum inconsummationis non exceptis, ut supra, *inspiciendam* de illaesa virginitate, *duae*, sicut in §° 1ª declaratum est, a) *obstetrices* ob ipsarum civile officium, *quae* mulieres b) *legitimum* idest: iuxta normas civilis societatis *peritiae* in earum arte *testimonium* scriptum *habeant*, *ex officio*, ut manet hoc declaratum in § praec. *designentur* ex can. praescripto a iudice, ut supra; hac concessa exceptione: *nisi* a) *maluerit mulier* inspicienda, in cuius pudoris favorem regula generalis est, *a duobus* viris *medicis ex officio pariter designandis*, sicut « ad inspiciendum virum » praescripsit § 1ª, *inspici vel* b) sine mulieris desiderio, *id* fieri *Ordinarius* loci praecise ob iustam causam *necessarium* esse *habuerit*, ad cuius proinde auctoritatem, non iudicis, pertinet hoc saltem iudicare et melius decernere. Ratio videtur esse ab Honorio III adducta [1]: « quia (ut dicit canon) saepe manus fallitur et oculus obstetricum » imo et « quasdam matronas providas et honestas » falsitatem incurrisse constat ex cap. 6 [2] iuxta Innoc III, « quae tandem in fide sua

[1] Cap. 14 « de probationibus » (II, 19) X. — [2] Tit. « de frigidis et maleficiatis, etc. » (IV, 15) X.

asseruere constanter, quod eadem (mulier in casu) numquam poterat esse mater aut coniux ».

Ad rectum ferendum de illa necessitate iudicium est utile quod scriptum est in cit. Instr. S. C. S. Officii anni 1883, « sub num. 49: « Quod si in aliquibus locis obstetrices peritae non habeantur, et inspectio corporis mulieris omnino necessaria iudicetur; haec medicis peritis honestate atque aetate gravibus committatur, sicut iisdem esset committenda, si observationes ab obstetricibus factae concludentes non reperirentur ».

Demum § 3 congruit plene iuri praecedenti iubens. *Corporalis mulieris inspectio*, alioquin ob necessitatem iuris plane licita, *fieri debet* a mulieribus aut viris praefatis, a) *servatis plene christianae modestiae*, quoad denudationem, tactus, etc. *regulis*, proindeque « sancte in omnibus huiusmodi inspectionibus cavendum erit, ne quidquam agatur, quod divinae legi et castitatis virtuti adversetur » (Instr. S. C. S. Officii, n. 49). Quapropter eadem S. Suprema Congregatio monuit: « Medici et obstetrices, quantum fieri poterit, inter catholicos eligantur; si vero ex his haberi nequeant, tolerari poterit, ut acatholici adhibeantur, dummodo tamen aliunde constet, eos esse probos et honestos, neque a spiritu catholicae religioni infenso duci ». Quae saltem, ut norma directiva sequenda est. Atque ad supra dictam legislatoris monitionem urgendam collimat praescriptum b) *et adstante semper* illi inspectioni *matrona* sic dicta propter matrimonium ab eadem ante annos initum *ex officio* iudicis *designanda*, velut « inter providas et honestas ».

538. Relationes de inspectione moderatur *can. 1980* referens antiquum ius. *Can. 1980. § 1. Mulieris* solummodo *inspectionem* a) *obstetrices* secundum regulam *vel* b) *periti* « medici » iuxta exceptionem, *seorsum singuli*, quamvis successione immediata *exsequi* ad normam § 3 can. praec. *debent* ex canonis huius praescripto.

§ 2. De inspectione tam viri quam mulieris, quia praescriptum generaliter loquitur: *Singuli* a) *medici vel* b) *obstetrices*, quoad modum exsequutionis et praesertim circa ea quae deprehenderunt ad rem pertinentia, *singulas relationes* secundum veritatem a) *conficiant*, b) *intra terminum* dierum *a iudice* causae illius *praefinitum* quando peritos designavit vel postea *tradendas* actuario.

Praeter alia magis particularia de obstetricum relatione, quae continet Instr. S. C. C., sufficiat hic transcribere, quae in Regulis habentur: in n. 93 quoad inspectionem mulieris: « Periti vero perspicue iudicare debent qua via et ratione processerint in per-

agenda inspectione, et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur ». Circa viri inspectionem periti « referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta quae potentiam virilem adstruere aut excludere videantur » (n. 95).

In re tam gravi ac influxum habente circa definitionem causae cavet § 3. *Potest iudex* ad suam instruendam de facto conscientiam *relationes* unam-vel utrasque *ab obstetricibus confectas examini alicuius periti* medici vel chirurgi *subiicere*, « num scilicet iisdem sit fidendum, et num ipsae exhibeant motiva, quae sententiae ferendae solido fundamento sint » (Instr. S. C. S. Officii. an. 1883), vel « ut explicet ex quo repetenda sit contradictio, si periti discordent sive quoad ea quae perlustrando repererint, sive in conclusione finali » (Regulae, n. 93, § 2), *si id* nempe: « examini subicere » *opportunum* forsan alio ex motivo « iudex » *existimaverit* pro suo prudenti iudicio.

539. De interrogatoriis postea sequendis sic refert ius praecedens *Can. 1981. Peracta relatione* multiplici singulorum, de qua in praecedentibus, a) *periti* viri, b) *obstetrices ac* c) *matrona* pro diversitate casuum adhibiti ex officio, *seorsum* a) *singuli* b) *a iudice*, qui eos designavit, *interrogentur*, c) *secundum articulos a vinculi defensore* in his causis interveniente *antea concinnatos* post relationes ab eo examinatas, et qui potest ad has interrogationes parandas capere utilitatem et normam, tum ex Appendice Regularum sub num. XXX, XXXI, tum ex Inst. S. C. C. an. 1840 et S. C. S. Officii an. 1883, tit. VI art. 5, *quibus* « articulis » *ipsi* sub a) b) et c), *praestito* prius *iuramento* de veritate dicenda, *respondeant* ad iudicis interrogationes omnes, etiam forsan additas ex officio.

540. Peritorum suffragium in aliis causis matrimonialibus specialem meretur mentionem. De his agit ultimus *can. 1982. Etiam in causis defectus consensus* matrimonialis *ob amentiam* praecise, non ex « ignorantia, quae post pubertatem non praesumitur » ad normam can. 1082, § 2, *requiratur* a iudice ex canonis praecepto *suffragium peritorum* de « amentia », praeferendique sunt speciales, *qui* a) *infirmum* hoc mentis defectu, personaliter *si casus ferat*, idest: circumstantiae permittant, b) *eiusve acta quae* aliis prudentibus vel communibus personis *amentiae suspicionem ingerunt*, eo quod adsunt frequenter facta, gesta, etc., quae in homine sensato non reperiuntur, *examinent*, experimentum infirmi vel actorum considerationem sumendo, ad concludendum de praedictae infirmitatis existentia, *secundum artis* medicae circa mentis alienationes *praecepta; insuper* seu praeter

illud non omittendum, *uti testes* de scientia *audiri debent* ex canonis iussu, ac proinde citandi sunt ad instantiam vel ex officio, *periti* arte medica vel speciali *qui infirmum* praedictum singularem *antea* respectu causae *visitaverint*, sive huiusmodi visitatio cum fortiori probandi vi praecesserit, sive successerit matrimonium contractum et iudicio subiectum. Et hoc est nova in iure scripto taxativa norma.

CAPUT V.

De publicatione processus, conclusione in causa et sententia.

CAN. 1983. - § 1. Publicato processu fas adhuc est partibus novos testes, ad normam tamen can. 1786, super diversis articulis inducere.

§ 2. Si vero testes iam excussi super iisdem articulis antea propositis denuo audiendi sint, servetur praescriptum can. 1781, integro iure defensoris vinculi opportunas proponendi exceptiones.

CAN. 1984. - § 1. Defensor vinculi ius habet ut in allegando, petendo et respondendo, tam in scriptis quam in defensione orali, audiatur postremus.

§ 2. Quare tribunal ad definitivam sententiam ne deveniat, nisi prius vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse.

§ 3 Si vero ante praefinitum a iudice iudicii diem defensor nihil deduxerit, praesumitur eum nihil iam deducendum habere.

CAN. 1985. - In causis quae spectant ad dispensationem matrimonii rati et non consummati, iudex instructor neque ad publicationem processus neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat, sed omnia acta una cum voto scripto Episcopi et defensoris vinculi transmittat ad Sedem Apostolicam.

541. Inscriptio Capitis et tres canones. — Canon 1903 edixit: « Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum », inter quas sunt causae de statu matrimoniali, ac proinde numquam « praesumptione iuris et de iure habetur definitio sic vera et iusta, quod impugnari directe non possit » ad normam can. 1904, § 1. Fortiori ergo ratione iisdem causis aptari iuste nequeunt canones vetantes post determinatum iudicialem actum novas recipere vel antiquas de novo excutere probationes. Hinc et propter specialis officialis munus in his causis, est additum Caput V agens *De publicatione processus* circa vinculum matrimoniale nullum declarandum vel validum dissolvendum, quae in his causis habet etiam locum, eo magis quod ad elucidandam quaestionem proficiat, *conclusione in causa*, quae praefatum terminum probationum constituit *et sententia* ad quam recte pronuntiandam illi duo actus proxime ordinantur.

Respectu habito ad tria inscriptionis membra, tres canones

positi sunt eodemque ordine. Can 1983 ostendit exceptionem circa publicationis causae effectum, can. 1984 defensori vinculi favet etiam post conclusionem in causa, et can. 1985 vetat sententiae prolationem, cui substituitur alius iudicis actus.

542. De testibus statuit *can. 1983*, casum reg. 34 iuris in 6°: « Generi per speciem derogatur ». § *1. Publicato processu*, seu non obstantibus effectibus tali actui generaliter attributis iure, *fas adhuc est* in specie harum causarum a) *partibus* matrimonii adstantibus iudicio b) *novos testes* seu prius non inductos, etiam non ignotos et potentes advenire, c) *ad normam tamen can. 1786*, scilicet: « caute et ex gravi ratione, omni fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita, et requisito voto defensoris vinculi; quae omnia iudex decreto suo definiat », prout hae clausulae fuerunt ibidem declaratae, d) *super diversis* quoque *articulis*, vel uno alterove *inducere*. Ex consequenti sunt his servatis a iudice admittendi ad examen iudiciale.

§ 2. *Si vero testes* a) *iam excussi* iudicialiter hac in causa, b) *super iisdem articulis antea propositis* eorum examini, alioquin novi testes censendi forent, et sic *denuo audiendi sint* in causa, « parte postulante aut ex officio, si iudex id necessarium vel utile ducat », canon iubet: *servetur praescriptum can. 1781*, qui subiungit post citata verba: « dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum », propter quod et alias forsan existentes rationes, canon sic explicit: *integro iure* multiplici can.s 1969 *defensoris vinculi* ac praecipue *opportunas* propter fundamentum *proponendi* iudicialiter *exceptiones* huic admissioni testium iam excussorum, quae perpendendae erunt a iudice ac reiiciendae vel admittendae modo legitimo.

543. Ius defensoris matrimonii singulare in hoc processus stadio est, quod enuntiat *can. 1984* sub § *1. Defensor vinculi* matrimonii *ius* stricte dictum *habet ut* a) *in allegando* probationes textusque iuris, b) *petendo* v. gr. auditionem testium, examen medici circa relationes peritorum, etc. *et* c) *respondendo* circa ea, quae contra matrimonii vinculum militent, *tam* a) *in scriptis* praesertim ante publicationem processus *quam* b) *in defensione orali* solita fieri post illam publicationem, *audiatur postremus*, ne quidquam in favore matrimonii fortassis adducendum praetermittatur.

Ex tali praecepto exurgit correlativa obligatio, quam edicit § 2 incipiens: *Quare tribunal* « collegiale » in can. 1970 declaratum, nam « ad maiorem suffragiorum partem sententias ferre debet » (can. 1577, § 1), *ad definitivam* pro vel contra matrimonii validitatem vel inconsummationem *sententiam* exarandam nec de-

cidendam *ne deveniat, nisi prius* a) *vinculi defensor* verbotenus, sed formaliter *interrogatus* b) *declaraverit* praecise *sibi nihil* a) *deducendum* quoad ius allegandi, *vel* b) *inquirendum* respectu sui iuris ad petendum *superesse*.

Par fuit ius constitutum in Instr. S. C. C., ubi legitur breviter dictum: « Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferet Episcopus ». Atque similiter in Instr. S. C. S. Officii sub nn. 20, 21, est decretum: « Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur... — Publicato processu, locus fiet defensionibus, quas partes ad sua iura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores, quos maluerint... Allegationes autem, si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat ».

Nec aliter loquitur Regula 98 S. Congr. de disciplina Sacramentorum. En verba § 1: « Clauso processu, vinculi defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones conficere debeat, in primis animadvertens an *Regulae* hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne ». Et statim subdit § 2: « Deinde acta omnia, una cum voto scripto Episcopi... et defensoris vinculi, transmittantur ad hanc Sacram Congregationem ».

Denique ut defensor matrimonii moras texere non valeat quolibet ex praetextu in sui iuris usu, cavet § 3, canonis, quem commentamur. *Si vero ante praefinitum a iudice iudicii* finiendi per sententiam *diem defensor nihil deduxerit*, etiamsi contrariam declarationem « interrogatus » dederit, *praesumitur eum nihil iam deducendum habere*. Ex quo praescripto eruitur tempus utile defensori praefato adesse semper ante sententiam, quidquid « interrogatus » responderit.

544. Vetitum in hoc stadio pro certis causis edidit *can. 1985* in natura earum fundatum. *In causis quae spectant ad dispensationem* Summi Pontificis propriam *matrimonii rati et non consummati* coram Ecclesia contracti, *iudex instructor*, qui est unicus atque a S. Congregatione delegatus vel a iure in casibus, a) *neque ad publicationem processus*, prout in iudiciis requiritur, b) *neque ad sententiam* de obiecto processus, scilicet: *super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum*, quia haec reservatur praefatae S. Congr.[1] de disciplina Sacramentorum, *deveniat, sed* prout vidimus in cit. Regula 98, § 2, a) *omnia acta*, sive pro-

cessus sive causae, b) *una cum* duplici *voto scripto Episcopi et defensoris vinculi* matrimonii, *transmittat ad Sedem Apostolicam* iuxta sensum can. 7.

« Nihilominus, (invenimus sub § 2 n. 97 Regularum) si partes aut harum altera, post conclusionem, petant sibi ostendi vel testium nomina aut eorum responsiones vel aliquod documentum, idque postulent gravi de causa, iudex, audito defensore vinculi, necnon parte cuius intersit, si casus ferat, hoc indulgere valet, intra limites tamen probatae necessitatis et excluso quovis periculo collusionis et corruptionis; de publicatione autem processus aut alicuius partis, expressa mentio in actis facienda erit ».

CAPUT VI.

De appellationibus.

Can. 1986. - A prima sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, vinculi defensor, intra legitimum tempus, ad superius tribunal provocare debet; et si negligat officium suum implere, compellatur auctoritate iudicis.

Can. 1987. - Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi.

Can. 1988. - Decreta matrimonii nullitate, Ordinarius loci curare debet, ut de ea mentio fiat in baptismorum et matrimoniorum regestis, ubi matrimonii celebratio consignata invenitur.

Can. 1989. - Cum sententiae in causis matrimonialibus nunquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae, si nova asgumenta praesto sint, retractari semper poterunt, firmo praescripto can. 1903.

545. Inscriptio Capitis et canones. — Bened. XIV enarrans in sua Const. « Dei miseratione » (3 Nov. 1741) abusus, qui invaluerant in populo christiano adversus matrimonii indissolubilitatem, hac teoretice intacta, inquit sub §° 3ª: « Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum iudicum (in sequentibus explicata); partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in iudicio comparcat, (quod nostris quoque diebus accidere cernimus coram Sacra Romana Rota), et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in iudicium venientibus, alter qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, sententia de matrimonii nullitate prolata, nullus est, qui ad superiorem iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se con-

cordes sunt, et invicem colludentes, contractum matrimonium dissolvi cupiunt, (ad quod etiam nunc sequendum natura impellit corrupta); vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a iudice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus ac causam post primam sententiam deserit, (quod etiam nunc pertimescendum erit). Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat ». Ad quod postremum leges hodiernae civiles de divortio et prava quae inde proveniunt exempla catholicos etiam excitarent.

Ut radicem evelleret Bened. XIV condidit leges speciales pro causis matrimonialibus, quae adeo fuerunt ratione fulcitae et efficaces, ut usque ad nos pervenerint et in Codice *Caput VI* servat tractans *De appellationibus*, quia hoc iuridicum institutum muniri oportuit validioribus legibus, quae ipsius corroborarent vigorem.

Propterea can. 1986 imponit appellationem, quandocumque prima sententia fuerit lata contra matrimonii validitatem, et consequenter can. 1987 de effectu alterius sententiae decernit. Ut hic effectus maneat expressus ac pro opportunitate facilis cognitu cavet faciendum can. 1988, dum can. 1999 memorat privilegium harum causarum propter iuris divini reverentiam, quod ex humana nescientia laedi posset de facto.

546. Appellatio ex officio facienda est, prout *can. 1986* iubet secundum Const. Bened. XIV « Dei miseratione » (3 Nov. 1741) sub § 8 his verbis: « Itaque si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse etiam (defensor matrimonii) ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur si a iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provocabit ».

Ita etiam ex canonis praescripto. *A prima sententia* lata per iudicem quemcumque inferiorem vel S. Rotam Romanam, tam ordinarium tribunal, quam delegatum, *quae matrimonii* cuiuslibet *nullitatem declaraverit*, nam ex contractu nullo processit, *vinculi defensor* semper interveniens in causa, *intra legitimum tempus*,

idest: « coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae » (can. 1881), et « coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione » (can. 1883), *ad superius tribunal* eo, quod sententiam tulit, vel aequipollenter in Sacra Romana Rota ad alium turnum, *provocare debet* iuxta inscriptionem Capitis, seu per appellationem; *et si negligat;* idest: moram trahat sic, ut immineat periculum fatalia labendi, intra quae *officium suum implere* debet ex prima canonis parte, ad hoc *compellatur* poenis *auctoritate iudicis.*

547. De appellatione a secunda instantia haec habet Const. Benedictina saepius citata (sub §§ 10, 11): « Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodiantur...

Quod diximus de Sacra Romana Rota constat ex § 14 cit. Const.s. vigente ad normam Legis propriae illius Sacri Tribunalis. « In Palatii Nostri Auditorio, unica sententia super eadem (matrimonii) nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed... a praefato (vinculi) defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint ».

Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit... Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nup-

tias,... causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato et audito defensore matrimonii, qui a iudice tertiae instantiae deputatus fuerit ».

Haec omnia explicite vel implicite tradit *can. 1987. Post secundam* numero *sententiam, quae matrimonii* alicuius de facto contracti *nullitatem* iuridicam *confirmaverit*, tum respectu praecedentis sententiae nullitatem huiusmodi pronunciantem, tum, quia non est solum revocativa sententiae pro validitate datae in causa appellationis, *si defensor vinculi* secundum officium suum *in gradu* secundae vel ulterius *appellationis pro sua conscientia* informanda exemplis a Bened. XIV superius adductis, *non crediderit esse appellandum*, atque aliunde appellatio non subsequatur interposita a parte, quae pugnet pro matrimonii eiusdem validitate, a) *ius* viro et mulieri *coniugibus*, sic vocatis propter contractum matrimonialem de facto initum, *est*, attento solum vinculo, a quo fuerunt declarati soluti, *decem diebus a sententiae denunciatione* ipsis ac defensori matrimonii, ut de hoc expresse supponit canon, facta *elapsis*, sub quo tempore denunciationis « dies ne computetur » (can. 34, § 3, 3°), c) *novas nuptias contrahendi* valide, ac servatis servandis licite. Interpretatio data supponit: « in dubio (saltem), a veteri iure non esse recedendum. (can. 6, 4°).

548. Obligatio Ordinarii loci inde consequens nova est, quam imponit *can. 1988* consequens logice aliis iuris novissimi praescriptis. *Decreta*, sive per veram sententiam iudicialem, sive per Decretum extraiudiciale, sive per dispensationis super rato rescriptum, *matrimonii* de facto, aut valide contracti *nullitate* praesertim declarata, sed intelligendum quoque de eadem propter vinculi dissolutionem legitimam a S. Pontifice concessam, *Ordinarius loci* (can. 198, § 2) de tali decisione factus conscius *curare* per Curiam aliumve, vel epistolam *debet* vi huius canonis, *ut de ea*, vel per sententiam, vel per Decretum, vel per rescriptum, certa nullitate sequuta, *mentio fiat*, ac proinde sufficit innuere vinculum inter talem virum ac talem mulierem non subsistere, sed oportet addere notitiae originem, *in* a) *baptismorum et* b) *matrimoniorum* libris duobus distinctis (can. 470, § 1) quos « habeat parochus », seu *ubi*, ad normam sive can. 1103, § 1, sive can. 1107, *matrimonii celebratio* sub forma canonica *consignata invenitur*. Ita fiet, ut testimonio baptismi aut matrimonii expetito simul constet de illius viri aut mulieris libertate ab statu matrimoniali.

549. Conditio iuris supra recogniti coniugibus ex natura causarum fuit adiungenda hoc in loco, sicut eam continet *can. 1989. Cum sententiae* etiam duae conformes *in causis matrimonialibus*. « intra utile tempus non appellata » secunda (can. 1902 1°, 2°) *numquam transeant in rem iudicatam*, quod supponitur verum ex can. 1903, ibidem declarato, *causae ipsae* ex consequenti, et non obstante quod « ius coniugibus est novas nuptias contrahendi » ad normam can. 1987, *si nova argumenta sint*, proinde non considerata in processu anteacto, *retractari semper* idest: non obstante novo matrimoniali contractu, quod alteruter vel uterque coniux inierit, et quolibet transacto tempore, *poterunt*, quin ulla inde obligatio idpsum faciendi vel defensori matrimonii vel alicui ex coniugibus imponatur, *firmo praescripto can. 1903*, quod est: « ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis ».

Idem iam monuerat Bened. XIV in sua Const. « Dei miseratione » edicens sub § 11: « Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, delegatur, resumi possunt, et rursus in controversiam iudicialem revocari ».

Imo ex tali enunciato privilegio, praescriptum canonis urget quoque in casibus, qui similes inveniantur cum sequenti facti specie. Ait Alex. III [1]: « Lator praesentium sua nobis insinuatione monstravit, quod cum quamdam mulierem legitime despondasset, et carnalis esset copula subsecuta, inter eos scandalum est subortum, cuius occasione debitum ei subtraxit: consanguinei vero mulieris, hoc molestum habentes quaestionem moverunt: proponentes, quod mulierem invitam et renitentem, nec aetatis aptae matrimonio existentem, duxisset uxorem: et quoniam idem vitam cupiebat agere dissolutam, demum utriusque studio interveniente, fuerunt minus rationabiliter separati.

Nolentes igitur matrimonia canonice contracta, levitate quadam dissolvi: Mandamus, quatenus si vobis constiterit eos per iudicium ecclesiae non fuisse legitime separatos, ecclesiamque deceptam, ipsos faciatis sicut virum et uxorem insimul permanere ».

[1] Cap. 7 « de sententia et re iudicata » (II, 27) X.

CAPUT VII.

De casibus exceptis a regulis hucusque traditis.

CAN. 1990. - Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de exsistentia impedimenti disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis, simulque pari certitudine apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus hucusque recensitis, poterit Ordinarius, citatis partibus, matrimonii nullitatem declarare, cum interventu tamen defensoris vinculi.

CAN. 1991. - Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit impedimenta de quibus in can. 1990 non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse, provocare tenetur ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu excepto.

CAN. 1992. - Iudex alterius instantiae, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet eodem modo de quo in can. 1990, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris, quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.

550. Inscriptio capitis et huius tres canones. — Can. 21 loquens de legibus ecclesiasticis edixit: « Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit ». Porro scimus mala, quorum periculis voluit Bened. XIV obviare per speciales normas, quae statutae ab eodem usque nunc et in Codice sunt quoad vigorem praeservatae. Diffitendum autem non est, nonnunquam accidere controversias de vinculo matrimoniali, quod contractum fuit evidenter cum impedimento dirimenti, vel sic accidisse facilis esse probationis. Verumtamen ob dictam rationem essent adhuc servandae leges a Bened. XIV primo conditae. Sed revera in his casibus nonnisi cum temporis iactura expectaretur dissolutio apparentis vinculi: et si hoc evenire putandum esset semel, iterum, vel raro, non aderit motivum cogens exceptionem statuendi per legem, nam [1] « iura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his, quae ut plurimum accidunt, non quae ex inopinato ». Experientia tamen compertum est hos exceptionales legis defectus adesse frequentes, unde peculiare ius debuit dari. Propterea subsequitur *Caput VII. De casibus* iure *exceptis* circa matrimonii vinculum dissolvendum declaratione *a regulis hucusque* in hoc nempe Titulo *traditis*.

Hoc ius obiectivum tradit can. 1990, cui succedit can. 1991

[1] l. 3 tit. 3. ff.

admittens ac iubens defensoris vinculi provocationem ad superiorem iudicem, cuius praxim servandam statuit can. 1992.

551. Casus excepti sunt tantum, quos recenset *can. 1990*, et cuius commentarium magis conveniens erunt verba Dec. S. C. S. Officii [2] sub die 5 Jun. 1889, et quod esse generale respondit eadem S. Suprema die 14 Feb. 1894. *Cum* taxative *ex* a) *certo* quoad exsistentiam et tenorem *et* b) *authentico* quoad signa quibus ornatur excluditur falsitas ipsius, sive originale sit, sive transumptum, a) *documento*, quia mentem edocet de aliquo sequenti facto, *quod* b) *nulli contradictioni* bene fundatae de ipsius assertione *vel* disiunctive *exceptioni*, quam in casu considerato pati posset *obnoxium sit*, *constiterit de exsistentia*, quando matrimonium fuit contractum nec fuisse postea convalidatum, quod erit absdubio asserendum, si permaneat usque ad litem exsistentia *impedimenti* dirimentis matrimonii, super quo Ecclesiae auctoritate dispensatum non fuerit » a) *disparitatis cultus*, seu « evidenter constat unam partem esse baptizatam, (post Codicem: « in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversam » can. 1070, § 1), et alteram non fuisse baptizatam », b) *ordinis*, seu « clerici in sacris ordinibus constituti » (can. 1072), c) *voti sollemnis castitatis*, seu religiosi viri aut mulieris « qui vota sollemnia professus sit » (can. 1073), adiunctorum, his quae in Decreto S. Officii enumerantur, equidem ob parem rationem cum impedimento d) *ligaminis*, « et certo constat primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere », e) *consanguinitatis*, tum post Codicem « in linea collaterali usque ad tertium gradum inclusive » (can. 1076, § 2), tum ante Codicem usque ad quartum gradum inclusive vi cap. 8 « de consanguinitate et affinitate » (IV, 14) X, tum semper « in linea recta inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales » (can. 1076, § 1), f) *affinitatis* ad normam can. 97, « quae oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato », priusque decretum est: « ex copula licita », quae posset adesse in matrimonio putativo saltem in utraque parte, quod revera fuisset invalidum, et quoad gradus: ante Codicem: usque ad quartum gradum, post Codicem « usque ad secundum gradum inclusive » in linea collaterali (can. 1077, § 2), eo quod in linea recta semper in quolibet gradu, a) *aut cognationis spiritualis*, ante Codicem ex baptismo et confirmatione, inter baptizatum aut confirmatum alterutriusque partes, ex una parte atque correlative patrinos baptizati aut

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 1706 cum nota.

confirmati, post Codicem: inter baptizatum cum baptizante et patrino iuxta can. 1709, *simulque pari certitudine*, idest: ex testimonii authentici defectu, cum agatur de actu non posito, « ex certis argumentis (quae nulli contradictioni vel exequitioni obnoxia sint, ut supra declaratum fuit) evidenter » *apparuerit dispensationem*, quae necessaria erat ut validum vel convalidatum matrimonium esset, *super his* singulis *impedimentis* in contrahendo existentibus, *datam* cum effectu *non esse*, *hisce in casibus* solutionis facilis, ut patet, a) *praetermissis sollemnitatibus hucusque* in hoc titulo *recensitis*, « semper tamen forma iudicialis quoad substantialia servari debet » ex Dec. S. C. S. Officii (die 10 Jun. 1896) [1], « quod profecto praestari a nemine poterit, nisi prius habita speciali ac regulari delegatione ». Proinde *poterit Ordinarius* loci ad normam can. 198, § 2, excluso Vicario Generali ob can. 1573, vel alter ex eius commissione, b) *citatis partibus*, ut cognoscant causam et opponenda proferant, c) *matrimonii* cum aliquo ex praefatis impedimentis contracti *nullitatem* usque tunc permanentem *declarare*, d) *cum interventu tamen*, uti exceptio clausulae « praetermisis sollemnitatibus... recensitis », *defensor vinculi*, prout hic interventus est in praecedentibus moderatus.

Canon memorat solummodo impedimenta, quae optime distinxit Codex a defectu formae substantialis matrimonii. In Decreto autem generali Sti Officii casibus adnumeratum fuit: « vel de impedimento clandestinitatis in locis ubi decretum Trident. *Tametsi* publicatum est vel uti tale diu observatur ». Quid igitur de hac decisa Decreti clausula sentiendum? — Haec fuit omissa, utpote inutilis post aliquod tempus, quatenus Decreto *Tametsi* suffectum sit aliud S. C. C. Decretum « Ne temere » S. C. C. [2] ubilibet servandum ac proinde evidentem fieri concubinatum, si huius vel Codicis praescripta de hac forma praetermittantur.

Si vero dubium exoriatur de legitimitate illius formae servatae, quaestio ut plurimum erit subtili disquisitioni subiicienda, quapropter normae ipsam quaestionem respicientes erunt servandae. Confirmatur prima solutionis pars per casus authentice declaratos a Commissione Pont. ad canones authentice interpretandos, sequentibus responsis [3]:

« 17. Utrum Ordinarius, praetermissis iuris sollemnitatibus in Constitutione Apostolica « Dei miseratione » requisitis, matrimonium possit declarare nullum cum interventu tamen defen-

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide n. 1940. — [2] 2 Aug. 1907. — [3] 16 Oct. 1919. CO. XI, 479.

soris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia, hisce in casibus, nempe:

1) Si duo catholici, in loco certe antheac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Trid., vel post Decretum *Ne temere*, matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et, obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium vel novum matrimonium, civiliter initum, in foro Ecclesiae convalidare.

2) Aut catholica pars, quae cum acatholica, spretis Ecclesiae legibus, in templo sectae protestanticae (in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, et ubi Benedictina declaratio extensa non est, vel post decretum *Ne temere*) matrimonium contraxit, obtento civili divortio, in facie Ecclesiae novum matrimonium cum catholico consorte inire vult.

3) Aut apostatae a fide catholica, qui in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, obtento civili divortio, poenitentes ad Ecclesiam redire et cum parte catholica alteras nuptias in Ecclesia celebrare desiderant.

Resp.: Casus supra memorati nullum iudicialem processum requirunt aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a Parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 et seqq. ».

552. De appellatione facienda ex officio cavet *can. 1991* congruens Dec.° S. C. S. Officii [1], quae respondens: « Provisum per Decretum S. R. et U. Inquisitionis 5 Iun. 1889 (supra relatum per particulas), quod intelligendum est tantum de causis, in quibus certo et evidenter constet de impedimentis, de quibus agitur; quae certitudo si desit, a defensore vinculi matrimonialis ad secundam instantiam procedendum erit ».

Eapropter consequens Codex canoni praecedenti statuit. *Adversus hanc declarationem* de matrimonii nullitate *defensor matrimonii* interveniens, sub conditione *si prudenter* propter adducta et circumstantias *existimaverit* iuxta propriam conscientiam a) *impedimenta* singula septem *de quibus in can. 1990* actum est *non esse* (illud occurrens in causa) *certa*, sicut ibi declaratum fuit requiri, *aut* disiunctive b) *dispensationem super eisdem* singulis, ut statim prius, *probabiliter intercessisse*, ita ut matrimonium fuisse valide contractum vel postea convalidatum debeat iudicari, vel accurato iudicio perpendi, *provocare tenetur* ex officio suo *ad iudicem secundae instantiae* respectu Ordinarii,

[1] 27 Mart. 1901. Collectanea S. C. de P. Fide, n. 2105.

qui « matrimonii nullitatem declaravit », quod supponitur fuisse per veram iudicii sententiam, et hoc adnotetur, *ad quem* a) *acta* iudicialia *sunt transmittenda* legitime, b) *quique* iudex secundae instantiae *scripto* officiali *monendus est* in hac causa *agi de casu excepto*, subintelligendo inscriptionem huius capitis.

553. Munus iudicis ad quem in his casibus praescribit *can. 1992. Iudex alterius instantiae*, eo quod supponitur primam praecessisse instantiam iudicii cum sententia, et qui erit secundum generales iudiciorum normas cognoscendus singulis in causis huiusmodi, *cum solo*, excludendo partes, *interventu defensoris vinculi* apud eius tribunal constituti, *decernet*, visis actis et *eodem modo* iam declarato quoad obiectum examinandum et formam servandam, *de quo in can. 1990*, nempe: « praetermissis sollemnitatibus usque tunc recensitis », a) *utrum sententia*, hoc est: « legitima pronunciatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definivit » (can. 1868, § 1), *sit confirmanda*, circa matrimonii nullitatem declarandam b) *an potius procedendum in causa* huic iudici per defensoris vinculi provocationem delata *sit ad ordinarium*, unde forma casus excepti recte vocaretur extraordinarius procedendi modus, *tramitem iuris* « de causis matrimonialibus » constituti, *quo in casu* postremae decisionis a iudice prolatae *eam* causam *remittit* hoc ordinario modo pertractandam vi praefatae sententiae in secunda instantia, *ad tribunal* (unum cum Episcopo) *primae instantiae* a cuius Ordinario provocatum fuerat.

TITULUS XXI.

De causis contra sacram ordinationem.

CAN. 1993. - § 1. In causis quibus impugnantur obligationes ex sacra ordinatione contractae vel ipsa sacrae ordinationis validitas, libellus mitti debet ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum vel, si ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad Sacram Congregationem S. Officii; et Sacra Congregatio definit utrum causa iudiciario ordine an disciplinae tramite sit pertractanda.

§ 2. Si primum, Sacra Congregatio causam remittit ad tribunal dioecesis quae clerico propria fuit tempore sacrae ordinationis, vel, si sacra ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad tribunal dioecesis in qua ordinatio peracta fuit; pro gradibus vero appellationis standum praescripto can. 1594-1601.

§ 3. Si alterum, ipsamet Sacra Congregatio quaestionem dirimit, praevio processu informativo peracto a tribunali Curiae competentis.

CAN. 1994. - § 1. Validitatem sacrae ordinationis accusare valet clericus peraeque ac Ordinarius cui

clericus subsit vel in cuius dioecesi ordinatus sit.

§ 2. Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere.

CAN. 1995. - Ea omnia, quae tum in Sectione Prima huius Partis, tum in peculiari titulo de processu in causis matrimonialibus sunt dicta, servari etiam debent, congrua congruis referendo, in causis contra sacram ordinationem.

CAN. 1996. - Defensor vinculi sacrae ordinationis iisdem gaudet iuribus iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis.

CAN. 1997. - Quamvis actio instituta fuerit non super ipsamet sacrae ordinationis nullitate, sed super obligationibus tantum ex ipsa sacra ordinatione exsurgentibus, nihilominus clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus.

CAN. 1998. - § 1. Ut clericus liber sit ab obligationibus quae a vinculo ordinationis manant, requiruntur duae sententiae conformes.

§ 2. Quod ad appellationem attinet, in his causis serventur praescripta can. 1986-1989 de causis matrimonialibus.

554. Inscriptio Tituli et canones. - Quamdam momenti paritatem cum causis matrimonialibus sortiuntur aliae propter utrarumque obiectum. Matrimonium et sacra ordinatio in se ferunt vinculum, sed quod ab invicem sunt iure incompatibilia in occidentali Ecclesia quoad iura et obligationes ex illis profluentia. Sacrae etiam ordinationis vinculum, quo divino ministerio quis mancipatur in presbyteratu et diaconatu certe iure divino constat, quia character in ritu sacrae ordinationis est indelebilis, et parem stabilitatem Ecclesia tribuit sua disciplina ordini subdiaconatus. Denique sicut in matrimonio contracto, apud Ecclesiae forum, vel declaratur eius nullitas, vel inde ortae obligationes ac iura magis vel minus relaxantur legitime in casibus, non aliter accidit quoad iuris sequelas ex sacra ordinatione huiusque validitatem.

Non est igitur mirandum si modus procedendi a Bened. XIV pro causis matrimonialibus editus fuerit decursu temporis extensus similiter ad causas, et Codex subiecit *Titulum XXI*, qui tractet *De causis* iudiciali forma deffiniendis propter maximas praesertim ex presbyteratu consequentias, quae in populum fidelem et in Ecclesia derivantur; videlicet: *contra sacram* stricto sensu *ordinationem*, seu collationem-receptionem « ordinum maiorum », sicut « ex contextu verborum eruitur » (can. 950), nam ordinum minorum dubia faciliori eluuntur vi can. 211, § 2.

Can. 1993 normas statuit praevias de modo has quaestiones elucidandi. Hoc praevie deffinito ad has causas progrediens legislator accusatorem designat can. 1994, normas in his causis servandas edicit can. 1995, de vinculi defensore est can. 1996, et postquam prohibitio ad cautelam iubenda praescribitur in can. 1997, ultimus canon moderatur vim sententiae atque appellationis institutum in his causis.

555. Duplex procedendi modus eruitur ex Const. « Sapienti consilio » Pii PP. X [1]. Sic enim scriptum est: « Quaestiones quoque de validitate Sacrae Ordinationis aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio (de disciplina Sacramentorum) dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad sacrae Romanae Rotae tribunal remittat ».

Huic statuto consonat *can. 1993. § 1* evolvit sic praescriptum. *In causis*, eo quod subiungitur agi de controversia, *quibus impugnantur*, ut plurimum ab ordinato in sacris, a) *obligationes* omnes, officii divini praesertim recitandi atque caelibatus custodiendi, *ex sacra ordinatione*, seu maioris ordinis cuiuslibet receptione, v. gr. quia « metu gravi coactus ordinem sacrum recepit » (can. 214, § 1), *vel* b) *ipsa sacrae ordinationis* paulo ante declaratae *validitas* ob substantialem defectum, *libellus* supplex vel causae introductorius *mitti debet* hoc praescripto, a) *ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum* veluti competentem de hac re, sicut ipsa innuit appellatio, *vel*, in casu: *si ordinatio* in sacris *impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus*, quoad materiam et formam, quae solida saltem probabilitate pertineat ad validitatem, vel quoad ministri intentionem, *ad Sacram Congregationem S. Officii* secundum ius ipsius antiquum; *et* alterutra in casibus *Sacra Congregatio definit* absque recursu: *utrum causa* pro maiori vel minore difficultate, quam offert, a) *iudiciario ordine*, utpote accuratiori, equidem contentioso, quia « obiectum est personae factum iuridicum declarandum » (can. 1552, § 2, 1°), *an* b) *disciplinae tramite* idest: libero a iudiciorum praescriptis *sit pertractanda.*

Hac praevia definitione, sequitur observanda § 2. *Si primum*, *Sacra Congregatio* alterutra iuxta normam [2] peculiarem, (Cap. I, n. 3°) *causam* de qua in § 1ª *remittit* iure proprio a) *ad tribunal dioecesis quae clerico* nunc in sacris ordinato *propria fuit* ratione incardinationis legitimae vel sitae familiae illius religiosae *tempore sacrae ordinationis* impugnatae, nam ab eius Episcopo vel ex dimissorialibus eiusdem litteris ordinatus fuit, aut saltem nonnisi eius interveniente testimonio, *vel* b) *si sacra ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus*, idest: quando causa fuit delata ad S. Congr.m S. Officii vi § 1ae, haec « remittit »

[1] 29 Iun. 1908, § I, n. 3°, 3. — [2] Ordo servandus in SS. Congregationibus... Romanae Curiae, 29 Sept. 1908. CO. I, 61.

quolibet in casu clerici vel religiosi, *ad tribunal dioecesis in qua ordinatio peracta fuit*, sive ab eiusdem Episcopo, sive ab altero Episcopo cum eiusdem licentia, nec sine motivo, quia facilius colligentur ibidem necessariae probationes; atque additur praescriptum, cuius opus erit, sic: *pro gradibus vero appellationis* quibuslibet in casibus *standum* vi huius canonis extendentis sequentes, *praescripto can. 1594-1601* iam declaratorum, utpote qui erant connexi ad tribunal primae instantiae cum competentia ordinaria.

§ 3 relationem directam servans ad § 1ae disiunctivum praescriptum decernit. *Si alterum*, nempe: si « causa disciplinae tramite sit pertractanda », *ipsamet* alterutra *Sacra Congregatio* ad quam « libellus mitti debet » ex §° 1a, a) *quaestionem dirimit*, *praevio* b) *processu* extraiudiciali *informativo*, qui contineat sufficientes probationes, quae colligi potuerunt, *peracto a tribunali* praecise, quia hoc censetur maiori pollens aestimatione illarum, *Curiae competentis* iuxta distinctionem in §° 2a positam.

De hac re memorari oportet ex Normis peculiaribus sub art. III, n.° 11° b): « plenae Congregationi competent... supplices libelli circa irritam sacram Ordinationem, aut circa eiusdem obligationes, aut ab his exemptionem, ubi causa solo disciplinae tramite tractanda sit ».

Ac demum ad interpretationis confirmationem aliquam deservit dubium II solutum in plenariis comitiis [1] dierum 13 et 27 Nov. 1922: « Utrum quae respiciunt obligationes Ordinibus maioribus adnexas vel validitatem sacrae Ordinationis, quoad sodales religiosos, decernenda pertineant ad Sacram Congregationem de Sacramentis an ad Sacram Congregationem de Religiosis ». Resp: « Pertinere ad Sacram Congregationem de Sacramentis, ad normam can. 1993 C. I. C. ».

556. Legitimus accusator est quem edicit *can. 1994. § 1. Validitatem sacrae ordinationis* sub tituli inscriptione declaratae *accusare;* veluti se opponens ipsi *valet* iure a) *clericus* ea ordinatione donatus de facto *peraeque ac* nempe: idemque ius habet *Ordinarius* ad normam can. 198, § 1, idest: loci vel « Superior maior in religione clericali exempta », « secundum propriam verbi significationem in textu et contextu consideratam » (can. 18), quoad membrum disiunctive primum: a) *cui clericus subsit* tempore instituendae accusationis, quia ad Superiorem pertinet

[1] Coetus S. R. C. Cardinalium... circa competentiam SS. Congregationum, CO. XV, 39.

invigilare, ne subditus contra leges ecclesiasticas ministerium sacrum exerceat, *vel* b) *in cuius dioecesi*, proinde « Ordinarius » loci, *ordinatus sit* clericus ille, eo quod de sequelis immediatis factorum, quae legitime ad eum delata sunt secundum ss. canones, hic Superior ecclesiasticus respondere tenetur.

Quia vero semel ordinatus in sacris per se debet adimplere obligationes, ad hoc ut iure proprio eas impugnando utatur, nonnisi proprio ducitur arbitrio, quia unusquisque potest cedere ius proprium, sine aliorum nocumento. Hoc innixus principio, statuit § 2. *Solus* a) *clericus* in sacris ex contextu, exclusis quibuslibet, etiam Ordinariis, iisve qui metu gravi ad ordinationem illam impulerunt, *qui* b) *existimet* in sua conscientia *se ex sacra ordinatione* subdiaconatus, ut plurimum, sed ex superioribus quoque circa alias *obligationes ordini* unicuique *adnexas*, v. gr. subdiaconatui « obligationes caelibatus ac horarum canonicarum » (can. 214, § 1), *non contraxisse* propter citatae paragraphi clausulas in casu proprio, *potest declarationem nullitatis onerum* subsequentium ordinationi receptae, qui non subiicitur actioni rescissoriae, *petere* in iudicio, ac obtinere subdiaconus, ut « ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine caelibatus ac horarum canonicarum obligationibus ».

557. Circa huius processus iudicialis normas, praescribit *can. 1995* extendens peculiares iam prius declaratas. *Ea omnia* quoad diversa iudicii stadia et ipsum tribunal, *quae tum in Sectione prima huius Partis* tractante « De iudiciis in genere », ac proinde omnibus moderandis applicanda opportune, *tum in peculiari titulo de processu in causis matrimonialibus*, excluso propterea VII, quia est « De casibus exceptis a regulis hucusque traditis », *sunt dicta* iubendo, *servari etiam debent*, quia praesens canon haec ampliat, *congrua congruis referendo*, scilicet: tum ex illis desumendo, tum ex his, sive accipiendo praescripta, quae sacrae ordinationi congruant, quia non sunt propria matrimonii, unde excluduntur: Caput III atque Articulus II, Capitis IV et singuli canones ex contextu respicientes taxative matrimonia, sive aptando praescripta sacrae ordinationi, eo quod sint servanda *in causis contra sacram ordinationem*, sive quoad validitatem, sive quoad eius effectus iuridicos.

558. De officio defensoris huius vinculi specialiter conditus est *can. 1996*. *Defensor vinculi* iuridici *sacrae ordinationis*, uti causae inamissibilis ob characterem indelebilem ordinis, qui praescripto can. 1586 « constituatur in dioecesi (unaquaeque) pro

causis, in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis », et de quo loquuntur can. 1588-1590, *iisdem* quia nulla est facienda verborum aptatio *gaudet* pro his causis ordinationis *iuribus* enumeratis sub can. 1969, b) *iisdemque tenetur officiis* recensitis sub can. 1968, *quibus* propter illa praescripta est ornatus vel adstrictus *defensor vinculi matrimonialis* de quo singillatim agitur in illis textibus.

559. Cautela iniuncta est rationabiliter, quam ultra necessitatem ex iure divino exurgentem statuit *can. 1997*. Certum est clericum dubitantem prudenter de validitate ordinationis presbyteralis debere coram Deo abstinere ab exercitio illius ministerii, quia si eius ordinatio fuerit reapse invalida, nec consecrationem peraget servatis aliis servandis, nec vere absolvet fideles rite dispositos. Unde dubio perstante solido probabili se exponeret periculo certo gravia committendi scelera cum positivo animarum damno. Haec non urgerent in aliis ministeriis ordinum sacrorum vel ipsius presbyteratus, et nulla vis argumento maneret, quandocumque verteretur quaestio circa effectus tantum iuridicos, quin dubium de ordinatione rite ac cum effectibus iuris divini recepta.

Has veritates theologice certas prae oculis habens legislator sic incipit praescriptum. *Quamvis actio* iudicialis alias definita *instituta fuerit* per exercitium illius iuris, *non super ipsamet sacrae ordinationis nullitate* veluti obiecto per sententiam declarando, in quo casu praesumitur ordinatio valide collata-recepta, *sed super obligationibus tantum ex ipsa sacra ordinatione* propter leges ecclesiasticas *exsurgentibus*, *nihilominus* quia si de tali nullitate ageretur in iudicio esset potiori iure servandum praescriptum sequens: *clericus* volens tali actione liberum ab illis declarari *est ad cautelam* ne talis voluntas adversa ordinationis effectibus se extenderit usque ad renisum recipiendi ordinationem, et si ageretur de actione super nullitate, quia removendum esset periculum supra dictum ac perdurante iudicio subsistens, *ab exercitio ordinum* quorumlibet sacrorum *prohibendus*, quae prohibitio utpote ad cautelam in bonum et aedificationem fidelium non est censura nec poena vindicativa. Cum non dicatur « a iudice » prohibendus, planum est vetitum posse imponi, tum a iudice, quia est norma iudicialis, tum ab Ordinario loci conscio iudicii, utpote qui pollet iurisdictione et curat de bono fidelium.

560. De appellationibus decernit *can. 1998*. In memoriam revocat implicite praescriptum can. 1903, dum § *1* statuit. *Ut clericus* in sacris *liber* iure *sit ab obligationibus quae* iure ecclesiastico *a vinculo ordinationis manat* uti re quae praesupponitur in

effectu perstans *requiruntur duae sententiae* rite latae ac *conformes*, videlicet: eam libertatem pronunciantes directe vel implicitam in declarata ordinationis sacrae nullitate.

Ex consequenti Codex ad sacram ordinationem extendit canones iam declaratos, dum additur § 2. *Quod ad appellationem* ex §° 1ª necessariam *attinet, in his causis* « contra sacram ordinationem » *servetur* vi huius canonis *praescripta can. 1986-1989 de causis matrimonialibus* sub cap. VI « de appellationibus ». Adnotare oportet clausulas ibidem positas: « quae matrimonii nullitatem declaraverit », « quae matrimonii nullitatem confirmaverit », « decreta matrimonii nullitate », non esse referendas ad sacrae ordinationis nullitatem, sed ad « obligationes quae a vinculo ordinationis manant », etsi eadem ordinatio supponatur ac sit valida. Ratio est: quia ex §° 1ª appellatio est quoque necessaria, ut sententia quaelibet in his causis effectum sortiatur. Proinde illae clausulae sic intelligantur in ampliatione facienda vi § 2ae canonis 1996: « quae sacrae ordinationis nullitatem vel solam libertatem ab eiusdem obligationibus declaraverit », « quae... confirmaverit », « decreta sacrae ordinationis nullitate vel sola libertate ab eiusdem obligationibus ».

FINIS PRIMAE PARTIS.

PARS SECUNDA

DE CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI ET CANONIZATIONIS BEATORUM

CAN. 1999. - § 1. Causae beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum unius Sanctae Sedis iudicio reservantur.

§ 3. Ad normam can. 253, § 3 una sacrorum Rituum Congregatio in his causis competens est.

§ 3. Ordinarii locorum, iure proprio, possunt ea tantum quae in canonibus qui sequuntur eisdem expresse demandantur.

CAN. 2000. - § 1. Causae huiusmodi duplici possunt procedere via, scilicet vel ordinaria non cultus vel extraordinaria casus excepti seu cultus.

§ 2. Per ordinariam viam proceditur, quando, antequam ad discussionem super virtutibus deveniatur, probari intenditur nullum publicum cultum Servo Dei fuisse praestitum vel, si quando per abusum praestitus fuerit, sublatum fuisse; per extraordinariam vero cum probari intenditur aliquem Dei Servum in possessione publici et ecclesiastici cultus versari.

CAN. 2001. - § 1. Causae martyrum sive procedant per viam ordinariam sive per extraordinariam non sunt cumulandae, sed unaquaeque sigillatim tractanda est, nisi agatur de martyribus qui in eadem persecutione eodemque loco passi sunt.

§ 2. Id extendi quoque debet ad distinctos processus et discussiones quae in iis causis fieri praescribuntur inde a causae introductione usque ad finem.

CAN. 2002. - In canonibus qui sequuntur, nomine Ordinarii non intelligitur Vicarius Generalis, nisi habuerit mandatum speciale.

561. Inscriptio Partis Secundae. — Inter omnes processus in Dei Ecclesia usitatos supereminent illi, qui modo singulari sunt illius proprii. Ordinantur enim ad cultum Dei per sanae virtutem religionis praestandum, non quidem directe ad Deum, sed ad cultum Sanctorum in quibus Deus honoratur benedictus in Sanctis suis. Virtus religionis ut cultus reddatur secundum veritatem, tum quoad eos, ad quos tales actus diriguntur ipsisque honorantur per duliam, tum ad modum in praedictis actibus servandum.

De Canonizatione quidem Sanctorum placet unum alterumque proferre Romanorum Pontificum testimonium expressum ex Bullis, quas pari occasione promulgarunt [1]. Coelestinus PP. III in Bulla Canonizationis S. Ubaldi Ep. Eugubini haec habet: « Nos vero opus istud intuentes sensum et intelligentias nostras excedere, quia potius est divini iudicii, quam humani, cum ipse solus

[1] Bened. XIV. De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione. Lib. I, Cap. 15, n. 2, 3, 4.

plene noverit, qui sunt eius,... ». — Innoc. pariter III idipsum asserit in Bulla Canonizationis B. Wulstani Ep. Wigornien. in Anglia, et in Bulla Canonizationis B. Chunegundis Imperatricis ait: « Nos itaque cognoscentes, quod hoc re vera iudicium sublimius est inter cetera iudicia iudicandum, in ipsius examinatione plenariam voluimus adhibere cautelam ». Demum Honorius III in epistola ad Religiosos viros S. Mariae de Gualdo supplicantes pro Canonizatione Joannis eremitae, sic locutus est: « Tanto maturiori consilio circa ea censuimus procedendum, quanto in iis citius, quam in aliis, mole carnis gravatus humanae considerationis intuitus falli potest ».

Etenim agitur, non iam de attribuendo humana potestate aliquo iure controverso, quod ad temporalem vitam recte ducendam ordinatur, nec ad declarandum utrum aliquod factum sit secundum iura humana peractum; sed pronuntianda est sententia circa quaestionem: an tota cuiusdam personae vita et praesertim in posteriori eiusdem parte ac in morte illius adeo fuerit conformis divinae legi ac evangelicis doctrinis et modo supereminentiori, ac solet, ut possit fidelibus proponi ut exemplar vivens christianae sanctitatis illius, qua nota refulget sola Ecclesia catholica, et num anima, quae tali vita intemerata fuit donata sit connumerata inter regnantes cum Deo, quorum intercessionibus fideles certo iuvari queant apud Deum.

His accedit, cavendum esse a tentatione Dei, quia non obstante Spiritus Sancti assistentia, quam Summus Pontifex habere in actu Canonizationis Theologi communissime docent, illa non eximit Ecclesiam ab his omnibus cautelis, quae humanitus adhiberi possunt, ne quandoque error circa gesta vitae ipsius vel divinum testimonium per miracula deprehendi rationabiliter possit.

Propterea, non unus sed plures processus ab Ecclesia progressive inducti sunt in eius disciplina. « Hi ad invicem connectuntur circa unam et eamdem personam in scopum finalem declarandi eius sanctitatem ac decernendi Sanctorum cultum publicum seu duliae esse illi tribuendum ». Quamvis omnes hi processus dici nequeant iudiciales, quatenus obiectum contentiosum deest in illis, attamen Ecclesia statuit, ut quoad formalitates et modum accuratissime pertractetur, ac in forma iudiciali quae huiusmodi rigorem fovet, dans normas similes iudicialibus, quae in prima Parte huius Libri redactae sunt.

Hinc *Pars secunda* inscribitur *De Causis*, quae plures concatenatos processus comprehendunt ad unum ordinatos finem, nempe: a) *Beatificationis* per quam « publicus cultus sub limitatio-

nibus actuum et locorum decernitur in forma Brevis » alicui *servorum Dei* simpliciter dictorum, eo quod sciverunt ac fecerunt usque ad mortem voluntatem Domini et perfecte atque modo aliquo extraordinario. Post stadium hoc causae prosequuntur aliis processibus servatis propter quod sequitur sub inscriptione *et* ob sequens stadium *canonizationis*, seu « inscriptionis in Catalogo seu Canone Sanctorum in universa Ecclesia colendorum, nullo acto liturgici cultus duliae excluso, datis postea de hoc Litteris Apostolicis in forma Bullae », *beatorum*, quia haec altera definitivaque sententia per Summum Pontificem non editur in actuali Ecclesiae disciplina, quin prius altera Beatificationis praecesserit.

Eisdem ac Pars secunda verbis est appellatus Tractatus praecellens Bened. XIV, septem Libris digestus, in quo idem praeclarissimus Pontifex pro more in concinnendis suis scriptis atque operibus proprio, pertractat summa cum eruditione hanc partem legislationis ecclesiasticae, historice, liturgice atque canonice perlustrans amplissime diversas tunc occurrentes eidem quaestiones. Huic accessit pro praxi, et Synopsis ab Aloysio de Azevedo redacta et ultimo tempore Codex pro Postulatoribus, qui postremus fuit ad novi Iuris canonici normas exactus in tertia eiusdem editione cura Postulationis Generalis Ordinis Minorum.

562. Canones praeliminares sunt quatuor, qui generaliter respiciunt hanc partem. Competentia enim exclusiva et peculiaris quoad has causas can. 1999 decernit, subsequentibus can. 2000, 2001, qui distinguunt causas ipsas tum inter se, tum discernendo processus quibus illae, ut diximus, coalescunt. Demum can. 2002 significationem verbi « Ordinarii » sub can. 19 declaratam restrictiorem vult in tota hac secunda Parte.

563. Causae huiusmodi maiores ad normam can. 220 declarantur vel melius supponuntur in *can. 1999*. Alex. III in cap. 1 « de reliquiis et veneratione sanctorum » (III, 45) X ait: « Audivimus, quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione et ebrietate occisum, quasi sanctum more infidelium venerantur. Cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis ecclesia permittat orare: dicit enim Apost. Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Illum ergo non praesumatis de cetero colere: cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret ipsum pro sancto, absque auctoritate Romanae Ecclesiae venerari ».

Bened. XIV in cit op. [1] inquit: « De hac Alex. III Decretali magna est inter scribentes disputatio, an per illam inductum fue-

[1] Lib. I, Cap. 10, n. 4.

rit ius novum Sedi Apostolicae reservans, privative quoad Primates, et Episcopos, et ceteros omnes, ius statuendi, utrum huic, aut illi servo Dei cultus praestari debeat, necne; ablata ceteris omnibus facultate, quam habebant, ut vidimus, in cuis provinciis et dioecesibus indulgendi Dei servis Beatificationis honores; seu potius, an ius hoc privativum fuerit ante praedictam Decretalem introductum, perinde ac si eadem latam praesupponat aliam legem, aut antiquiorem introductam consuetudinem, quae Apostolicae Sedis ius illud privativum reservaverit ».

« Et (subiungit sub n. 8 in fine) ut finis tandem imponatur praesenti quaestioni, dicimus, ab Alexandro III fuisse Episcopis sublatam beatificandi auctoritatem: id forte non fuisse ab omnibus Episcopis executioni mandatum; sed omnem et quamcumque controversiam fuisse sublatam per bullam Urbani VIII editam anno 1634,... cum in ea clare statuti fuerint fines auctoritati episcopali, et omnia ad cultum publicum Beatorum pertinentia, et ipsa Servorum Dei beatificatio fuerit clarissime Sedi Apostolicae reservata ».

His concinens § *1* edicit. *Causae* a) *beatificationis Servorum Dei* ad sensum sub inscriptione declaratum, *et* b) *canonizationis Beatorum* ex ipsa rei natura, propter quam theologi asserunt hunc actum cadere sub Romani Pontificis infallibilitate, ac merito est applicanda Sti. Thomae [1] ratio, quia una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud (I ad Cor. I, 10) « Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, quod servari non potest, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum qui toti Ecclesiae praeest; ut sic eius sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Romani Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, et alia huiusmodi ». Sic ergo, ut declaratum hucusque fuit praefatae « causae » *unius* cum aliorum exclusione *Sanctae Sedis*, scilicet: « Romani Pontificis » pro definitiva sententia, et ad normam can. 7 pro diversis enucleandis processibus, *iudicio reservantur* etiam vi huius praescripti.

Inter plura Curiae Romanae dicasteria edicit § 2. *Ad normam can.* 253, § 3 ibi declarati, quae congruit verbotenus Const. Pii X « Sapienti consilio » (I, 9°, 3), ubi dicitur: « Denique ea omnia exsequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum... quoquo modo referuntur », *una* cum ceterarum exclusione *Sacrorum Rituum Congregatio in his causis competens est*, iam ab

[1] II-II, quaest. 1, art. 10, corp.

eius initio per Bullam Sixti V « Immensa » (22 Jan. 1587) uti desumitur ex verbis sequentibus circa illam: « Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, festorumque dierum celebritatem ».

Consequens sequitur § 3. *Ordinarii locorum*, videlicet: « omnes recensiti (sub § 1 can. 198), exceptis Superioribus religiosis », qui sunt « maiores in religionibus clericalibus exemptis ». Illi *iure proprio*, seu delegationis apostolicae non indigent, *possunt ea tantum* « in his causis » *quae in canonibus* huius Secundae Partis *qui sequuntur eisdem*, quamvis solummodo « Ordinarii » vocabulo exprimantur, *expresse* verbis tum explicite tum implicite sub eis *demandantur*, quia secus caderent sub dicta causarum generali reservatione. Pro tota ergo hac Secunda Parte fixum in mente sit, restrictior significatio sub nomine « Ordinarii », quam in can. 198, § 1, nec conclusio ex praesenti tertia paragrapho se opponit huic § 1, can. 198, sed continetur sub clausula excipiente: « nisi quis expresse excipiatur ».

564. Distinctio causarum, quam refert *can. 2000* orginem repetit a Dec.° S. Congr. S. Officii.[1] confirmato ab Urbano VIII const. « Caelestis Hyerusalem »[2].

« Sanctiss. D. N. sollicite animadvertens abusus qui irrepserunt, et quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama vel opinione defunctis, qui etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis, aut radiis seu splendoribus proponuntur, miracula et revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, et ad illorum sepulcra, Tabellae, Imagines et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades et alia lumina apponuntur; volensque proinde huiusmodi abusibus, pro debito officii pastoralis occurrere... statuit et decrevit, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, seu Martyrii fama, (quantacumque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque praedicta, et quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens, et indicans in Oratoriis aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam saecularibus, quam Regularibus cuiscumque Religionis,... apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, et (si quae appositae sint) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

[1] 13 Martii 1625. — [2] 5 Iul. 1634.

Et infra. Ad horum hominum sepulcra vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, et lampades, sive alia quaecumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario, omnino, prout supra facienda, Sedique Apostolicae referenda ac probanda.

Declarans, quod per supradicta praeiudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii coluntur ».

Hinc orta est in procedendi modo servando diversitas, quam retinet § *1. Causae huiusmodi* beatificationis et consequenter canonizationis quoad aliquid, *duplici possunt procedere via* diversis praescriptis moderata, *scilicet*, a) *vel ordinaria* nunc propter illud Decretum tam antiquum, *non* praestiti *cultus* in obsequium obedientiae erga Urbani VIII statutum, *vel* b) *extraordinaria*, cum pauci nunc remanere putandi sunt saltem relate ad alios occurrentes, *casus* singularis *excepti* a regula ordinaria, *seu cultus* ante illa praescripta obtenti et per illud Decretum non vetiti. « Insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in praedicto Decreto, intelligi declarabimus (ait Urb. VIII) [1] esse tempus centum annorum metam excedens ».

In praecedenti paragrapho innuitur viae diversitas ex natura accidentis causae, processus vero seu causae diversitatem directe exponit § 2, innixa seu praesupponens haec verba Const. cit. [1]: « Demum vero ut eiusmodi Decreta observarentur indubie, ac omnimodam sortirentur executionem,... decrevimus, atque declaravimus ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicuius utriusque sexus cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisque eiusmodi Sanctitatem redolentibus, ex integro informationes, quoquo modo reciperet, aut Processum instrueret, vel huc usque receptas informationes, instructumve processum ulterius prosequeretur, nisi Postulator prius per legitimas iuridice susceptas probationes circa personam eius, de cuius miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis Sanctitatem praeseferentibus ageretur, praefatam in praefato Nostro Decreto formam omnino servatam extitisse docuerit, et nisi postea successive idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc spe-

[1] Const. « Caelestis Hyerusalem » 5 Iul. 1634.

cialiter delegatis, diligenti praehabita disquisitione circa eamdem personam, supra citato Decreto nullatenus contraventum esse, rite pronunciaverit ».

Huic et alii textui supra transcripto congruit praescriptum: *Per ordinariam viam* declaratam in §° 1ª *proceditur* in causis huiusmodi, *quando*, *antequam ad discussionem*, quae prima est circa personam, *super virtutibus deveniatur* in tribunali, *probari intenditur* forma legitima *nullum publicum cultum*, prout Urb. VIII illum explicavit, *Servo Dei* sub tenore inscriptionis declarato *fuisse* unquam *praestitum vel*, *si quando per absum* idest: contraveniendo praescriptis Urbanianis *praestitus fuerit*, *sublatum fuisse* a multo tempore; *per extraordinariam vero* « viam proceditur » *cum probari intenditur* in causae progressu *aliquem* singularem *Dei servum*, ut supra *in possessione* actuali *publici* ut supra *et ecclesiastici*, idest: ab Ecclesia tolerati utpote per centum annos ante Urbanianum Decretum incipientis *cultus versari.*

565. Vetitum cumulationis, tum causarum tum processuum statuit *can. 2001*, ad hoc, ut videtur, quod maiori cum diligentia et accuratiori examine perpendantur hae causae. *Can. 2001*, § *1. Causae* ad normam inscriptionis *martyrum* proprie, seu qui fuderunt vitam in Christi testimonium, nam de causis non martyrum per se consequitur praescriptum, a) *sive procedant per viam ordinariam* in can. praec. declaratam, b) *sive per extraordinariam* nobis iam patefactam, *non sunt cumulandae*, idest: de pluribus martyribus simul agendo, *sed unaquaeque* propter singularem personam *singillatim* per totum *tractanda est*, *nisi agatur de martyribus qui* a) *in eadem persecutione* quoad *tempus*, etsi periodus sit quadantenus longior, b) *eodemque loco* pago, civitate, regione ad summum *passi sunt* propter Christum ut plurimum usque ad mortem ibidem.

§ 2 statuit ad excludendum quodlibet dubium. *Id* seu praescriptum § 1ªᵉ *extendi quoque debet ad distinctos* a) *processus* propter decretum, quo definiuntur, *et* b) *discussiones* v. gr. de causa martyrii, *quae in iis causis* utriusque viae *fieri praescribuntur* a Codice *inde a causae* « beatificationis Servi Dei » *introductione* simpliciter, unde apud Ordinarium loci etiam, sed praesertim « a Sede Apostolica obtinenda » (can. 2038), *usque ad finem*, non solum beatificationis, sed sequutae postea canonizationis.

566. De significatione verbi « Ordinarii » strictiori conditus est *can. 2002* concors iuri praeexistenti [1]. *In canonibus qui se-*

[1] S. R. C. litt. encycl. 12 Mart. 1631.

quuntur usque ad finem huius Partis, *nomine Ordinarii*, quod iam excludere « Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis » arguitur ex can. 1999, § 3, *non intelligitur* eius *Vicarius Generalis* iuxta can.s 198, § 1 exceptionem, *nisi habuerit mandatum* de hac re causarum huiusmodi vel alicuius processus vel actus cuiusdam *speciale.*

567. Memorandum praeceptum, quod ex reservatione stricta hucusque declarata sequitur vigere ex iure antiquo. Etenim Decretum latum die 12 Martii 1631 « prohibet omnibus et singulis personis Ecclesiasticis tam Saecularibus quam Regularibus, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Societatis Iesu, vel aliorum quamvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se aut per alios capere *Informationes* super Sanctitate aut Miraculis alicuius defuncti, neque ullo modo exquirere aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones, sub poenis arbitrio S. Congregationis infligendis. Quod si superiori Sacristae seu alteri Officiali illius Ecclesiae in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiae, fuerint revelata aliqua miracula, seu prophetiae dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur. Teneantur tamen quam primum commode poterunt, eadem deferre vel obsignata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quod revelationes sic, ut supra, receptae non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusvis longissimi temporis cursu ».

568. Distributio Partis in Titulos. — Iam diximus has causas non constituere proprie iudicia, sed ex modo easdem pertractandi eis accedere, et hinc sequitur logica et facilis coordinatio totius legislationis in titulos. Nam sicut agens Codex de iudiciis, praemisit Titulum de foro competenti, illi subdens alium de tribunalium constitutione, sic hac in Secunda Parte post canones de competentia in his causis, sequitur « Titulus XXII. De nonnullis personis quae in his processibus partem habent ». Postea propter harum causarum naturam requiruntur peculiares normae « De probationibus in his processibus adhibendis », quas cum sint generales continet « Titulus. XXIII ». Post hunc in specie tractant « Titulus XXIV. De processu beatificationis Servorum Dei per viam non cultus », quae cum sit ordinaria vel relative generalis praemissa est, quam sequitur « Titulus XXV. De processu beatificationis Servorum Dei per viam cultus seu casus excepti ». Haec omnia tempore prius exequenda viam parant aliis regulis, quas refert « Titulus XXVI » huius Partis postremus, « De Beatorum canonizatione ».

TITULUS XXII.

De nonnullis personis quae in his processibus partem habent.

CAPUT I.

De Actore et Postulatore.

CAN. 2003. - § 1. Quivis fidelis vel legitimus Christifidelium coetus ius habet petendi ut causa apud tribunal competens instruatur.

§ 2. Si petitio a legitima et competente Ecclesiae auctoritate admissa fuerit, eo ipso petenti ius est causam legitime promovendi et ad exitum perducendi.

§ 3. Loci Ordinarius potest sive ex officio sive ad instantiam causam beatificationis instruere.

CAN. 2004. - § 1. Actor potest agere vel per se vel per procuratorem ad hoc legitime constitutum ; mulieres nonnisi per procuratorem.

§ 2. Qui apud tribunal competens causam pertractat dicitur *postulator*.

§ 3. Postulator, sive proprio sive alieno nomine agat, debet esse sacerdos vel saecularis vel religiosus, in Urbe fixam habens sedem.

CAN. 2005 - Singuli pro singulis causis postulatores admittuntur : nec alii quam causae postulatori competit ius substituendi sibi per legitimum mandatum alios qui vice-postulatores dicuntur.

CAN. 2006. - § 1. Tum postulator tum vice-postulatores, si ex alius mandato causam agant, antequam ad munus suum exercendum admittantur, debent mandatum tribunali exhibere.

§ 2. Mandatum postulatoris exactum sit ad normam can. 1659 neque censeatur legitimum nisi cum fuerit a Sacra Congregatione admissum et in eiusdem actis inscriptum ; mandatum vero vice-postulatorum debet recognosci et admitti a tribunali in quo munus suum exercent.

CAN. 2007. - Ad postulatoris officium pertinet :

1.° Agere causam apud iudices competentes ;

2.° Necessarios sumptus facere; sed pecunia a fidelibus ad causae expensas collecta administrari debet ad normam instructionum Sedis Apostolicae ;

3.° Nomina testium et documenta tribunali exhibere ;

4.° Conficere et exhibere promotori fidei articulos, super quibus testes in processibus debeant interrogari.

CAN. 2008. - Mandatum postulatoris, si postulator nomine alius agat, finem habet iisdem de causis quibus ad normam iuris mandatum aliorum procuratorum extinguitur.

569. Inscriptio Tituli ac huius divisio. — Titulus XXII nunc exponendus inscribitur : *De nonnullis personis* ut plurimum physicis, quia una tantum quit esse moralis, *quae in his processibus*, tum ordinariis, tum apostolicis, *partem* peculiaris notae *habent* vi praxis antiquae atque disciplinae hodiernae. Inter has, inveniuntur illae a quibus causae promoventur et urgendae sunt ad hoc

ut in exitum perveniant, et sunt quas respicit « Caput I. De Actore et Postulatore ». Sunt aliae, quae actus tribunalis praecipuos ponunt in processibus praesertim apud Rom. Curiam, et has personas sic enuntiat « Caput II. De Cardinali Relatore, Promotoribus Fidei et Sub-Promotoribus ». Demum sunt aliae, quae adiuvant tribunalia harum causarum et has personas « Caput III » enumerat sic: « De notario, cancellario et advocatis ».

570. Inscriptio Cap. I eiusque canones. — *Caput I* sub inscriptione duas personas formaliter seu nominis significatione distinctas exhibet, dicens: *De Actore et Postulatore*, inter quos haec est differentia. Actor hoc in loco similitudinem servans cum actore in iudicio contentioso, qui asumens in se onus iudicii, intendit et curat ut tribunal procedat atque iudicii prosecutionem usque ad finem definitionis, sic pariter Actor est: « qui intendens alicuius demortui cum nota Sanctitatis aut Martyrii fama beatificationem, suscipit sponte curam Causae, ut haec incipiat, successive fiant quae occurrunt ad hoc, ut perveniatur rite ad illam ». Differunt tamen, quia actor in iudicio suum ius praevie habitum propugnans vel factum legitime positum, illud defiiniendum hoc declarandum, contendit, dum Actor impraesentiarum nequit ius definiendum praetendere, nec sanctitatem vitae declarari sufficit ad Beatificationem.

Postulator vero causae est, « qui legitime apud iudices ecclesiasticos nomine proprio, vel ut plurimum ex mandato, intentum Actoris supradictum in praxim deducit ». Salva igitur diversitate inter Actores adnotata, Postulator cum Procuratore ad lites affinitatem servat.

De Actore agit can. 2003. Postea de constitutione ac substitutione Postulatoris agunt can. 2004, 2005, et respicit directe mandatum can. 2006. Postulatoris officium explicat can. 2007 et finem ipsius decernit can. 2008.

571. De Actore in his causis statuit *can. 2003* congruenter disciplinae ante Codicem vigenti. § *1. Quivis fidelis*, vir aut femina, Praelatus vel subditus, et consequenter plures fideles in idipsum consentientes, *vel legitimus* seu iuxta leges ecclesiasticas aut civiles *Christifidelium* qiua hi solum iura in Ecclesia Dei habent, *coetus*, sive sodalitium sit, sive Capitulum, sive religio, ad quam forsitan pertinebat vivens Servus Dei, *ius* hic recognitum *habet petendi* solummodo *ut causa* beatificationis vel canonizationis de certo Dei Servo *apud tribunal competens* iuxta sequentes canones ordinarium vel apostolicum *instruatur* probationibus ad intentum ducentibus.

§ 2. *Si petitio* iuxta § 1 exhibita per litteras quidem postulatorias beatificationis et canonizationis *a legitima* propter iurisdictionem *et competente* iuxta ss. canones *Ecclesiae auctoritae*, nam est obiectum exclusivum cognitionis huius, *admissa fuerit*, nam ut ait Bened. XIV [1]: « neque vero admovendam esse operi manum, nisi praecesserit vera et legitima fama virtutis heroicae, aut miraculi ad illius Servi Dei intercessionem, sive invocationem, a Deo patrati ». Unde in Litteris encycl. S. C. Rit. [2] dicitur: « quando apud amplitudinem tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in Sanctitatem vitae, et miracula alicuius, qui cum praedicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occasionem errori praebet, non prius generaliter super Vitae Sanctitatem inquiri permittat, quam particulariter de alicuius virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo praecedat famae comprobatio, prout prudentiae tuae magis expedire videbitur ».

Igitur post praefatam petitionis admissionem, *eo ipso* facto, quod manifestetur, *petenti ius est* hinc profluens *causam* ut Actor *legitime*, idest: servatis ss. canonibus a) *promovendi*, urgendo actus processus successivos *et* usque *ad exitum* beatificationis et canonizationis solemnium *perducendi*.

Ex primae paragraphi praescripto iam eruitur, quod in cit. ep. « Sollicitudini » supponitur, atque edicit § 3. *Loci Ordinarius* ad normam can. 198 § 2 et 2002, *potest* a) *sive ex officio* b) *sive ad instantiam* petentis post admissam postulationem *causam* supplens Actorem, *beatificationis* proinde ordinario processu *instruere*.

572. De nominando Postulatore haec praescribit *can. 2004. § 1. Actor*, nempe: « cui ius est » attributum §° 2 canonis praec.s, *potest agere* idest: illud exercere *vel per se*, si persona physica sit, vel habens iure repraesentationem personae moralis, *vel* quilibet « actor » *per procuratorem*, qui, ut illum repraesentet sit *legitime* seu ad normam cap. II Tituli IV *constitutum;* sed quia can. praec. interpretati sumus de muliere quoque, nunc illud confirmat hic canon addens: *mulieres* « actor » sive persona physica, sive moralis v. gr. Congregatio religiosa mulierum, *nonnisi per procuratorem* « agere possunt » in his causis.

§ 2 significationem verbi iuxta praecedentem disciplinam enuntiat. Sive « actor » sit, sive eius procurator ut plurimum, *Qui apud tribunal competens* ex praeliminaribus canonibus *causam*

[1] Ep. « Sollicitudini » 1 Oct. 1745, § 5.
[2] 13 Martii 1631.

beatificationis vel canonizationis *pertractat* de facto *dicitur* praxi et in iure taxative *postulator*.

S. Rituum Congr... decernere rata est [1]: « In Causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Postulator principalis unicus esse debet, et in Urbe fixam habere sedem ». Idem retinet ampliatque verbis praescribens § 3. *Postulator* definitur in §° 2ª, *sive proprio*, quia et « actor » *sive alieno* seu « actoris » *nomine agat*, idest: hoc munus exerceat, *debet* a) *esse sacerdos* ordinatione presbyterali vel episcopali consecratione, *vel saecularis vel religiosus*, quae alterutra qualitas indifferens est pro qualibet causa, et « actore », etiamsi fuerit eiusdem religionis, b) *in Urbe fixam* ratione domicilii *habens sedem*, seu locum habitualis commorationis. Haec ad religiosos quod attinet ex familia constat, cui adscriptus est.

573. De nominatione vice-postulatorum. — In Decreto S. Congr. Rituum paulo ante citato « Postulator principalis unicus » exigitur, et post verba relata dicitur: « Vicepostulatores autem nonnisi a principali Postulatore in posterum eligendi erunt, sub poena nullitatis actorum, quae per eosdem aliter deputatos fieri contigerit ».

Haec continet implicite *can. 2005. Singuli pro singulis causis* veri *postulatores admittuntur*, quod non obstat, quominus unus sit Postulator plurium causarum, sicuti sunt « Postulatores generales causarum » singulorum Ordinum regularium: *nec alii quam causae postulatori* ad normam can. 2004, unde excluso etiam « causae » actore, qui per se pertractat illam apud tribunal, *competit ius* ex hoc canone semper a) *substituendi sibi* b) *per legitimum mandatum alios*, etiam plures subordinate, vel pro diversis locis, *qui* sic substituti *vice-postulatores* huius vel alterius causae *dicuntur* ex praxi iure confirmata.

574. De mandati admissione tractat *can. 2006. Tum postulator* supra in § 2 can.s 2004 definitus, *tum vice-postulatores, si ex alius mandato* procuratorio *causam* beatificationis aut canonizationis *agant* saltem in aliquo eius processu, quae conditionalis semper evenit quoad vice-postulatores secundum can. 2005, et quoad postulatorem, si diversus sit ab Actore, a) *antequam ad munus suum* quoad aliquid *exercendum admittantur*, b) *debent mandatum* in scriptis *tribunali* in causa illa competenti *exhibere*.

De mandati natura cavet § 2. *Mandatum postulatoris* praecise a) *exactum sit ad normam can. 1659* agentis de mandato procu-

[1] 22 Aug. 1893 confirmante Leone XIII die 21 Dec. eiusdem anni.

ratorio ad lites, sit nempe « scriptum, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens », b) *neque censeatur legitimum*, prout requiritur ex § 1 canonis 2004, *nisi cum fuerit a S. Congregatione* Rituum sola, « apud quam illud deposuerit » (can. 1659) postulator, *admissum*, *et* c) *in eiusdem actis* seu regesto *inscriptum; mandatum vero vice-postulatorum debet* praevie a) *recognosci* uti legitimum seu rite sufficiens *et* b) *admitti a tribunali* sive ordinario, sive apostolico, *in quo munus suum* ex appellatione *exercent.*

575. Munus Postulatoris sub quatuor numeris *can. 2007* describit. *Ad postulatoris* causarum huiusmodi *officium* lato sensu (can. 145, § 1) *pertinet*:

1° *Agere causam*, seu partem actoris adimplere *apud iudices* ad processus diversos illius *competentes*, quicumque hi sint et quacumque praediti potestate.

2° *Necessarios* pro his causis *sumptus facere*, postulator ergo ad hos solvendos manet obligatus; *sed pecunia* quando *a fidelibus ad causae expensas* sit *collecta administrari debet ad normam instructionum Sedis Apostolicae*, quae pro tempore vigeant.

3° *Nomina testium*, qui possunt deponere, tum de non cultu, tum de fama sanctitatis, tum de martyrio et eius causa, tum de virtutibus, tum de hoc vel illo miraculo, *et documenta*, quae de his singulis fidem faciant vel ad singula illa adstruenda conferunt, *tribunali exhibere* sub debita forma.

4° *Conficere* per se vel per aliam personam, quae Postulatori videtur idonea, *et* b) *exhibere* nomine proprio *promotori fidei*, de quo postea, *articulos* ad rem processus pertinentes asseverationes, *super quibus testes in processibus* singulis *debeant interrogari.*

576. Finis mandati determinandus est secundum normas iuris communis. Ait enim *can. 2008. Mandatum postulatoris*, eo quod a fortiori viget praescriptum, *si postulator nomine alius agat*, cum ipse non sit Actor ad normam can. 2004, § 1, *finem habet iisdem de causis*, revocationis mandati, renunciationis acceptatae, eo quod mandatum adimpletum est, morte mandatarii et eo quod repellatur a tribunali, nam additur: *quibus ad normam iuris* v. gr. can. 1663, 1664, *mandatum aliorum procuratorum exstinguitur.*

CAPUT II.

De Cardinali Relatore, Promotoribus Fidei et Sub-promotoribus.

CAN. 2009. - § 1. In causis, quae agitantur apud Sacram Congregationem, relatorem seu ponentem agat unus e Patribus Cardinalibus eidem Congregationi adscriptis, a Romano Pontifice designatus.

§ 2. Eius officium est causae sibi demandatae peculiare studium impendere et in plenaria seu ordinaria congregatione ea omnia referre, quae sive in favorem causae sive contra eam facere videntur.

CAN. 2010. - § 1. Ad ius tuendum in quolibet processu partem habere debet *promotor fidei*, qui semper citari debet ad normam can. 1587.

§ 2. Fidei promotor apud Sacram Congregationem dicitur *Promotor generalis fidei*, et Assessor Sacrae Congregationis qui eidem assistit, dicitur *Sub-promotor generalis fidei.*

CAN. 2011. - § 1. Promotor fidei, extra Sacram Congregationem, constitui potest vel ad omnes causas vel ad aliquam causam particularem.

§ 2. Promotor fidei generalis et Sub-promotor generalis a Romano Pontifice eliguntur; promotor fidei apud Ordinariorum tribunal, si quidem agatur de processu apostolico, nominatur a Promotore generali et tunc nomen sub-promotoris habet; secus nominetur ab Ordinario ante edictum de quo in can. 2043.

CAN. - 2012. - § 1. Promotoris fidei est concinnare interrogatoria sobria, mere historica, quae non eo spectent ut certam quandam responsionem ab interrogato eliciant, quaeque apta sint ad veritatem eruendam etiam super articulis a postulatore propositis, eaque iudicibus exhibere sub secreti obligatione.

§ 2. Est praeterea eiusdem promotoris instare ut testes ex officio citentur et opportunas promovere exceptiones; sed iudex potest testes, etiam promotore fidei non instante aut renuente, ipso tamen monito, ex officio arcessere.

577. Inscriptio capitis atque canonum ordo. — Cognita persona, quae impellit ad causam beatificationis, considerandae veniunt aliae, quae potiores partes in illa adimplent. Has edicit *Caput III* sub inscriptione ipsius *De Cardinali Relatore*, qui nempe: in competenti S. Congr. hoc munere fungitur ad instar iudicis relatoris, *Promotoribus fidei*, quia zelatores sunt observantiae legum hac in re, ut in proponendis cultui publico Servis Dei non irrepat error, qui aliquatenus protestationi verae fidei detraheret, atque in plurali numero enuntiantur, quia tali appellatione decorantur diversae personae in una quoque eademque causa interessentes *et Sub-promotoribus*, verbo innuente hos esse sub illis positos atque in adiutorium vel supplementum dari.

Can. 2009 agit de Card. Relatore, de aliis vero simul loquuntur can. 2010, 2011, ut notionem, distinctionem ac nominationem praescribant, subiecto can. 2012 de munere promotoris fidei.

578. De Cardinali Relatore necessitatem iuridicam statuit *can. 2009*, § *1* concordans praxi usque ad Codicem servatae. *In*

causis beatificationis et Canonizationis, *quae agitantur* de facto *apud Sacram Congregationem* Rituum competentem, *relatorem*, quia refert de contento illius, sive hoc in favorem militet, sive obsit, *seu ponentem* conclusiones ex informationibus processus erumpentes, *agat* ex officio *unus* pro unaquaque causa *e Patribus Cardinalibus eidem Congregationi adscriptis*, ad similitudinem iudicis relatoris in tribunali collegiali, *a Romano Pontifici* directe *designatus* ad hoc singulare munus.

Hoc exponit § 2. *Eius officium est* a) *causae sibi demandatae peculiare studium* omnem rimans processum *impendere et* b) consequenter *in plenaria*, eo quod alii PP. Cardinales huius Congregationis conveniunt *seu ordinaria* pro his causis *congregatione* seu conventu *ea omnia referre* pro aliorum praesenti instructione et iudicio, *quae* a) *sive in favorem causae* pro exitu eius desiderato b) *sive contra eam facere videntur* ipsius prudenti iudicio.

579. De promotore fidei multiplici agit *can. 2010*. Necessitatem statuit § *1* congruens iuri praecedenti Codicem. *Ad tuendum ius* constitutum sive quoad formam processuum, sive quoad meritum probationum harumque excussionem, *in quolibet processu* horum, quibus integrantur huiusmodi causae, *partem habere debet* huius canonis praescripto *promotor fidei*, qui est ad instar promotoris iustitiae in criminalibus iudiciis et contentiosis quae bono publico intersunt, *qui semper citari debet ad normam can. 1587*, quae ad hunc promotorem hac clausula extenditur. Proinde « promotore fidei non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit » (§ 1). « Si vero legitime citatus aliquibus actibus non interfuerit, acta quidem valent, verum postea illius examini subiicienda omnino sunt ut ea omnia sive voce sive (potissimum) scriptis possit animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverit » (§ 2) promotor fidei.

Relicta communi denominatione aliis applicanda, praescribit § 2. *Fidei promotor* singularis *apud Sacram* Rituum *Congregationem* stabiliter nominatus *dicitur* ab antiquo *Promotor generalis Fidei*, quatenus pro omnibus causis huiusmodi constitutus, *et Assessor* alter a Secretario *Sacrae Congregationis qui eidem* Promotori *assistit*, proinde huic « onus incumbit primo loco spoliandi et examinandi processus (ex quibus pendet Beatificationum et Canonizationum substantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeatque huiusmodi munus diligentissime ac cum omni rigore adimplere, ut ait Innoc. XI in Dec. § 10 [1], sic prosequens:

[1] 15 Oct. 1678.

« ac Summaria, quae solent a Procuratoribus fieri antequam typis mandentur, conferat cum processibus, subsequuta attestatione, quod fuerunt per ipsum revisa, et in quolibet folio se subscribat : eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuscripto iterum faciat, postquam fuerint impressa, cum iterata subscriptione in fine, quam subsequatur subscriptio, et sigillum Secretarii, nec ante praedictas subscriptiones possint tam Summaria, quam Informationes publicari sub gravissimis poenis tam quoad Postulatores, quam etiam quoad Impressorem arbitrio Sacrae Congregationis, seu Em.mi. Card. Praefecti infligendis. Idemque » *dicitur* tam in Decretis, quam in praxi *Sub-promotor generalis fidei*, et « (quatenus ipse D. Promotor ex diligenti et accurata revisione processuum, quam facere solet, necessarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium obiectionale ad comprobationem oppositionum conficere, quod S. Congregatio plurimum expedire cognoscit ad hoc, ut veritas magis elucescat ».

580. De nominatione promotorum fidei haec servanda refert *can. 2011. § 1. Promotor fidei* communi denominatione, seu *extra Sacram Congregationem* munus § 1, can. 2010 exercens, *constitui potest* pro libitu a) *vel ad omnes causas* praesentes aut futuras apud idem tribunal, b) *vel ad aliquam causam particularem* ut sic, non taxative unicam.

§ 2 auctorem nominationis competentem edicit. *Promotor fidei generalis et Sub-promotor generalis* nobis noti ex § 2, can. praec.s *a Romano Pontifice eliguntur*, ac proinde per Secretariam Status nominantur et ille quidem per Breve fiebat tempore Bened. XIV, qui de eo et Subpromotore longe disserit in cap. 18 Lib. I citati Operis. Prosequitur canon : *promotor fidei apud Ordinarium tribunal* necessarius vi § 1 can. 2010, a) *si quidem agatur de processu apostolico*, quia hic instruatur ex litteris Sacrae Congregationis, *nominatur a Promotore generali et tunc nomen sub-promotoris* tantum habet, quia supplet Promotorem ipsum generale et ab eo dirigitur per instructionem; *secus*, idest : b) si agatur de processu ordinario, *nominetur ab Ordinario* supra indicato, et quoad tempus *ante edictum de quo in can. 2043*, scilicet : ad perquisitionem scriptorum Servi Dei ordinatum.

581. Officium promotoris fidei explicat *can. 2012. Promotoris fidei est*, quia ut plurimum apud tribunal Ordinariorum sequentia locum habent : *concinnare* in elenchum redigendo *interrogatoria* a) *sobria*, idest : cum brevitate atque claritate ac ordine digesta, b) *mere historica*, quia respiciunt circumstantias tum nativitatis, tum occupationum, professionis, officiorum et gesta Servi

Dei, quae diversas virtutes ostendunt eius, vel de praestito aut non praestito cultu eidem demortui de factis miraculosis ad eius intercessionem patratis, c) *quae non eo spectent ut* suggerendo verbis valde determinatis *certam quandam* indigitatam *responsionem ab interrogato* teste *eliciant*, v. gr. an Dei Servus eo die ad eum locum se contulerit, ibique haec et haec gesserit, d) *quaeque apta sint* propter verba et opportunitatem *ad veritatem* spontanea testis confessione *eruendam etiam super articulis a postulatore propositis*, et ad quae testificanda illos testes postulator induxit, v. gr. an et quae loca Dei Servus frequentaret: an voto aliquo se obstrinxerit; sed praevidens Promotor responsionem affirmativam, potest parare interrogationem: an sciat vel dici audierit quando se obstrinxerit, an sua sponte, an ex confessarii consilio, an votum fideliter servaverit, *eaque* interrogatoria huiusmodi *iudicibus exhibere sub secreti obligatione* ex parte sui et illorum. Unde clausa sint et obsignata, pro usu tantum reseranda.

§ 2. *Est praeterea eiusdem promotoris* ius et officium a) *instare* apud tribunal *ut testes* de audito vel visu Servum Dei cognoscentes, *ex officio*, seu ultra omnes a postulatore inductos, *citentur et* b) *opportunas*, si quae iudicio prudenti exurgant, *promovere exceptiones* adversus testes vel eorum testimonia, vel ex his emergentes; *sed iudex* ad quem hae citationes pertineant fieri, *potest* vi huius canonis *testes*, *etiam* a) *promotore fidei non instante*, quia necessarium vel opportunum is non iudicat instare, *aut* b) *renuente* quaecumque sit ratio sic agendi, *ipso tamen* « promotore fidei » *monito* circa horum vocationem testium, *ex officio*, proindeque iuxta propriam conscientiam *arcessere*, idest: vocare, cogendo quoque, si opus sit.

CAPUT III.

De notario, cancellario et advocatis.

Can. 2013. - § 1. Processibus sive apostolicis sive ab Ordinario loci iure proprio instruendis assistere debet notarius seu actuarius.

§ 2. Notarius apud Sacram Congregationem debet esse e numero Protonotariorum participantium.

Can. 2014. - Religiosi fungi valide nequeunt munere notarii, nisi ex necessitate; in causis autem propriae religionis semper excluduntur.

Can. 2015. - In processibus ab Ordinario loci instruendis extra Urbem, notarii munere fungi potest ipsemet Curiae notarius; in Urbe notarii munere fungatur Protonotarius Sacrae Congregationis, eoque absente, notarius Vicariatus Urbis.

Can. 2016. - Notario dari potest adiutor seu, ut aiunt, *adiunctus* qui ei auxilium praestet in conferendis transumptis cum actis

originalibus, et exemplaribus cum documentis quae ex autographis in bibliothecis, tabulariis, etc., servatis transcribantur.

Can. 2017. - Notarius adiunctus et cancellarius Sacrae Congregationis debent esse sacerdotes, integrae famae et omni exceptione maiores ; cancellarius vero sit praeterea laurea in iure canonico donatus.

Can. 2018. - Advocati et procuratores in causis beatificationis et canonizationis apud Sacram Congregationem debent esse potiti laurea in iure canonico et saltem licentia in sacra theologia, et fecerint oportet tirocinium penes aliquem ex advocatis Sacrae eiusdem Congregationis vel penes ipsum fidei Sub-promotorem generalem ; pro advocatis insuper requiritur legitimus titulus advocati rotalis.

582. Inscriptio capitis huiusque canones. — Aliae sunt personae necessariae ad hos processus conficiendos, et quae adiuvant principales. Non omnes, recenset sub inscriptione *Caput III. De notario* in his causis assumendo ad fidem faciendam actorum, *de cancellario*, vulgo *archivista*, seu « Inspectore archivi Sacrae Congregationis, in quo custodiuntur authentici processus causarum Beatificationis, et Canonizationis, et interpretationes autographae illorum, qui sunt extero idiomate confecti; cumque in sacrorum Rituum Congregatione alia pertractentur negotia, puta praecedentiarum, et similia, processus Beatificationum, et Canonizationum retinentur in loco separato ab aliis scripturis, nec amoveri possunt, nisi de mandato vel Cardinalis causae Relatoris, vel fidei Promotoris, causa illos videndi, quatenus opus sit, et cum onere deinde restituendi ». Haec habet Bened. XIV in cit. opere (Lib. I, cap. 19, num. 6, 7) et confirmat decretis Innoc XI [1] §§ 5, 6.

Sic explicit inscriptio *et de advocatis*, qui nempe apud Sacram Congregationem « scribentes in iure in his causis sunt » admissi.

De his agit ultimus Capitis can. 2018, sicuti unus solummodo can. 2017 tractat de qualitatibus cancellarii. Praecedentes canones loquuntur de notariis, ita ut eius necessitatem determinet can. 2013, dum can. 2014 quamdam retinet inhabilitatem religiosorum, can. 2015 decernit notarium constituendum in Curiis Ordinariorum et can. 2016 agit de notario *adiuncto*.

583. Assistentia notarii edicitur non minus necessaria in his causis, quam in iudicialibus processibus *Can. 2013. § 1. Processibus*, quamvis hi sint revera informationes potius extraiudiciales sub forma sic accurata ut in iudiciis adhibetur, *sive apostolicis* vi nempe litterarum remissorialium Sacrae Congregationis conficiendis, *sive ab Ordinario loci* ad normam can. 198, § 2 et 2002,

[1] 15 Oct. 1678.

iure proprio, quia in canonibus huius secundae Partis « eisdem expresse demandantur » (can. 1999, § 3), *instruendis, assistere debet notarius seu actuarius*, cuius officium cognitum nobis est per canones 374 et can. 1585 quoad iudiciales processus.

Pius PP. X m. pr. « Inter multiplices » [1] loquens de Protonotariis aplcis. supranumerariis, ait: « 23. Licet iisdem acta conficere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium ».

Cum igitur Romae sic eveniat, statuit § 2. *Notarius*, qui « assistere debet » *apud Sacram Congregationem* Rituum *debet esse e numero Protonotariorum participantium*, idest. e « septem qui Collegium privative constituunt » (M. pr. cit. n. 1).

584. Inhabilitas ad hoc officium iam statuta ante Codicem est retenta sub *can. 2014*. Porro Ssmus. Leo PP. XIII, quo constitutio haec in Notarios rite ordinateque fiat,... omnino decrevit: ut in quibuscumque Processibus tam Apostolicis quam Ordinariis pro Causis Servorum Dei conficiendis, non possint Clerici assumi in Notarios, nisi a suis Ordinariis Notariatus privilegio in scriptis antea insigniti fuerint, Regulares autem viri nonnisi ex Apostolico privilegio, ac de venia suorum Praesulum: firmo simul remanente quoad eosdem Regulares Decreto sa. me. Clem. PP. XII, diei 12 Augusti 1731, quo prohibetur ne sub quovis praetextu assumantur in Notarios Processuum Religiosi viri eiusdem Ordinis, quem Servi Dei, dum vixerunt, professi sunt, sub poena nullitatis » [2].

Decretum hoc Leonis XIII sic immutatum mansit. *Religiosi*, « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), et non solum « Regulares viri », *fungi valide nequeunt*, ideo « nulla habeantur acta processuum huiusmodi tantum illorum manu exarata, vel saltem ab eo subscripta » (can. 1585, § 1), *munere notarii* « pro causis Servorum Dei conficiendis » a) *nisi ex necessitate*, v. gr. quia desunt alii idonei, alias « nonnisi ex Apostolico privilegio »; b) *in causis autem* huiusmodi *propriae religionis*, « quam Servi Dei, dum vixerunt, professi sunt, *semper*, absque supra posita exceptione, *excluduntur*, et consequenter ad primam partem « sub poena nullitatis ».

585. Notarii harum causarum extra Romanam Curiam dantur legitimi. *Can. 2015. In processibus*, « sive apostolicis sive iure proprio » (can. 2013, § 1) *ab Ordinario loci* cuiuslibet *ins-*

[1] 21 Febr. 1905. — [2] 16 Iul. 1894.

truendis a) *extra Urbem*, *notarii* necessarii *munere fungi potest*, ad ius quod attinet, *ipsemet Curiae notarius*, vel unus inter plures existentes « ad quaelibet acta » (can. 373, § 2), et cum huius « officii provisio scripto consignetur » (can. 159), servabitur praescriptum Leonis XIII relatum; b) *in Urbe notarii munere fungatur*, iubente hoc canone, *Protonotarius Sacrae Congregationis* « e numero Participantium » iuxta can. 2013, § 2, *eoque absente* ab Urbe ex contextu, *notarius Vicariatus Urbis* iuxta declarationem datam.

Sic nunc iure constituto servandum erit, soluta controversia, quam memorat Bened. XIV, (Op. cit. Lib. I, Cap. 19, n. 5). « Aliquando etiam de Notario Sacrae Congregationis quaesitum est, an ipse de necessitate adhibendus esset in confectione processuum Beatificationis, et Canonizationis, qui aliquando fiunt in Urbe, auctoritate Apostolica a Cardinali Vicario, aut ab Episcopis ab isto deputatis: et quamvis prima facie responderi posse visum fuerit, in dictis processibus adhibendum esse Notarium Sacrae Congregationis, cum eius auctoritate memorati conficiantur processus; contraria nihilominus opinio in usu recepta est, ita ut liberum sit Cardinali Vicario quemlibet sibi acceptum (dummodo sit idoneus, et qualitates habeat necessarias) destinare in hac hypothesi Notarium. Procedit enim in hoc rerum statu Cardinalis Vicarius tanquam delegatus; et delegatus quidem non tenetur uti Notario delegantis, sed quemlibet alium sibi magis acceptum adhibere potest: atque re ipsa, cum in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria, die 14 Sept. 1715 de hac eadem re sermo habitus fuisset, postrema illa praevaluit opinio, quam etiam praecedens validam reddiderat observantia ».

586. De notario adiuncto haec habet *can. 2016. Notario* cuilibet in his causis *dari potest* vi huius canonis *adiutor* muneri, *seu, ut aiunt*, quia in praxi adhibitus, *adiunctus qui ei auxilium praestet*, veluti exemplum proponitur, *in conferendis* a) *transumptis cum actis originalibus*, quod opus a duobus perfici oportet, *et* pariter b) *exemplaribus* typis forsan impressis *cum documentis*, a quibus illa derivantur et *quae ex autographis in bibliothecis* quibuslibet, *tabulariis* publicis, *etc.*, *servatis transcribantur*.

587. Qualitates praedictorum recenset *can. 2017.* a) *Notarius* quilibet ex dictis, b) *adiunctus* de quo in praec. can., *et* c) *cancellarius Sacrae Congregationis* iuxta inscriptionis Capitis declaratam hinc confirmatam, *debent esse* ob praescriptum praesens a) *sacerdotes*, b) *integrae famae* propter rem de qua agitur,

et c) *omni exceptione maiores* prout exposcit munus reddendae fidei publicae; *cancellarius vero*, quia idem de quo supra, *sit praeterea* d) *laurea in iure canonico donatus*, et hoc sufficit, quin sit Notarius ipsius Congregationis, sicut fiebat teste Bened. XIV (op. cit. Lib. I, cap. 19, n. 6).

588. De Procuratoribus et Advocatis viget Dec. a S. Congr. Rituum editum die 12 Maii 1897 [1], quo statuitur incompatibilitas horum munerum in eadem persona. Ut haec distinctio sarta maneat, per extensum decernuntur actus, qui alterutro muneri competunt vel etiam utrique. Ac demum normae ab ipsis servandae quoad scripturarum confectionem atque honorarii perceptionem. Bened. XIV (loc. cit. n. 11) scripsit: « Porro in sacrorum Rituum Congregatione minime leguntur memorialia, sive scripturae spectantes ad causas Beatificationum, et Canonizationum, nisi sint a Procuratore subscriptae; iuxta decretum editum die 18 Martii 1679, quod fuit innovatum et confirmatum die 31 Aug. 1680. « Sacra Rituum Congr... iterum mandavit, quod non recipiantur in futurum memorialia, et scripturae Beatificationum et Canonizationum, nisi sint subscriptae a Procuratoribus; et ita decrevit, et servari mandavit die 31 Aug. 1680 ».

In Decretis quoque Innoc. XI sub § 11 legitur: « Et, quia materiae gravitas, et dignitas exposcit ut pertractetur et dirigatur a viris notae probitatis, experientiae, et peritiae; censuit Sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam informationes in facto, quam summaria, in quibus potissime consistit causarum pondus, assumantur solum Procuratores collegii Sacri Palatii Apostolici, tribuendo Postulatoribus libertatem eligendi ex illo coetu, quem voluerint ».

« Verumtamen id non officit, ait Bened. XIV (op. cit. n. 12), quin Summus Pontifex, vel sacrorum Rituum Congregatio, accedente tamen pontificia approbatione, indulgere possint, ut Procurator, qui non est de Collegio, in Causis Beatificationis et Canonizationis scribat et patrocinetur: idque saepius factum est, non solum post Decreta Innoc. XI. sed etiam post citatum (ibi aliud) Decretum anni 1701. Et merito, tum quia causae istae totum hominem requirunt, et collegii Procuratores aliis Curiae negotiis ut plurimum sunt implicati; tum quia plerique reperiuntur maximopere idonei ad harum causarum patrocinium, qui in collegium Patronorum non admittuntur ex defectu aliorum requisitorum, quae nihil habent commune cum causis servorum Dei.

[1] Legi potest in Codice pro Postulatoribus: pag. 289.

« Advocati vero (verba sunt decretorum Innoc. XI. § 12) ad scribendum in iure assumi debeant ad libitum Postulatorum, dummodo sint ex collegio sacrae Consistorialis aulae, vel ex duodecim aliis approbatis a Sacra Congregatione, ita tamen, ut quilibet eorum sex tantum causas patrocinari possit ». Quamquam et id de more non observatur, neque observari potest, propter rationes supra (op. cit. Bened. XIV nn. 13, 14, 15) allatas, cum de Procuratoribus agebatur. Haec ipse.

In Const. vero eius « Inter conspicuos » [1] sub § 14 ait: « Et quoniam, inter maiores causas, quae a Romano Pontifice cum Venerabilium Fratrum suorum consilio definiuntur, Beatificationes Servorum Dei, ac Beatorum Canonizationes merito recensentur, congruum propterea visum est, ut praerogativa scribendi in iure in huiusmodi Causis Collegio Advocatorum Consistorialium reservaretur; quamvis, habita ratione plurium Officiorum, quae illis incumbunt, opportune quoque statutum sit, a Congr. S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praeposita, duodecim alios e celebrioribus Romanae Curiae Causarum Advocatis ad hunc effectum approbari et deputari, ad hoc ut Causarum huiusmodi Postulatores earum Patrocinium alicui ex illis, pro ipsorum libitu, servatis servandis valeant demandare ».

Attenta igitur disciplina per temporum successionem inducta in Romanam Curiam, praesertim ope reformationis Pii PP. X, et servata mente praefatorum textuum, praescribit *can. 2018. Advocati*, ad scribendum in iure, praesertim responsiones Animadversionibus Promotoris Generalis Fidei, *et Procuratores*, qui Summaria disponunt, quae deinde typis edenda sunt. Atque edito Summario, Advocatus aut Procurator Informationem scribit, quae continet brevem historiam vitae Servi Dei, ac demonstrationem virtutum heroicarum illius, donorum et miraculorum. Utrique igitur praedicti *in causis beatificationis et canonizationis apud Sacram Congregationem* exercentes munus alterutrum *debent esse* a) *potiti laurea in iure canonico* quae includit cognitionem ipsius integram, *et saltem licentia in sacra theologia*, ut de virtutibus, donis, miraculis atque ordine supernaturali sanas obtinuerint notitias, *et* b) *fecerint oportet tirocinium* experientiae acquirendae causa a) *penes aliquem ex advocatis Sacrae eiusdem Congregationis* qui propterea his causis elucubrandis incumbit, *vel* b) *penes* ipsum *fidei Sub-promotorem generalem*, qui ex officio his causis devovetur pertractandis, unde obtinebunt tam

[1] 29 Aug. 1744. — [1] 29 Iun. 1908. CO. I, 32.

Advocati quam Procuratores illas qualitates iure praecedenti intentas in bonum Causarum; *pro advocatis*, ut salvum maneat privilegium Advocatorum consistorialis aulae, *insuper requiritur legitimus titulus advocati rotalis*. Nam reminisci oportet can. 44 Legis propriae S. R. Rotae et Signaturae Apostolicae: « § 1. Advocati proprii ac nativi sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae sunt advocati consistoriales.

§ 2. Admittuntur tamen et alii sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in canonico iure instructi, post triennale tyrocinium vel qua adiutores penes aliquem ex Auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint, a sacrae Rotae Decano et ab uno ex notariis subsignatum, ac iusiurandum coram rotali Collegio dederint de munere ex conscientia adimplendo ».

TITULUS XXIII.

De probationibus in his processibus adhibendis

CAPUT I.

De probationibus generatim.

Can. 2019. - In his causis probationes debent esse omnino plenae; nec aliae sunt admittendae, nisi quae ex testibus et ex documentis eruantur.

Can. 2020. - § 1. Ad probandum nunquam Servo Dei cultum fuisse praestitum, quatuor saltem testes sunt necessari.

§ 2. Ad probandam famam virtutum, martyrii ac miraculorum, octo saltem testes requiruntur, qui singulares esse possunt singularitate, ut aiunt, adminiculativa; praeterea duo saltem testes ex officio vocandi sunt.

§ 3. Ad probandas virtutes vel martyrium, requiruntur testes de visu et contestes: historica monumenta adminiculum tantum praestare possunt.

§ 4. Si habeantur in processu apostolico testes ex auditu a videntibus et in informativo testes de visu, possunt ii omnes coniungi in linea probationis.

§ 5. Si vero adsint in informativo testes de visu et in apostolico testes tantummodo ex auditu auditus, hi habent vim adminiculi, magis vel minus gravis pro prudenti iudicum aestimatione; et tunc tantum ad ulteriora, idest ad miraculorum disceptationem, procedi potest, cum ex horum omnium testium coniunctione talis habeatur probatio quae viro prudenti de re gravi iudicaturo fidem factura sit et auctoritatem.

§ 6. In causis tamen antiquis per viam non cultus procedentibus, in quibus deficiunt oculati testes vel ex auditu a videntibus, et in causis procedentibus per viam casus excepti, virtutes et martyrium probari poterunt per testes ex au-

ditu atque ex publica fama, quae annulatam, uti aiunt, traditionem ex auditu constituat, et per documenta coaeva vel monumenta uti authentica recognita.

§ 7. Denique miracula semper probanda sunt per testes de visu et contestes.

CAN. 2021. - Cultus immemorabilis probatur per authentica monumenta, quae constitutioni Urbanianae, an. 1634 promulgatae, centum annorum spatio antecedant vel illo saeculo perdurante sint edita, dummodo facta referant quae saltem centum ante annos contigerint una cum populi traditione nunquam interrupta.

CAN. 2022. - Longissimi temporis cultus a Sede Apostolica permissus per documenta coaeva probatur.

589. Inscriptio Tituli ac huius divisio. — Deinde considerandus est *Titulus XXIII. De probationibus* factorum, quorum veritas seu existentia *in his* diversis *processibus* eluceat necesse est in finem intentum, ac propter causarum naturam *adhibendis*, iure approbante aut iubente.

Cum de factis praeteritis cognitionem solummodo ex testimoniis hauriamus, probationes testium ac documentorum unice commendantur, prioribusque accedunt periti medici seu chirurgi, qui de factis miraculosis fidem facere possunt, an secundum progressus eorum artis illa excedant vires naturae, sive quoad curationis substantiam, sive quoad circumstantias in quibus curatio evenit. Ex his logica patet divisio Tituli in tria capita. « Caput I. De probationibus generatim. Cap. II. De testibus et peritis. Caput III. De documentis processui inserendis ».

590. Capitis I canones tres, equidem can. 2019 exprimit vim probationum necessariam et species admissae illarum. Can. 2020 statuit taxative numerum testium et qualitatem de visu vel auditu secundum ius pro singulis processibus, dum can. 2021 et 2022 praescribit modum probandi factum cultus immemorabilis simpliciter vel longissimi temporis iam rite approbati.

591. Quales sint probationes decernit *can. 2019* referens disciplinam ultra centenariam [1]. *In his causis* beatificationis et canonizationis, *probationes*, seu factorum per legitima argumenta ostensiones iudici factae » *debent esse* quoad effectum seu vim persuadendi *omnino plenae*, ita ut undequaque excludatur prudens timor erroris in morali certitudine ex illis proveniente; *nec aliae sunt admittendae*, quia publica auctoritate non recognoscuntur ut idoneae ad obtinendam convictionem animi, *nisi quae* uti ex mediis probatoriis a) *ex testibus*, quae verbo *et ex documentis*, quae scripto *cruantur* ad fidem factorum adstruendam.

[1] S. R. C. decr. 28 mart. 1733.

592, Numerus et qualitas testium diversimode exiguntur ad probationum vim sufficientem pro diversitate processuum. Hoc enucleate praescribit *can. 2020* per relativas paragraphos.

§ *1. Ad probandum nunquam Servo Dei* beatificatione donando *cultum* publicum *fuisse praestitum* in obsequium Decretorum Urbani VIII, quando hac via proceditur, *quatuor saltem* numerum quod attinet, *testes* de hac re *sunt necessarii* ob iuris voluntatem.

§ 2. *Ad probandam famam* seu communem opinionem a) *virtutum* modo extraordinario exercitarum respectu fidelium eiusdem status et conditionis, b) *martyrii* stricto sensu quoad Servos Dei martyres *ac* c) *miraculorum*, *octo saltem*, considerato numero, *testes* in quolibet processu *requiruntur*, *qui singulares esse possunt*, eo quod non deponant concorditer de uno eodemque facto, sed *singularitate*, *ut aiunt* canonistae *adminiculativa*, quia ad rem intentam in iudicio quod attinet, se adiuvant mutuo ad fidem de aliquo facto perhibendam, nempe: de fama praedicta; sed *praeterea duo saltem testes* ad idem *ex officio vocandi sunt* a iudice, sive instante promotore fidei, sive ipso ad minus monito.

§ 3. *Ad probandas* pro diversitate causarum *virtutes* singulas, tum theologales, tum morales in gradu heroico, *vel martyrium* quoad factum toleratae mortis pro Christo et causam ipsius ex motivo religionis violentam, *requiruntur testes* a) *de visu*, qui hoc sensu alterutrum factum perceperint et propria scientia causam huius noverint, *et* b) *contestes*, seu concorditer deponentes de uno et eodem facto: *historica monumenta*, quibus facta in his processibus probanda referuntur *adminiculum tantum* corroborans illa testimonia *praestare possunt* ad effectum de quo agitur.

Praecedens paragraphus intelligenda est semper de processu informativo, qui ab Ordinario iure proprio conficiatur et quantum fieri possit de processu apostolico, sicuti constat tum ex his, quae dicuntur a Bened. XIV (op. cit. L. II, cap. 4, n. 7), tum ex sequentibus. Bened. XIV in const. « Cum ex relatione » [1] testatur sibi innotuisse « saepe excitatam fuisse inter eiusdem Congregationis (Rituum) Consultores controversiam, an in causis Beatificationis, et Canonizationis Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, cum disputandum proponitur Dubium super Virtutibus aut Martyrio, Testes de auditu auditus, qui soli extant in processu Apostolico, in linea probationis iungi possint cum Testibus de visu, qui extant in processu Ordinario; contendenti-

[1] 17 Iul. 1744.

bus nonnullis, id tantum fieri posse, si Testes de auditu, qui extant in Processu Apostolico, sint de auditu a videntibus; aliisque asserentibus, idipsum fieri debere, etiamsi Testes non sint de auditu a videntibus, sed de auditu auditus, dummodo caetera alia non desint, quae requiruntur pro coniunctione Processus Ordinarii cum Processu Apostolico, et alia etiam concurrant a Congregatione Rituum statuta, ut rite, et recte admittantur Testes de auditu ».

Prosequitur § 2 const.ˢ, qui textus admittitur in Codice, ut videbitur. « Nos ad amputandam quamcumque controversiam, decernimus primo, non posse in linea probationis coniungi testes de auditu auditus in Processu Apostolico examinatos, cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario, praedictamque coniunctionem in linea probationis competere tantum Testibus de auditu a videntibus, qui sint in Processu Apostolico examinati, dummodo caetera supra indicata non desint requisita: et ex coniunctione Testium de visu examinatorum in Processu Ordinario, cum Testibus de auditu a videntibus, examinatis in Processu Apostolico, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi posse, *Constare de virtutibus etc.*, aut *Constare de Martyrio*: et in progressu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione sufficere debere duo miracula, quae ante Beatificationem patrata sint, et approbata; et pro obtinenda Canonizatione sufficere debere alia duo miracula, post Beatificationem secuta et approbata ».

Haec simul sumpta elucidant sequens praescriptum, in quo, relictis pro nunc iuridicis relatis effectibus, et accipiens quod huius canonis proprium est, statuit § *1. Si habeantur* a) *in processu apostolico* « ad probandas virtutes vel martyrium », sicut clausula fuit declarata in §° praec. *testes* necessarii *ex auditu* proprio *a videntibus* actus illarum vel martyrium, tum eis referentibus, qui deposuerunt in processu ordinario, tum aliis, qui non deposuerunt, et quando agitur de virtutibus, etiamsi circa diversos actos heroicos virtutum agatur, quia non actus sed habituales virtutes inquiruntur, *et* a) *in informativo*, seu in processu elaborato ab Ordinario loci proprie iure, *testes de visu* proprio actuum virtutum vel tolerati martyrii, *possunt* ad ius probandi quod attinet, *ii omnes coniungi* ad effectum processus apostolici *in linea probationis*, idest: ut ex omnibus concordibus conflentur probationes omnino plenae a can. 2019 requisitae, atque sufficiente de qualitate testium vi §ˢ 3ˢ. Praescriptum verbo « possunt » supponit a) non amplius inveniri tempore processus

apostolici testes de visu, secus enim hi superstites essent omnino vocandi et audiendi ad normam §[i] 3[i], et b) abfuisse culpam Postulatorum tum in differendo Processu apostolico usque ad mortem testium de visu, tum in petendis litteris remissorialibus ad audiendum iterum eos, ne ob senium, longinquam absentiam, vel imminentem morbum fatalem, haec testimonia in futurum pereant.

In const. eadem Benedictus XIV sic prosequitur: « § 2. Decernimus secundo loco, quod, si in Processu Ordinario Testes extent de visu, et in Processu Apostolico non reperiantur nisi Testes de auditu auditus, Testes hi de auditu auditus, in Processu Apostolico excepti, vim et robur adminiculi habere valeant, modo quidem levis, modo gravis, prout eorum numerus, et qualitas exposcit, ita ut, exclusa a Postulaboribus quacumque fraudis, aut negligentiae suspicione, ex qua factum sit, ut soli Testes de auditu auditus in processu Apostolico fuerint examinati, si, attentis numero, et qualitate Testium de visu in Processu Ordinario examinatorum, habitaque consideratione adminiculi non levis, sed gravis, desumpti ex Testibus de auditu auditus in Processu Apostolico examinatis, res ad eum statum redacta sit, ut faciat fidem, et auctoritatem Viro prudenti de re gravi iudicaturo, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi possit, *ita constare de Virtutibus*, aut *ita constare de Martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, hoc est ad discussionem Miraculorum*: nec obtineri posse Decretum Beatificationis, nisi tria Miracula praecesserint, quae fuerint approbata: neque demum Canonizationis Decreto locum esse debere, nisi duo alia post Beatificationem miracula superveniant, quae pariter fuerint approbata ».

Hinc desumptum est atque illustratur praescriptum § 5. *Si vero adsint in informativo* processu seu « Ordinario » *testes de visu* actuum virtutum vel martyrii, *et in apostolico testes tantummodo,* quia si alii habeantur, fortius urget praescriptum, *ex auditu* proprio *auditus*, quia illi a quo audiverunt testes praesentes, non viderunt facta, sed a videntibus aliis audierunt, *hi habent*, quin probationes adaugeant, *vim adminiculi* ad iudicium de vi probationum efformandum, *magis vel minus gravis* seu attentione digni *pro prudenti* ex propria experientia et circumstantiis causae *iudicum aestimatione*, hoc constituit principium adoptatum iuxta mentem Bened. XIV, *et* quoad praxim iuridicam *tunc tantum ad ulteriora, idest ad miraculorum* subsequuturam *disceptationem*, sic respondendo: *procedi potest, cum ex horum om-*

nium tum de visu, tum de auditu auditus *testium coniunctione talis habeatur probatio*, seu ostensio veritatis per talia argumenta, *quae viro prudenti de re gravi*, seu magni momenti *iudicaturo fidem*, seu assensum certum *factura sit et auctoritatem* seu pondus extrinsecum mentem convincens.

Duas praecedentes paragraphos intelligendas esse « de causis per viam non cultus procedentibus » monstrat § 6 sic exordiens adversative. *In causis tamen* beatificationis a) *antiquis* ratione vitae Servi Dei, b) *per viam non cultus procedentibus*, *in quibus* illa de causa c) *deficiunt oculati testes* in processu ordinario *vel ex auditu a videntibus* in processu apostolico, alioquin necessariis ad applicandum praescriptum alterutrum §§ 4, 5, *et* hoc ipsum a fortiori accidet *in causis procedentibus per viam casus excepti*, quae incipiunt innixae praesertim super cultu praestito ab immemorabili vel longissimo tempore, *virtutes et martyrium* pro diversitate confessoris vel martyris Servi Dei in utrisque causis supra declaratis *probari poterunt* approbante iure a) *per testes ex auditu* hodiernos *atque*, simul b) *ex publica fama* seu communi opinione, *quae annulatam, uti aiunt, traditionem*, idest: non interruptam *ex auditu* seu historice referentium *constituat*, idest: quae diversorum temporum successione constet, *et* c) *per documenta* idest: scripturas quae referant (virtutes et martyrium huiusmodi Servi Dei, *coaeva* ipsi, *vel monumenta* quae aliter exprimerent virtutes et martyrium, *uti authentica recognita*, nempe: quae ipsum Servum Dei respiciant et quae ad tempus conveniens pertineant.

« Tametsi etiam in Beatis, et antiquis, ubi testes de visu habeantur vel haberi possint, ex his, et non ex solis testibus de auditu, eorum virtutes aut martyrium (quemadmodum et in variis huiusmodi causis factum est) probari debent », sicut animadvertit Bened. XIV [1].

Hoc praescriptum §[i] 6[i] decerptum est ac dilucidatur ex cit. Bened. XIV const. « § 4. Demum tertio loco decernimus, nihil per praesens Decretum a Nobis fuisse immutatum super Dubio Virtutum, aut Martyrii, in Causis, quae procedunt per viam casus excepti, aut in quibus , etsi procedant per viam ordinariam non Cultus, soli Testes de auditu extant in Processu tum Ordinario, tum Apostolico; quoad eas enim exacte observari mandamus Dec. generale a Nobis editum die 23 Aprilis 1741 ».

In eo sic legitur: « Ex quadam etiam aequitate, ne interdum

[1] **Dec. generale S. C. Rit. 23 Apr. 1741.**

scilicet contingat, causas, Dei atque hominum iudicio ceteroquin promoveri dignas, ex solo testium de visu quandoque non culpabili defectu, iacere omnino et perpetuo derelictas; praesertim cum, neque raro, claris de coelo signis et prodigiis auditur Deus huiusmodi defectu non attento, amicum suum, ut superius ascendat, invitare: possit eadem (quae ibi scripta fuit prius, sicut in canonis paragraphum verbis transcripta est) subsidiaria probatio admitti et in causis simplicium Dei Servorum per viam non cultus procedentibus: quando tamen non constiterit, primos auctoritate ordinaria processus fuisse dolo malo aut culpabili negligentia tamdiu dilatos, donec testes de visu nulli superessent, et quando etiam comperto eiusmodi testium defectu, sacrae tamen Congregationis consilio signata causae fuerit Commissio, et litterae remissoriales ad processus auctoritate apostolica faciendos expeditae, nulla cum spe testium de visu in ipsis audiendorum.

Atque in his causis deinde suffragium laturi ubi ex dicta probatione subsidiaria, omnibus simul rite et recte pensatis, talis ac tanta (ipsorum iudicio) exsurgat veri martyrii, aut virtutum heroicarum moralis (ut aiunt) certitudo, qua non impossibile quidem, sed imprudens (ipsorum pariter sententia) reddat iudicium de opposito; ne qua ex diversitate respondendi oriatur deinde sententiarum ambiguitas, hac ferme formula respondeant seu rescribant: virtutes in gradu heroico, aut martyrium ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem miraculorum, in casu et ad effectum, de quo agitur ». Quod videmus in praxi positum.

Prosequutio Decreti pertinet ad ultimam canonis paragraphum. « Simul tamen, ne iuris rigor in his causis adhiberi nedum solitus, sed et necessarius, ullo pacto relaxetur; sed quod ex humano testimonio deerit, divino compensetur: miracula primum quidem quacumque in causa sive Beatorum ad Canonizationem, sive Servorum Dei ad Beatificationem, nonnisi ex testibus de visu quoad substantiam approbentur; nulla ratione habita illorum, quae in processu ex solis testibus de auditu deposita, et quantiscumque documentis confirmata perlegantur: cum nova alia subinde miracula, testibus de visu plene comprobata, possint quotidie, si Deus voluerit, supervenire ».

Quapropter ait § 7. *Denique miracula* singula ex necessariis, ut infra, *semper* pro qualibet causa Beatificationis et Canonizationis *probanda sunt*, *per testes*, qui *de visu* noverint factum, *et contestes*, seu concordes in suis depositionibus ad invicem.

Quicumque maiorem eruditionem huius canonis desideret,

inveniet eam in Opere Bened. XIV, Lib. II, cap. 4 et 5, Lib. III, cap. 3.

593. De speciali casus excepti probatione normam dat *can. 2021. Cultus* publicus Servo Dei *immemorabilis* seu ab immemorabili tempore praestitus, scilicet: cuius initium memoriam hominum excedat, casum exceptum constituens, *probatur* iure constituto a) *per authentica monumenta*, sive lampades appositae sepulcro sint, sive imagines cum radiis, sive aliis sanctitatis signis, sive scripta cultum praestitum referentes, quae omni fictionis suspicione careant, b) *quae constitutioni Urbanianae* prius relatae, *an. 1634 promulgatae*, ut vidimus, *centum annorum spatio antecedant* iuxta Urbani VIII declarationem supra transcriptam, *vel* c) *illo saeculo perdurante sint edita*, *dummodo* in hac hypothesi *facta referant* cultus *quae saltem centum ante annos*, ut satisfiat dictae Constitutioni, *contigerint*, atque in omni casu d) *una cum populi traditione* cultus publici *nunquam interrupta*. His sub conditionibus erit Servus Dei in publici cultus vera possessione legitima.

594. Alterius casus excepti probatio, qui nonnumquam accidit, ut ex historia constat, determinatur legitima sub *can. 2022. Longissimi temporis*, seu ultra centum annos, *cultus a Sede Apostolica permissus* quoad aliquos actus, *per documenta*, quae hanc permissionem contineant vel referant, *coaeva* concessioni, quae temporis spatium prudens indigitat, *probatur* ut in iudiciis solitum est.

CAPUT II.

De Testibus et peritis.

Can. 2023. - In processibus beatificationis omnes Christifideles, salvo praescripto can. 2027, § 2, n. 1, tenentur, licet non vocati, ea in Ecclesiae notitiam perferre, quae contra virtutem aut miracula aut martyrium Servi Dei facere ipsis videantur.

Can. 2024. - Tanquam testes vocandi in primis sunt a promotore fidei, etsi a postulatore non inducti, ii omnes qui cum Servo Dei familiaritatem vel consuetudinem habuerunt.

Can. 2025. - § 1. Omnes de quibus in can. 2023, 2024, nisi iam tanquam testes se inductos sciverint, dare litteras debent ad proprium Ordinarium, quibus utrum consuetudinem cum Servo Dei habuerint an aliquod factum peculiare aperiendum cognoscant et quodnam illud sit, breviter exponant; Ordinarius vero has litteras promotori fidei transmitte ndas curet.

§ 2. Religiosi vel religiosae litteras eiusmodi, sigillo clausas, immediate et directe ad Ordinarium aut fidei promotorem transmittant, vel confessario tradant qui illas quamprimum ad Ordinarium vel promotorem fidei deferendas curet.

§ 3. Illitterati rem parocho exponant, qui ad Ordinarium vel promotorem fidei eam referat.

Can. 2026. - Superiores religiosi gravi obligatione tenentur curandi ut omnes subditi, qui debent, accedant ad deponendum, quos tamen nec directe nec indirecte impellant ad testandum in unum potius quam in alium sensum.

Can. 2027. - § 1. Admittuntur ut testes consanguinei, affines, familiares, haeretici quoque et infideles.

§ 2. Admitti nequeunt :

1.° Confessarius ad normam can. 1757, § 3, n. 2 ;

2.° Postulator, advocatus aut procurator in causa, durante munere ; si vero munus penitus dimiserint, admittuntur, sed adminiculum tantum suppeditare possunt ;

3.° Qui munere iudicis aliquando in causa functi sunt.

Can. 2028. - § 1. Medici a curatione, quicunque ii sint, cum de miraculis agitur, tanquam testes sunt inducendi.

§ 2. Quod si renuerint se tribunali sistere, curet iudex ut saltem scriptam et iuratam relationem de morbo eiusque processu conficiant actis inserendam, vel eorum sententia per interpositam personam excipiatur, deinne examini subiiciendam.

Can. 2029. - Testes in sua testificatione propriae scientiae causam reddere debent circa ea quae asserunt ; secus eorum testimonium nihili faciendum est.

Can. 2030 - Ad probandam famam sanctitatis vel martyrii Servi Dei qui pertinuerit ad aliquam religionem, dimidia saltem pars testium debent esse extranei.

Can. 2031. - Cum peritorum opera est necessaria :

1° Periti sint saltem duo, quorum alter alteri sit ignotus, salvo praescripto n. 4 ;

2.° Deputentur a tribunali per maiorem suffragiorum partem, audito fidei promotore, vel, si penes Sacram Congregationem operam suam praestare debeant, a Cardinali Ponente, audito fidei generali Promotore ; semper autem excludi debent qui in causa testis munere functi sunt ;

3.° Postulator certior ne fiat quinam periti fuerint designati ; et ipsimet periti de sua designatione secretum servent ;

4.° Periti seorsim singuli ad peritiam deveniant, nisi ex iusta causa iudex, assentiente promotore fidei, permittat ut ii simul peritiam instituant ;

5.° Singuli relationem peritiae a se confectae scripto tradant ; sed deinde seorsim interrogentur, etsi peritiam simul confecerint.



595. Inscriptio capitis et ordo canonum. — Deinde considerandum est *Caput II. De testibus*, qui « exponant sincera veritate, quid de factis ad processum facientibus perceperint aliquo eorum proprio sensu vel saltem ex aliorum relatione cognoverunt », *et peritis*, qui testibus accensentur, eo quod « intimius scrutantes causam factorum, sincera veritate referunt, an facta miraculosa, tum quoad substantiam, tum saltem ex eorum circumstantiis superent secundum artis medicinae aut chirurgiae progressus obtentos vires naturae ».

Postremus tantum can. 2031 de peritis dat regulas sequendas. Testium vero haec apparet diversitas. Aliquae personae testimonium tenentur reddere vel ex praecepto eis imposito in can. 2023, vel eo quod vocandi sunt omnino, ut cavet can. 2024. Ne igitur hi testes desint curat can. 2024, et si religiosae personae fuerint, curare idipsum obligantur earum Superiores per can. 2025. Postquam vero can. 2027 statuit quinam testes admitti vel reiici debeant, praecipit can. 2028, ut medici a curatione in processu de miraculis audiantur. Denique testimoniorum omnium conditio necessaria exprimitur a can. 2029, quem subsequitur alius pro determinatis casibus Servi Dei, qui religiosus extitit.

596. Omnes Christifideles respicit *can. 2023* relativus alteri Ordinariorum obligationi, quam continet Dec. S. C. Rit. [1] sub n. « I. In omnibus causis, praesertim recentioribus, R.mi Ordinarii in condendo informativo processu praeter testes qui causae favent, eos etiam universos omnes qui causae adversantur excutiant, nemine excepto, idque sub poena nullitatis, onerata conscientia tum Ordinariorum tum Promotorum fiscalium ».

En canonis praescriptum: *In processibus* singulis *beatificationis* tantummodo a) *omnes* absque ulla sexus vel aetatis limitatione *Christifideles*, sic vocati propter fidei catholicae professionem, eo quod hi soli parent Ecclesiae auctoritati, b) *salvo praescripto can. 2027, § 2, n. 1*, quod loquitur de confessario Servi Dei quoad aliqua, ut ibidem declarabitur, c) *tenentur* in conscientia ob iussum canonis, c) *licet non vocati* rite ad ferendum in illis testimonium, d) *ea* ab ipsis scita *in Ecclesiae notitiam* eo modo, quem determinat can. 2025, *perferre*, e) *quae* pro diversitate processuum *contra* a) *virtutem* requisitam b) *aut miracula* proposita, *aut* c) *martyrium Servi Dei facere* seu militare *ipsis* prudenti iudicio *videantur*.

[1] 26 Aug. 1913. CO. V, 437.

597. Testes necessarii sunt, quos edicit *can. 2024*. In quibuslibet processibus, quia canon, nec distinguit, nec limitationem can. praec. requirit, cum hi testes de visu sint semper praeferendi. *Tamquam testes*, idest: in hunc finem a) *vocandi in primis* seu prae aliis *sunt* legitima citatione b) ex postulata *a promotore fidei, etsi a postulatore non inducti*, nam inductio huiusmodi fovenda esset ab illo, c) *ii omnes* absque ulla sexus vel aetatis, etc. limitatione, quamvis plures numero, *qui cum Servo Dei*, cuius causa pertractatur a) *familiaritatem*, eo quod de eadem familia domestica vel in domo religiosa eadem unove collegio, convixerunt, *vel* b) *consuetudinem*, nempe: habitualem relationem quolibet ex motivo *habuerunt*.

598. Cautio statuta in observantiam praecedentium duorum canonum invenitur sub *can. 2025*. § *1. Omnes* absque exceptione *de quibus* obligatis aut primo vocandis declaratum est *in can. 2023, 2024, nisi iam tanquam testes se* a promotore fidei vel a postulatore *inductos sciverint*, quando fieri potuit aperto processu, quia in hoc scientes non urgentur sequenti praecepto: a) *dare litteras*, seu scripto notificare, *debent* b) *ad proprium*, quem « per domicilium sive per quasi-domicilium sortitur » (can. 94, § 1), aut si vagus sit, « loci in quo vagus actu commoratur » *Ordinarium* loci, eo quod Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis excluduntur implicite verbis §[i] sequentis, *quibus* a) *utrum consuetudinem*, nam de familiaritate non praesumitur in promotore fidei ignorantia, *cum Servo Dei*, cuius causa nunc agitatur, *habuerint*, ut can. 2024 observetur, b) *an aliquod factum peculiare* forsan ignotum sed gravioris momenti *aperiendum* pro Servo Dei aut contra id quod processu intenditur *cognoscant et* simul *quodnam illud sit, breviter exponant*, ut sic perpendat iudex an illa persona sit qua testis vocanda; *Ordinarius vero* supra declaratus, qui forsan non erit iudex in causa, *has litteras* sibi missas a) *promotori fidei* illius processus b) *transmittendas* modo sibi bene viso *curet*. Illi ergo incumbit haec obligatio transmissionis per se vel per alium implenda.

§ 2 praevidens constitutiones religionum de litteris clausis non mittendis esse revocatas solummodo per canonem 611, cavet hic contra illa, quae propterea « abrogatae sunt » (can. 489): *Religiosi vel religiosae*, « qui nempe vota nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), etiamsi « ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sint » vi can. 615, vel quia « specialiter eorumdem religioni fuerit concessum exemptionis privilegium » (can. 613, § 1), a) *litteras eiusmodi*, quas « dare debent » vi §[i] 1[ae] scilicet:

tali modo, ut a receptore aperitio forsan patrata, b) *sigillo clausas* certo deprehendatur, proinde nulli obnoxias inspectioni, nam c) *immediate* sine intermediario *et directe* omisso ergo proprio Ordinario, quem designavit praecedens paragraphus, a) *ad Ordinarium*, qui processum informativum instruere debet, nam disiunctive loquitur canon addens: b) *aut fidei promotorem transmittant*, et quia « in alternativis debitoris est electio: et sufficit alterum adimpleri » iuxta reg. iuris 70 in 6°, ut possint « religiosi vel religiosae » satisfacere facilius in hac re propriae conscientiae, additur: *vel* c) *confessario* proprio tantum « sive ordinario, sive extraordinario, sive peculiari » (can. 520, 521, § 1) *tradant*, *qui* vi huius canonis *illas* « litteras eiusmodi, sigillo clausas », uti recepit, *quamprimum*, ac intra triduum esset sufficiens, *ad Ordinarium vel promotorem fidei*, nuncnunc declaratos *deferendas* fortassis per alios *curet*. Agit ergo vices intermediarii fiduciarii.

§ 3 providet his, qui aliter possent invocare 6 reg. iuris in 6°: « Nemo potest ad impossibile obligari ». *Illiterati*, qui comprehenderentur sub praescripto §^{i} 1^{ae}, *rem* litteris exprimendam *parocho* « suo » (can. 94), *exponant*, *qui* iussu praesenti *ad Ordinarium vel promotorem fidei* sub §° praecedenti declaratos *eam referat* modo sibi beneviso.

599. Specialis obligatio imponitur per *can. 2026. Superiores* locales aeque ac maiores *religiosi*, « qui vota nuncuparunt in aliqua religione, (can. 488, 7°) et « potestatem habent (saltem) dominativam in subditos » (can. 501, § 1), *gravi obligatione* officii ex his canonibus derivata *tenentur*, quin obstent, *curandi* positive a) *ut omnes subditi*, nullo excepto, *qui debent* iuxta can. 2023, 2024 vel legitime citati, *accedant* servatis clausurae legibus *ad deponendum* in his processibus, b) *quos tamen nec directe* verbis hoc exprimentibus, minis, consiliis, *nec indirecte* per alios vel dissuadendo per fraudes *impellant ad testandum*, non praecise quidquam falsi, sed solummodo *in unum potius quam in alium sensum*, etiamsi de quibusdam solum quaesitis agatur.

600. Testes in specie admittendi aut reiiciendi enumerantur sub *can. 2027*. Bened. XIV in eius Opere cit. sic incipit (Lib. III Cap. 6, n. 1): « Ne haereticorum irrisionibus sacrum Beatificationis et Canonizationis iudicium exponatur, nedum plures, sed et fide digni usquequaque testes adhibendi sunt, qui de virtutibus, martyrio, aut miraculis ferant testimonium, ut optime scripsit Dominicus Gravina » [1]. Et in fine n. 2^{i} concludit: « Satis ergo erit hic

[1] Catholic. praescript. tom. 4 continuat. 2 par. pag. 345.

adnotare, quod qui in aliis iudiciis a ferendo testimonio repelluntur, multo magis arcendi sunt a testimonio in gravissimis causis Beatificationis et Canonizationis, et alia nonnulla exponere satis erit ad hanc materiam pertinentia, de quibus aliquando dubitare contingit in Sacrorum Rituum Congregatione ». Et corroboratur dictum « eo quia potissimum probationes in his iudiciis requisitae ex alibi dictis aequiparari debent, quantum fieri potest, ponderi probationum, quae in iudicio criminali ad poenam ordinariam sunt necessariae » (Ib. n. 3). Deinde in dicto cap. 6 et seq. perpendit modo sibi proprio ac erudito diversas conditiones testium, qui recensentur in hoc canone et duobus sequentibus.

Haec principia retineantur ad iudicandum de idoneitate testium. Verumtamen in can. 1757 § 3 nonnulli recensentur, qui « ut incapaces repelluntur a testimonio ferendo ». In horum respectu loquitur praecipue canonis praesentis textus. § *1. Admittuntur ut testes* in causa Servi Dei, eius quoque a) *consanguinei*, b) *affines*, etiam « in quolibet gradu lineae rectae et in primo gradu collateralis » (can. et § cit.° n. 3°), tum [1] « quod attinet ad testes consanguineos vel affines eius qui intercessione Servi Dei, vel Beati miraculose sanitatem recepit, eorum testimonium ratione consanguinitatis aut affinitatis reiici non poterit: ut plurimum etenim sunt prae ceteris conscii tum morbi, tum sanitatis, et modi quod sanitas ipsa habita est ». Quod confirmat relatione curationis coeci nati facta in evangelio S. Joan. (cap. IX, vers. 18 et seq.). « Item, quod spectat ad consanguineos vel affines eius Servi Dei..., cum etiam in criminalibus consanguinitas et affinitas testem non repellant a testimonio reddendo, si tractetur de detegenda rei innocentia, si res sit de criminibus exceptis, puta laesae maiestatis divinae et humanae, demum si veritas facti per solos huiusmodi testes comprobari possit; concludendum esse videtur, parentes in causa filiorum, maritum in causa uxoris et contra, si de Beatificatione aut Canonizatione tractetur, ad examen posse admitti ». « Quae vero dicta sunt de consanguineis et affinibus, si non potiori, saltem aequali iure de domesticis etiam et familiaribus dicta censenda sunt », hinc canon addit « admittuntur ut testes », *familiares*. « Ostendunt (igitur) haec omnia, consanguinitatem, affinitatem et familiaritatem non obstare...; dummodo tamen alias non patiantur exceptiones; dummodo eorum dicta, aut scripta sinceritatem redoleant, et ea referant, quorum notitiam e veris fontibus hauserunt; et dummodo concurrant ea que S. P. Pius II affert in Bulla Canonizationis S. Catharinae Senensis: « cum id pos-

[1] Bened. XIV in suo Opere, Lib. III, cap. 6, n. 12.

sit (testis) rite et honeste facere, etc. Neque enim fieri potest, quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat praerogativae. Nihil tamen ob hanc causam plus minusve dicere licet, quam verum est. Nec propter cognationem aut patriae charitatem inter Sanctos quisquam sine meritis, sine solito examine, sine consuetis sollemnitatibus referendus est ».

Ait demum canon : « Admittuntur ut testes » *haeretici quoque et infideles*. Nec sine causa ». « Alibi nempe visum est, (apud Bened. XIV, Lib. III, cap. 7), n. 7) non esse audiendum, qui ex vindicta et malo animo se opponeret Canonizationi... et quidem, cum (infideles et haeretici) sint fidei catholicae inimici, negative videtur esse respondendum, iuxta textum in can. Ipsa pietas 23, qu. 4. « Quos enim divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt. At, cum haec regula non sit perpetua, sed suas patiatur limitationes; puta si infidelis aut haereticus testetur pro Catholico, ut habetur in can. Si Haereticus, v. Sin autem 2. qu. 7. Sin autem Orthodoxus contra Haereticum litiget, pro Orthodoxo quidem Haeretici testimonium valeat : hinc fit, ut causis de quibus agimus, bene et utiliter admitti possint ad probandum, iuxta illud Lactantii [1] : Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis » et infra. « Ex iuris Consultis autem idipsum advertit Lezana [2] : « Veritas, quae ab inimico pectore et ore interdum extorquetur, gratior esse solet ». Idque ut plurimum accidit in causis Martyrum : Si enim infideles testentur, se mortem Dei servo inflixisse ex odio in fidem, ab eoque atrocissima tormenta fuisse patienter tolerata, testimonium hoc multum proderit in causa Martyrii, concordatque etiam praxis S. Congregationis.

§ 2. *Admitti nequeunt* : ad testimonium ferendum « ut incapaces » :

1° *Confessarius* Servi Dei, sive ordinarius, sive extraordinarius, repetita periodo, sive specialis pro Dei Servo in communitate, *ad normam can. 1757, 3, n. 2°*, videlicet : « quod attinet ad ea omnia quae confessariis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli (sacramentalis) soluti sint ».

Ad rem haec est doctrina Bened. XIV. (op. cit. L. III, cap. 7, n. 1). « De virtutibus vero, revelationibus, et similibus gratiis, quas in Confessione poenitens manifestat, dubitatur, an sub sigillo confessionis comprehensae sint... Cum enim ex dictis virtu-

[1] De vera sapientia lib. 4, cap. 12.
[2] Cons. 3, n. 36, tom. 4 Oper.

tes, revelationes, et similia dona Dei, per se loquendo, non sint materia sigilli sacramentalis, sed naturalis, deficientibus circumstantiis, quae eas faciunt sub sigillo sacramentali comprehendi. post obitum Poenitentis a Confessariis passim manifestantur; quod utique fieri non posset nec deberet, si revelationes, virtutes, et alia similia dona fuissent manifesta modo supra exposito pro qualitate peccati clarius exponenda ».

Et infra (n. 2) testatur de se ipso: « Quando postea in sacris congregationibus suffragium meum uti Consultor pro veritate exposui, semper sensi, non esse causae imponendum silentium ex defectu examinis Confessariorum, cum Ecclesia iudicet de externis, et heroicae virtutes Servorum Dei probari possint dictis aliorum testium fide dignorum, qui frequentiam dictorum actuum cognoverint, et viderint, eodemque modo dona supra naturam probari valeant; si vero in aliqua causa exhibita fuerunt examina Confessariorum, ea dixi maximopere utilia, ita ut examina haec Confessariorum non inter necessaria, sed inter utilia et quae maximopere conducunt, videantur esse recensenda.

Et infra (n. 4) « de qua quidem (utilitate) mihi dubitandum esse non videtur, tum quia ex testimoniis Confessariorum plura desumi possunt, quae resolutioni dubii super virtutibus, et recto de istis iudicio favere valent, tum quia concors est praxis Sedis Apostolicae Confessarios in testes admittendi », ut in causis Beatificationis Confessarii testimonium reddant de conscientiae puritate Servi Dei, de eius immunitate a peccatis tum mortalibus tum venialibus et de revelationibus, visionibus et aliis gratiis gratis datis, quas in excipiendis Servi Dei confessionibus cognoverunt.

Prosequitur paragraphus: in testes « admitti nequeunt » congruenter praescripto can. 1757, § 3, n. 1° utpote « qui partes sunt in causa, aut partium vice funguntur »: 2° *Postulator, advocatus aut procurator in causa* eadem Beatificationis et Canonizationis, in qua unisquisque est talis, quia subditur, *durante munere*, « propter specialem affectionem, quam erga suam causam gerere consueverunt », ait Bened. XIV (op. cit. L. III, c. 6, n. 10); *si vero munus penitus* pro eadem saltem causa *dimiserint*, ita ut nullatenus se intromittere possint qua tales, *admittuntur*, « et quatenus, dimisso officio, examini subiicerentur, si alia concurrunt requisita, (v. gr. sint bonae vitae et famae, et multo magis si essent Clerici aut religiosi), ipsorum dicta non probationis vim », *sed adminiculum tantum suppeditare possunt*, prout tenuit Bened. XIV.

Denique 3° *Qui munere iudicis* ordinario iure aut delegato

aliquando, multo etiam tempore anteacto, *in causa* huius Servi Dei Dei *functi sunt*, et patet.

601. De medicis aut chirurgis, qui sanatum miraculose infirmum artis suae auxilium ministrarunt, est conditus *can. 2028* peculiariter.

Huc faciunt reflexiones Bened. XIV (op. cit. L. III, cap. 7, n. 8). « Nonnullorum opinio est, Medicos scientia pollentes miraculis adversari: quod ita ne intelligendum est, ut non ita facile sanationes referant inter miracula. Medici autem certi (ut alibi visum est) a sacrorum Rituum Congregatione interrogantur, ut suum pro veritate ferant iudicium super his, quae tanquam miraculosa a Postulatoribus proponuntur: sed de his modo non loquimur. Sermo in praesenti est de Medicis qui infirmum curarunt, qui dicitur per miraculum consecutus fuisse sanitatem: et de his quidem primo quaeritur, an eorum examen sit utile, deinde, an necessarium. De utilitate nimirum nulla esse potest controversia: status enim morbi ex eorum testimonio dignoscitur, sanationisque modus ex eodem quoque desumitur. Quapropter nemo non videt tum Consultores sacrae Congregationis, tum Medicos ab ea interrogatos in miraculi discussione tutius procedere posse, si Medici curae astantes testati sint, quam si eorum testimonium deficiat. Et vero, dum fungebar munere fidei Promotoris, multa vidi miracula reiecta ex defectu dicti examinis, licet de obitu Medicorum ante processu confectionem Postulatores docuissent. Quae autem dicta sunt de Medicis, sibi vindicant locum etiam de Chirurgis, si morbus, de cuius miraculosa sanatione agitur, opera Chirurgi exquisiverit ».

His assentit § *1* praescribens. *Medici* propter artem medendi *a sanatione*, seu, ut ait Benedictus XIV « medici, qui infirmum curarunt, qui dicitur per miraculum consecutus fuisse sanitatem », aut « Chirurgus, si morbus (huius infirmi), de cuius miraculosa sanatione agitur, opera Chirurgi exquisiverit » de facto, *cum de miraculis agitur* directe in processu, *tamquam testes sunt inducendi* a postulatore vel a promotore fidei.

Subiungit (n. 9) Bened. XIV « ut transeamus ad necessitatem... concludendo, crederem, cautissime procedendum esse in approbatione miraculorum tertii generis; in quorum classe ut plurimum sanationes recensentur, si desit testimonium Medici qui aegroto adfuit: eaque in eo solo casu vix admittenda esse existimarem, ubi ceteri testes apti et idonei clare qualitates morbis assererent; ubi morbus ex eis esset, qui per se patent, et etiam a non Medicis aut Chirurgis cognosci possunt; ubi medicamina

ab eis exprimerentur, quae aegroto fuerunt adhibita; ubi de statu antecedenti desperato, et de subita sanatione invocato prius Beato, una cum virium recuperatione testificarentur ».

Attamen, sicut ipse animadvertit: « tum quia causa Beatificationis et Canonizationis est voluntaria, tum quia nova supervenire possunt miracula », statuit § 2. *Quod* si « medici a curatione » declarati sub §° 1ª *renuerint se tribunali* citanti *sistere*, *curet iudex* a) *ut* hi « medici » *saltem scriptam* et si obtineri potest *iuratam relationem de morbo* alterutrius speciei, ut supra, quis sanatus miraculose asseritur, *eiusque processu*, dum idem medicus aut chirurgus suam praestiterunt operam, *conficiant actis inserendam* ex canonis praescripto, *vel* b) *eorum* « medicorum a curatione » iuxta declarationem datam *sententia*, de tali morbo supradicto *per interpositam personam* prudenter delectam *excipiatur* ad aurem, *deinde* ex canonis praescripto *examini* de hoc colloquio *subiiciendam* coram tribunali.

602. Conditio ad testimonii validitatem est, quam decernit *2029* in eo servandam. *Testes* quilibet harum causarum a) *in sua testificatione*, seu iuridica depositione b) *propriae scientiae causam* « quomodo nempe noverint, sive per sese notitiam acceperint, sive ab aliis audiverint, et an ii fuerint oculares vel de auditu, quos nominabunt, sive legerint in historiis, sive publica fama ea divulgaverit... Cum vero in Processu *de Non cultu* aut *de Fama in genere* testantur... coarctare quoque debent responsionem suam, idest rationem cur id asseveraverint reddere, ex. gr. quia si secus esset non eos lateret, etc.

Testantes in causis antiquis, aut *super cultu ab immemorabili tempore praestito*, debent nominare maiores suos a quibus ea quae testantur audierunt, et etiam maiores maiorum si possint, ut de continuata constet traditione, aut de continuato cultu » [1]. Sic « propriae scientiae causam » *reddere debent* c) *circa ea* diversa *quae asserunt; secus* idest: ni adducant causam, quin expectent de illa toties interrogari, vel saltem ad interrogationem, *eorum testimonium* ob talem defectum *nihil faciendum est*, quibus verbis canon ut « irritans lex habenda est » (can. 11).

603. De Religiosis denique et Monialibus quaeritur, ait Bened. XIV (op. cit. L. III, Cap. 6, n. 13), « an in testes admitti possint » in causis Beatificationis aut Canonizationis Servi Dei, vel Beati eiusdem Instituti Professoris. Ceparius [2] sic loquitur: « In his causis admittuntur etiam ad testificandum testes ex eadem

[1] Cod. pro Postulat., p. 50, ed. III. — [2] Direct. Canoniz. part. 2, c. 7.

Religione ut idonei; idque ex regula generali, quod testes de Universitate pro illa admittantur testimonium dicere quando de eorum singulari commodo non agitur... Nec obestat suspicio affectionis: illa enim purgatur per iuramentum testis. Concurrit sanctitas et perfectio religiosorum, ex quo magis praesumitur veritatem dicere cum iuramento, et sic facilius ad testificandum pro suo Religioso admittuntur ».

Benedictus XIV ibidem affert plures textus, qui rem confirmant et sic concludit: (num. 17, 18) « Solliciti ergo sint Postulatores, ut testes adhibeant Religiosos, cum agitur de probanda observantia regulari eius, de cuius agitur Beatificatione: nec enim testibus Religiosis erit detrahenda fides ratione praesumptae affectionis non solum ex rationibus supra ex opere P. Ceparii desumptis, sed etiam ex eo, quia ea res alio modo probari non potest. Idem dicendum est quoad Moniales, quarum testimonia reiici non possunt tum in casu praedicto, tum in ceteris, quae intra claustra monasterii effecta sunt, et quae extra per alios probari non possunt ».

« Quod si res sit de factis, aut gestis quae ad notitiam exterorum potuerunt devenire, ut affectionis vitium omnino avertatur, curent Postulatores una cum testibus Religiosis alios extraneos afferre de iisdem asserentes; veluti dicunt Doctores de testibus Universitatis, qui in causa Universitatis utiliter asserunt, si in eodem dicto alii sint contestes, qui non sint de Universitate ».

Haec doctrina manet salva in praxi hucusque servata, illique doctrinae cohaeret mirifice *can. 2030* agens de re quae omnibus religiosis et exteris nota debet esse. *Ad probandam famam* a) *sanctitatis* pro Servo Dei confessore, *vel* b) *martyrii Servi Dei* Beatificatione donandi *qui pertinuerit ad aliquam religionem* in can. 488, 1° definitam, *dimidia saltem pars testium* in tali processu *debent esse extranei* idest: non membra illius religionis.

604. De peritis calligraphiae vel in arte medico-chirurgica, vel aliis, qui adhibeantur in causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei statuit *Can. 2031* sic incipiens: *Cum peritorum opera est necessaria*, vel absolute ad certitudinem consequendam in casu, vel saltem quia valde utilis ea « opera » censetur.

Hoc potest contingere in processu circa « perquisitionem scriptorum Servi Dei », quando aliqua dubia inveniantur, vel difficilis lectionis, in documentis processui inserendis, prout iubet Dec. S. C. Rit.s [1] in n. « IV. Omnia et singula documenta, sive compulsata cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta, su-

[1] 26 Aug. 1913, CO. V, 438.

biiciantur iudicio peritorum a S. R. C. eligendorum, qui scriptis doceant de eorum auctoritate et vi. — Promotori vero Fidei, antequam indicetur Congregatio ordinaria pro introductione causae, omnia documenta exhibeantur una cum sententia peritorum ». Praesertim « autem medici certi a sacrorum Rituum Congregatione interrogantur, ut suum pro veritate ferant iudicium super his, quae tanquam miraculosa a Postulatoribus proponuntur ».

In supra dictis ergo casibus: *1° Periti* necessarii a) *sint saltem duo, quorum alter alteri* qua talis designatur, *ignotus*, c) *salvo praescripto n. 4* subsequentis, « quando iudex permittat ut ii simul peritiam instituant ».

2° Deputentur singuli *a tribunali* processus uniuscuiusque ordinarii vel apostolici, utpote collegiali a) *per maiorem suffragiorum partem*, b) *audito fidei promotore*, sed consensus ipsius non est necessarius, *vel si penes Sacram Congregationem operam suam praestare* directe *debeant*, v. gr. ut supra ex Dec.° et praxi vidimus, *a Cardinali Ponente* seu relatore causae, b) *audito*, ut supra fuit declaratum, praecise *fidei generali Promotore*, *semper autem* in quacumque igitur hypothesi *excludi debent* a tali opera *qui in causa* pro ad aliquo eius processu v. gr. ad normam can. 2028 *testis munere*, data etiam eius « sententia per interpositam personam », *functi sunt* ante designationem in peritum. His aequiparantur, qui ut testes iam inducti sunt aut certo praevidentur inducendi, quamvis ad hoc non cogamur ex textu.

3° Ad plenam libertatem peritorum tutandam: *Postulator*, qui Beatificationem aut Canonizationem obtinere nititur, *certior ne fiat*, unde iubetur canone secretum erga illum singulariter esse cavendum, *quinam periti fuerint designati* ad normam n^{i} 2^{i}; *et* ad hoc obtinendum *ipsimet periti*, quia libertas eorum causae et consequenter boni Ecclesiae interest, *de sua designatione seecretum* generaliter *servent* vi huius canonis.

4° Periti quoquot fuerunt designati *seorsim singuli ad peritiam* seu examen scripturae, sanati miraculose ab infirmitate eis commendatum atque ad propriae artis regulas perpendendum, *deveniant*, *nisi* a) *ex iusta causa* convenienti seu necessaria b) *iudex*, cui defertur exceptio concedenda, c) *assentiente promotore fidei*, nam secus viget regula, *permittat ut ii* duo vel plures designati *simul peritiam* declaratam *instituant* seu peragant;

5° Singuli, in casu etiam dictae permissionis, *relationem peritiae a se confectae* vi numeri praecedentis *scripto tradant* tribunali, a quo designati fuerunt; *sed deinde seorsim* iuxta regulam n° 4° declaratam *interrogentur* apud idem, *etsi peritiam* iuxta exceptionem *simul confecerint.*

CAPUT III.

De documentis processui inserendis.

CAN. 2032. - § 1. Documenta, quibus postulator innititur, integra exhibenda sunt tribunali.

§ 2. Sed alia quoque documenta poterit a postulatore tribunal exigere, quae ad veritatem detegendam conferre eidem tribunali videantur.

CAN. 2033. - § 1. Testimonia extraiudicialia scripto consignata sive ab iis quos postulator in processu interrogari curaverit circa virtutes et martyrium Servi Dei, sive ab aliis quos postulator interrogandos proposuerit, etsi in processibus afferantur, recenseri tamen nequeunt inter documenta quae in iudicio de Servi Dei sanctitate vel martyrio vim probativam habent.

§ 2. Nec elogia funebria et necrologia illico post mortem Servi Dei exarata vel typis edita legitimam probationem constituunt.

§ 3. Multoque minus testimonia virorum quamvis illustrium circa virtutes et opera Servi Dei non sponte, sed amicorum precibus, eo adhuc vivente, scripto tradita.

CAN. 2034. - Qui documenta exhibent, debent declarare eorum originem et authenticitatem.

CAN. 2035. - § 1. Historiae non habent vim documentorum, nisi documentis innixae in processu exhibitis.

§ 2. Si qui magnae auctoritatis viri his documentis usi sint eaque probaverint, eorum testimonium afferri debet tantum ad confirmandam documentorum authenticitatem et auctoritatem.

CAN. 2036. - § 1. Documenta historica, sive manu scripta sive typis impressa, quibus postulator Servi Dei virtutes aut cultus eidem praestiti antiquitatem eiusque non interruptam continuationem probare intendit, inserantur in processum et cum ipso transmittantur ad Sacram Congregationem et a viris peritis examinentur.

§ 2. At si quod ex his in bibliotheca vel tabulario asservetur, unde deduci nequeat, eius exemplar scriptum vel phothographice redditum exhibeatur cum testificatione scripto reddita a notario tribunalis de eius authenticitate.

§ 3. Si ne id quidem fieri possit, res deferatur ad Sacram Congregationem, quae peritos designet ut ea recognoscant ubi asservantur.

605. Capitis inscriptio et canones. — Transeundum est ad aliam probationum speciem in his causis admissam, quae nempe « ex documentis eruantur » (can. 2019). Hinc *Caput III* tractat *De documentis*, seu scriptis, quae ad posterorum mentem de factis edocendam ordinata sunt, *processui* unicuique harum causarum *inserendis* causa probationis.

Canones sunt: 2032 de documentorum exhibitione, 2033 respuens quaedam documenta, etsi veritas non denegetur nec dubitetur ipsa genuina esse. Alii sequuntur (can. 2034) circa declarationem, quae documenta comitare debet, (can. 2035) quoad historias et scripta virorum magnae auctoritatis, ac denum can. 2036 de documentorum insertione ipsa.

606. De exhibitione documentorum haec est regula generalis. *Can. 2032. § 1. Documenta*, sive manu scripta, sive typis

aliove instrumento impressa iuxta declarationem inscriptionis, *quibus postulator*, ad quem pertinet quaerere omnia ad causam pertinentia, *innititur*, eo quod subministrent probationes scriptas, tum observantia non cultus, vel de cultu praestito, v. gr. imaginibus cussis, lampadibus extantibus tempore transacto, de virtutibus v. gr. ex relatione Superiorum ad Moderatorem Generalem, vivente Servo Dei, vel de martyrio v. gr. ex relatione ad S. Congregationem facta per Vicarium Apostolicum de statu persecutionis in propria missione, *integra* etiam quoad partes causam non attingentes *exhibenda sunt tribunali*, apud quod processus instruitur. Etenim hoc modo vitantur fraudes ac veritas pro et contra ex eodem documento hauritur.

§ 2. *Sed*, quia postulator seligere posset documenta sibi utilia tantummodo, a) *alia quoque documenta*, indeterminate cognita vel quae constant aut supponantur existere, b) *poterit a postulatore* iuxta munus suum *tribunal* pro iure suo hinc exorto *exigere* praesentanda vel saltem quaerenda, v. gr. apud archivum Curiae, ut dicunt, generalitiae instituti religiosi, c) *quae ad veritatem* de virtutibus, martyrio, fama sanctitatis, aut cultu forsan praestito *detegendam*, prout res se habeat, *conferre eidem* declarato sub §° 1° *tribunali* ordinario aut apostolico *videantur* prudenter iuxta circumstantias ipsius causae.

607. Documenta in his causis reiicienda recenset *can. 2033*. In Decretis Innoc. XI « de Processibus aliisque » 15 Oct. 1678 legitur: « Nono. Cum in Decreto approbato a fel. rec. Urbano VIII [1]... Sacra Congregatio cognoscens quod in hac re, utpote gravissima, rite sancteque procedendum est, prohibuerit omnibus(et singulis personis Ecclesiasticis, tam Saecularibus, quam Regularibus, quantumvis speciali nota dignis, ne audeant per se, vel per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones, sub poenis arbitrio ipsius Sac. Congregationis infligendis, illud confirmando iussit, quod huiusmodi extraiudiciales attestationes non solum exquiri, aut obtineri non valeant, sed rursus, quod hactenus obtentae, sive in futurum obtinendae, non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in processibus, tam Ordinaria quam Apostolica auctoritae fabricandis ».

His Decretis cohaeret § *1. Testimonia* de Servo Dei *extraiudicialia*, idest: extra hos processus causae Beatificationis recep-

[1] 12 Mart. 1631. Vide illud sub n. 356, supra.

tae testificationes *scripto consignata*, quae proinde sunt documenta ad tenorem inscriptionis, a) *sive ab iis* testibus etiam de visu, *quos postulator in processu interrogari curaverit* cum effectu *circa virtutes et martyrium Servi Dei* eiusdem, b) *sive ab aliis quos postulator interrogandos* solum *proposuerit*, et a fortiori c) ab aliis recepta contra decretum Innoc. XI vel etiam secundum eius tenorem cum declaratione Pontificis ut « non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in processibus », *etsi* documenta supradicta sub a) b) et c) *in processibus* de facto *afferantur* inserta, *recenseri tamen nequeunt* vi huius prohibitionis *inter documenta quae* ad normam can. 2019 *in iudicio* praecise *de Servi Dei sanctitate vel martyrio*, nam de miraculis sunt necessarii testes de visu examinandi a tribunali, *vim probativam habent*. Ad summum possent licite inserta adminiculum ad probationes praebere.

Pariter § 2. *Nec* a) *elogia funebria*, quae in ecclesia pro personis in dignitate ecclesiastica constitutis haberi solent in exequiis, vel quae in accademiis vel sessionibus pronuntiantur honoris causa erga defunctum habitis, *et* b) *necrologia*, idest: scripta, quae vitam demortui breviter recnsent, *illico post mortem Servi Dei* forsitan usque ad anniversariam diem *exarata* ut pronuntientur, vel *typis edita* quolibet numero exemplarium, *legitimam probationem* cuiuslibet valoris in causae processibus ut plurimum « de Servi Dei virtutibus » (supple: non) *constituant* vi praecepti huius ad exitum processus.

Quia vero defectus plenae sinceritatis in manifestatione quoad complexum vitae alicuius personae supponi potest, charitate quoque illud exigente, cavet § 3. *Multoque minus* « legitimam probationem constituunt » iuxta declarationem huius clausulae, a) *testimonia virorum quamvis illustrium* mente, dignitate, et gradu sociali b) *circa virtutes et opera*, seu actiones, *Servi Dei* de cuius Beatificatione agatur, c) *non sponte*, *sed amicorum precibus*, tunc enim ille defectus timendus est, d) *eo adhuc vivente*, e) *scripto tradita*, quo documenta dici possunt.

608. Declaratio documentis addenda. « De fide instrumentorum » in Decretalibus (II, 22) sunt duo capita maximi momenti. Gregorius ait (cap. 1): « Si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus ». Et Alex. III (cap. 2) illud complet dicens: « Scripta vero authentica, si testes inscripti decesserint (nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possunt probari) non videntur nobis alicuius firmitatis robur habere ».

His cohaeret praescriptum, quod continet *can. 2034. Qui documenta exhibent*, ut ea « firmitatis robur habeant », *debent declarare*, ut « ad exemplaria (quidquam) facere possit » iudex, *eorum* singulorum documentorum a) *originem*, utrum sint eadem originalia, vel a quibus sint transumpta, *et* b) *authenticitatem*, idest: sint genuina vel propter testes personamve inscribentes, vel propter notarium publicum, qui conformitatem ostendat cum originalibus, vel propter sigillum et subscriptionem si publica sint.

609. Historiarum auctoritas ad probandum. — Bened. XIV in eius Opere (L. III, capp. 8, 9, 10) diffuse tractat de Historiis ac perpendit resolvitque controversias de illis. « Historia nimirum, etsi, ut Quintilianus ait, scripta est non ad probandum, sed ad narrandum, aliquid tamen sine dubio probat, probabiliter fere: nam aliquando etiam necessarie » [1]. Non ergo mirum, quod illis tribuit Bened. XIV vim probandi pro aliquibus processibus, his verbis: (n. 4) « Quod virtutes et martyrium per historias et chronica probari valeant, si agatur de causis procedentibus per viam casus excepti, vel de causis antiquis in quibus propter temporis antiquitatem testes de visu haberi non potuerunt, facile dignoscitur ». E contra scribit sub n. 5: « Virtutes deinde et Martyrium nullo modo probari posse per historias in causis procedentibus per viam non cultus, et in quibus probationes directae sunt necessariae demonstratur. Si etenim necessariae sunt probationes directae, idoneae non sunt subsidiariae, quae constituuntur in Historicis, iuxta ea quae supra dicta sunt, cum ageremus de miraculis. (n. 3) « Quod in nullo casu miracula probari possint per solas historias et chronica ».

Caute igitur perpendendus est *Can. 2035. § 1. Historiae*, etiam referentes directe actus virtutum, martyrium, miracula Servi Dei, de quo agitur, etiamsi a coaetaneis scriptae fuerint atque narrantes visa ab eodem historico, *non habent vim documentorum*, qua probationes in his causis suppeditant, *nisi documentis innixae*, evolvendo continentiam ipsorum, *in processu* unoquoque *exhibitis* ad normam praecedentium canonum. Tunc enim confirmant ea documenta et eorum vim probandi participant, dummodo historia qualitatibus requisitis in eius auctore sit praedita.

§ 2 loquitur connexe ad eadem documenta. *Si qui magnae auctoritatis* propter scientiam, probitatem ac diligentiam conquirendi veritatem, *viri*, a) *his documentis* « in processu exhibitis », ut supra declaratum est, *usi sint* ad aliquid probandum vel fir-

[1] **Canus. de Loc. Theol. lib. 11 cap. 4, in fine.**

mandum, b) *eaque probaverint* expresse qua vera documenta, *eorum testimonium*, quod supponitur admitti his in causis *afferri debet tantum* sensu ab iisdem intento *ad confirmandam* talium *documentorum* a) *authenticitatem*, quasi genuina sint, *et auctoritatem*, quatenus fides sit eis praestanda.

610. Modus insertionis documentorum processui, pro eorum diversitate statuitur *can. 2036*. In Dec. S. C. Rit. de die 26 Aug. 1913, legitur sub n. « V. Documenta potiora praecipue ex integro typis edantur, praenotatis nomine auctoris, tempore, loco et ceteris id genus adiunctis, atque inserantur Positionibus super virtutibus vel martyrio, una cum relatione peritorum, quos supra memoravimus, de auctoritate et vi documentorum ». Hoc praescriptum retinet § *1. Documenta* iuxta inscriptionis declarationem *historica*, eo quod antiquiora sint, vel ex historiis deprehensa, a) *sive manu scripta*, b) *sive typis impressa*, dummodo constet de « eorum origine et auctoritate » ad normam can. 2034, *quibus postulator* cuiusdam causae a) *Servi Dei virtutes* in processu via ordinaria non cultus, *aut* b) *cultus eidem* Servo Dei *praestiti antiquitatem* sufficientem pro casu excepto *eiusque non interruptam continuationem* necessariam ad illius veram *probare intendit*, a) *inserantur* idest: coniungantur indivulse « integra » (can. 2032, § 1) *in* relativum *processum* ordinarium *et cum ipso transmittantur ad Sacram Congregationem, et* b) *a viris peritis* « omnia et singula documenta, sive (illa supra dicta, quae dicuntur) compulsata cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta (praeter illa); *examinentur*, idest: « subiiciantur iudicio peritorum a S. R. C. eligendorum, qui scriptis doceant de eorum auctoritate et vi » [1].

§ 2. *At si quod ex his* « documentis historicis » declaratis ad § 1, a) *in bibliotheca*, ubi libri proprie dicti asservantur in studiorum subsidium, *vel tabulario*, seu archivo scripturarum pro maiori parte, *asservetur*, b) *unde deduci* ad inserendum *nequeat*, *eius exemplar* fideliter *scriptum vel photographice*, prout nunc est in usu, *redditum exhibeatur* b) *cum testificatione* quamvis paucis verbis *scripto reddita a notario tribunalis de eius* « exemplari » alterutro modo obtenti ac exhibiti *authenticitate*, idest: concordia originali.

§ 3. *Si ne id quidam fieri possit*, v. gr. propter prohibitionem illius, cui subest bibliotheca vel tabularium, *res deferatur ad Sacram Congregationem*, nempe notificetur ab Ordinario, *quae*

[1] Dec. « De Servis Dei » 26 Aug. 1913, n. IV. CO. V, 438.

a) *peritos* ipsius forsitan loci *designet* b) *ut ea recognoscant* ad referendum, in loco *ubi asservantur* documenta alias transcribenda ex supra dictis.

TITULUS XXIV.

De processu beatificationis Servorum Dei per viam non cultus.

Can. 2037. - § 1. Personae quae in processu, sive a locorum Ordinariis iure proprio sive a delegatis Sedis Apostolicae instruendo, partem habent, scilicet iudices, promotor fidei ac sub-promotores, notarius et adiunctus debent, initio uniuscuiusque processus, secundum formulam a Sacra Congregatione praescriptam, iusiurandum praestare de munere fideliter adimplendo, de secreto servando usque ad processus publicationem et de donis cuiusvis generis non accipiendis.

§ 2. Ordinarius, etsi partes iudicis non agat, tenetur tamen praestare iusiurandum de secreto servando.

§ 3. Praeterquam quod de secreto servando, iurare praeterea debent testes, nemine excepto aut dispensato, de veritate dicenda, antequam interrogentur, de veritate dictorum, post factam interrogationem; periti, interpretes, revisores et scriba, de munere bene adimplendo, antequam peritiam, conversionem de uno sermone in alium, revisionem, transcriptionem peragant; de munere bene adimpleto, post peractam peritiam, conversionem, transcriptionem, revisionem. Etiam cursor seu nuntius iusiurandum praestet de officio fideliter obeundo.

§ 4. Postulatores ac vice-postulatores praestare debent iusiurandum *calumniae*, idest iurent se veritatem per totum processum dicturos nullaque fraude usuros.

§ 5. Penes Sacram Congregationem, quod ad iusiurandum attinet, servetur lex eiusdem propria.

611. Inscriptio. — Sequitur *Titulus XXIV* tractans *De processu*, videlicet de complexu omnium actuum, qui secundum ss. canones adimplendi sunt ab initio interventus auctoritatis Ecclesiae in finem *beatificationis* proprie dictae *Servorum Dei*, sive martyres sint, sive tantum confessores, virgines, aut viduae, *per viam non* praestiti *cultus*, eo quod non favet eis antiquitas cultus permissi ab Urbano VIII, nec fuit a Sede Apostolica vel a S. Congregatione aliquo modo permissus. Et in hoc praecise posita est distinctio huius tituli a titulo sequenti.

Nomen processus in hoc titulo, generale nomen est, quatenus finis obtinendus est Decretum Beatificationis, sub quo processu plures invenientur partiales processus, iuxta sententias, quae per gradus oportet dentur, antequam scopus praefatus sit adeptus.

612. Diversa iuramenta emittenda praescribit aut memorat *can. 2037. § 1* duos statim innuit partiales processus, dicens: *Per-*

sonae physicae singulae *quae in processu* « beatificationis per viam non cultus » ex contextu, a) *sive a locorum Ordinariis* ad normam can. 2002, seu non « Vicarius Generalis, nisi habuerit mandatum speciale », *iure proprio*, circa « ea tantum quae in canonibus Capitis expresse eis demandantur », *sive* b) *a delegatis Sedis Apostolicae* post illum *instruendo*, *partem habent*, sive constituentes, aut adiuvantes tribunal, sive concurrentes in favorem beatificationis aut adversantes eidem, *scilicet* a) *iudices* singuli, hinc ipse quoque Episcopus per se instruens processum, b) *promotor fidei* in ordinario processu *ac sub-promotores* in apostolico iuxta can. 2011, c) *notarius* in utroque processu ob can. 2013, § 1, *et adiunctus*, qui « dari potest ut ei auxilium praestet » (can. 2016), *debent* vi huius praescripti, *initio uniuscuiusque processus* ex dictis vel diversi ratione Servi Dei, *secundum formulam a Sacra Congregatione* pro tempore *praescriptam*, insertamque nunc in finem Decretorum Innoc. PP. XI, sub anno 1678. *iusiurandum praestare* a) *de munere* unicuique adsignato *fideliter adimplendo* idest ad normam ss. canonum, b) *de secreto servando* quod ratione officii singulis urget *usque ad processus publicationem* legitimam, *et* c) *de donis* quia non debeantur illae res *cuiusvis generis* sive pecuniae sint, sive remissio debitis, sive quae usu consumuntur aut permanent, *non accipiendis*, respectu habito ad personas, quibus interest exitus processus.

Sic habetur quoad apostolicos processus in Decretis Innoc. XI, sub *Tertio*: « Iidem Iudices, prout etiam Subpromotores, et Notarii, tam in partibus, quam in Curia, ac testes, et in Curia etiam Protonotarius, debeant ante inchoationem processuum praestare iuramentum de servando secretum religiose, sub poena excommunicationis ipso facto in casu contraventionis incurrendae, iuxta formulam eiusdem iuramenti imprimendam in fine Decretorum, et pro omnimoda observantia transmittendam Iudicibus delegatis in ipsis Litteris remissorialibus, et Subpromotoribus in litteris Promotoris ».

Notabilis additur § 2. *Ordinarius* iuxta significationem in can. 1999, § 3 declaratam, *etsi partes iudicis non agat*, eo quod dederit Vicario Generali mandatum speciale, *tenetur tamen praestare iusiurandum de secreto servando.*

Haec ergo iuramenta constare debent manu notarii in ipso processu inchoando. Idemque tenere oportet in sequentibus.

§ 3. *Praeterquam quod* pro singulis personis sequentibus a) *de secreto servando*, ut supra, *iurare praeterea debent* a) *testes* singuli, ac notetur: *nemine excepto* propter dignitatem, aliudve

motivum, *aut dispensato* singillatim v. gr. propter scrupulum ipsius, b) *de veritate dicenda* in responsis suis, *antequam* primo *interrogentur* qua tales, c) *de veritate dictorum*, *post factam* completam *interrogationem* eisdem singulis lectam et forsan correctam; b) *periti* quos moderatur can. 2031, c) *interpretes* necessarii ad versionem documentorum aut testimoniorum ex linguis exteris praeter gallicam in latinam vel italicam, d) *revisores* harum versionum *et* e) *scriba* documentorum transcriptorum, equidem a) *de munere* singulorum proprio *bene adimplendo*, *antequam* sub b) *peritiam*, sub c) *conversionem de uno sermone in alium*, sub d) *revisionem* demandatam, sub e) *transcriptionem peragant;* b) *de munere* quoque *bene adimpleto*, sub b) *post peractam peritiam*, sum c) *conversionem*, sub e) *transcriptionem*, sub d) *revisionem*. Sequitur peculiari puncto: *Etiam*, seu pariter cum praedictis, *cursor seu nuntius*, citationum etc. *iusiurandum praestet de officio* huiusmodi *fideliter* iuxta unamquamque iniunctionem *obeundo*.

Ita legitur in Dec.s Innoc. XI [1], sub *Quarto*: « Considerans quoque S. Congregatio, quod principale fundamentum in causis Beatificationum et Canonizationum constitui debet in fideli interpretatione processuum extero idiomate confectorum, et quod, licet...; idcirco decrevit, quod in posterum in qualibet causa Interpres eligatur ab E.mo Cardinali Ponente, citato, et audito Rev. P. Fidei Promotore, et pro maiori cautela, postquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo viro probo, et perito, qui secrete ad hoc officium assumatur ab eodem E.mo Ponente, et, si reperiatur aliquis error substantialis, Interpres severe puniatur arbitrio Sacrae Congregationis: per quem Eminentissimum deferri debeat tam Interpreti quam Revisori iuramentum de fideliter sibi munus commissum adimplendo; quibus etiam eadem S. Congregatio assignavit mercedem pro suis laboribus, (ibidem determinatam) pro quolibet folio reducto, ita ut facies linearum 24. et linea syllabarum 16 ».

Item sub *Decimo quarto*. « Cum etiam observatum fuerit, saepe Postulatores dare scripturas medicorum, vel chirurgorum pro confirmatione miraculorum, et ex alia parte non fuerit solitum responderi per peritos eiusdem professionis, ideo videtur necessarium ad hoc, ut respondeatur secundum artem, quod Eminentissimus Ponens deputet ex officio, secreto, ac praevio iuramento alium Medicum, et Chirurgum celebriorem, qui respondeat

[1] 15 Oct. 1678.

pro veritate ad effectum videndi, an asserta miracula excedant vires naturae ».

§ 4. *Postulatores ac vice-postulatores* singuli ad normam can. 2005 *praestare debent iusiurandum* dictum *calumniae* supple vitandae, *idest iurent* in nomine Domini *se* a) *veritatem*, prout ab eis noscitur *per totum processum*, in quo generali totius causae vel particulari interveniunt, *dicturos* b) *nullaque fraude*, quae voluntatem subaudit, nempe: circumventione *usuros*.

Denique admonet confirmans § 5. *Penes Sacram Congregationem* Rituum in hac Sectione Beatificationum et Canonizationum, *quod ad iusiurandum* in his Causis *attinet*, *servetur lex eiusdem propria* pro tempore, nunc ex diversis Constitutionibus et Decretis conflata.

613. Divisio Tituli in capita facilis captu est, si considerentur verba can. 2037, § 1: « in processu (duplici propter sequentia verba) sive a locorum Ordinariis iure proprio sive a delegatis Sedis Apostolicae instruendo ». Linea divisoria utriusque aut melius dicetur actus, quia ius proprium Ordinariorum concludit habetur illis verbis designatus: « Edito decreto introductionis causae (apud S. Sedem), Ordinarii nihil ultra circa eam agere possunt sine expressa licentia Sacrae Congregationis » (can. 2084, § 1).

Hinc tria bene distincta Capita. Videlicet: « Caput I. De processibus a loci Ordinario iure proprio instruendis »; « Caput II. De Causae introductione apud Sacram Congregationem »; et Caput III. De processibus apostolicis ».

CAPUT I.

De processibus a loci Ordinario iure proprio instruendis.

CAN. 2038. - § 1. Ad introductionem causae beatificationis Servi Dei, a Sede Apostolica obtinendam, debet prius iure constare de puritate doctrinae in eius scriptis, de eiusdem fama sanctitatis, virtutum et miraculorum vel martyrii, de absentia cuiuslibet obstaculi quod peremptorium videatur; mox vero de cultu publico eidem non praestito.

§ 2. Quare ad preces postulatoris Ordinarius, si petitionem admittendam esse existimaverit, debet:

1.° Scripta Servi Dei perquirere;

2.° Processum informativum instruere super fama sanctitatis, virtutum in genere vel martyrii, causae martyrii et miraculorum;

3.° Processum instruere super non cultu.

CAN. 2029. - § 1. Ad haec competens est Ordinarius loci in quo Servus Dei supremum diem obiit, aut miracula contigerunt; qui tamen non debet ipse per se iudicium iustruere, si sit de gente Servi Dei.

§ 2. Cum antiquus exstat processus super fama sanctitatis vel martyrii ante annos triginta confectus, sed causa, antequam a Sede Apostolica obtineret legitimam in-

troductionem, qualibet de causa fuerit intermissa, ad eosdem Ordinarios eorumve successores pertinet processum informativum conficere super continuatione famae sanctitatis vel martyrii.

Can. 2040. - § 1. Tribunal constare debet praeside, qui est ipsemet Ordinarius per se vel per sacerdotem ad hoc delegatum, et in hoc altero casu duobus aliis iudicibus ab eodem Ordinario eligendis inter iudices synodales.

§ 2. Ordinarius per decretum designet tribunalis praesidem, sive hoc munus sibi reservet, sive delegatum cum duobus aliis iudicibus nominet; eodemque decreto nominet fidei promotorem et notarium.

Can. 2041. - § 1. Sessiones tribunalis pro excipiendo iureiurando et examine testium habeantur diuturno, quoad fieri potest, tempore et in loco sacro.

§ 2. Post unamquamque sessionem acta causae claudi et iudicis sigillo obsignari debent, non aperienda, nisi in sequenti sessione, postquam iudex sigillum integrum et intactum recognoverit; si sigillum integrum et intactum non inveniatur, iudex rem deferat ad Sacram Congregationem.

614. Inscriptio Capitis ac initiales canones — *Caput I* agit *De processibus* ordinatis ad Beatificationem *a loci Ordinario* cum limitatione can. 2002, *iure proprio*, quatenus delegato iuri contradistinguitur, atque vi canonum huius capitis, *instruendis*.

Quatuor sunt canones pracinserti, quorum can. 2038 enumerat processus contentos sub inscriptione, can. 2039 competentiam statuit ad illos perficiendos, de constitutione tribunalis est sollicitus legislator in can. 2040, et de sessionibus ipsis per can. 2041.

615. De his diversis processibus edocet *can. 2038* obiectum singulorum ac numerum. Porro Bened. XIV inquit [1] « huiusmodi Causis initium fieri a conficiendis Processibus propria et Ordinaria auctoritate Episcoporum, sive aliorum Ordinariorum Praesulum. Hinc § *1* statuit. *Ad introductionem* iam sic inceptae *causae beatificationis obtinendae Servi Dei* alias declarati, *a Sede Apostolica* cuius « unius iudicio resservatur » causa huiusmodi (can. 1999, §1), *debet prius iure*, idest: iudiciali processu *constare* sufficientibus deductis probationibus a) *de puritate doctrinae* catholicae *in eius* Servi Dei *scriptis*, si quae sint ab eodem exarata vel dictata, b) *de eiusdem fama* in genere seu multorum proborum ac prudentum opinione, si confessor sit Servus Dei, *sanctitatis*, *virtutum* in gradu extraordinario *et miraculorum* ad eius invocationem obtentorum, *vel*, si mortem violentiam subiit Dei Servus, « de fama » *martyrii* proprie dicti, seu mortis ob Christum illatae ac toleratae, c) *de absentia cuiuslibet obstaculi* obtinendo exitui beatificationis *quod peremptorium videatur*, idest: tale, ut spes consequendae illius evanescat ex praxi S. Congregationis; *mox*

[1] Ep. « Sollicitudini » 1 Oct. 1745. Codicis Iuris Canonici Fontes. Vol. I, pag. 927.

vero, nempe: post praedicta, ut conditio praevia introductioni legitimae, d) *de cultu publico*, prout hic vetatur Dec. Urbani VIII, *eidem* Servo Dei *non praestito*.

Sed ante omnia Ordinarii loci prae oculis habeant verba Bened. XIV (loc. cit.): « His tamen minime properandum esse in demandanda confectione huiusmodi Processum: sed expectandum esse congruum temporis intervallum ab obitu illius Dei Servi, sive Ancillae, de cuius virtutum, aut miraculorum fama inquirendum sibi esse duxerint; neque vero admovendam esse operi manum, nisi praecesserit vera et legitima fama virtutis heroicae, aut miraculi ad illius Servi Dei intercessionem, sive invocationem a Deo patrati; nihil enim frequentius esse, quam post mortem alicuius Fidelis Viri, aut Mulieris, magnam sanctitatis vel miraculorum opinionem in populo oriri, ac potissimum si ab aliquibus de industria rumor foveatur; quae tamen opinio, nisi veritate innixa sit, vel ipso temporis lapsu languescere, et interire, vel etiamsi hominum artificiis aliquandiu sustentari pergat, perspicuis tandem Divinae Sapientiae consiliis destrui, et confundi consuevit ».

Ad illam paragraphi 1^ae^ clausulam « de absentia cuiuslibet obstaculi quod peremptorium videatur » elucidandam verbi causa, sic prosequitur: « In conficiendis autem huiusmodi Processibus, praecipue considerandum esse extremum mortis articulum, in quo nisi aliquid illustre et sanctitate conspicuum se obtulerit, reliquae omnes inquisitiones supervacaneae remanent ».

Clausulam vero « de puritate doctrinae... » respiciunt verba: « Denique ubi a Defuncto, vel, ipso iubente et probante, ab alio quolibet, aliquid scriptum fuerit, ne in praefatis concinnandis Processibus inutiliter tempus, aurumque insumatur, ante omnia ad trutinam revocanda esse huiusmodi scripta, ac diligenter investigandum, an aliquid contra Fidei veritatem, aut contra morum integritatem contineant, vel ullam peregrinae doctrinae novitatem a communi Ecclesiae sensu et consuetudine alienam exhibeant ».

His concordat § 2 praescribens conditionem. *Quare*, idest: ut « introductio causae » secundum § 1 haberi queat, *ad preces postulatoris* legitimi ad normam can. 2003, 2004, sibi porrectas *Ordinarius* loci competens ex can. sequenti, *si petitionem admittendam esse* hic et nunc *existimaverit* prudenter, et praesupposito adimplemento iussionis litt. encycl. S. R. C. de die 12 Martii 1631, *debet*:

1° Scripta Servi Dei perquirere, ut eadem iudicialiter perpendat ad normam sequentis art. I;

2° *Processum informativum* seu ad informationem S. Sedis *instruere* iudicialem ad normam art. II, *super fama* a) *sanctitatis* ad normam Evangelii, b) *virtutum* heroicarum *in genere*, si de Confessore, Virgine aut Vidua sit res, *vel martyrii*, *causae martyrii*, si hoc Servus Dei passus est, *et* pro omnibus *miraculorum*, seu rerum mirabilium vires naturae excedentium;

3° *Processum* iudicialem *instruere* probationibus *super non cultu* ad normam art. III.

In litteris [1] encyclicis, quas indicavimus, haec iussa reperiuntur: « quando apud Amplitudinem tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in Sanctitatem vitae, et miracula alicuius, qui cum praedicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occasionem erroris praebet, non prius generaliter super vitae Sanctitatem inquiri permittat, quam particulariter de alicuius virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo praecedat famae comprobatio, prout prudentiae tuae magis expedire videbitur. Quod per te ipsum exequi Sacra Congr. summopere exoptat: sed si ob invaletudinem, sive ob legitimum aliud, et grave impedimentum id conficere non valebis, super quo conscientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo tua delegare Vicarium tuum Generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum: qui delegatus, sive ille sit Vicarius, sive cuiuscumque dignitatis, cum aliis ad minus duobus dictis Viris, altero scilicet Magistro in Theologia, altero vero Graduato vel Licentiato in Iure canonico, rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cuiuscumque testis, antequam discedant a loco ipsius examinis ».

Omittendo alia inde noscenda, sequitur: « Postquam vero fuerint... acta completa, secreto retineantur, praestito etiam iuramento a Notariis et testibus, se nemini promulgaturos, quidquid ipsi scripserint, aut respective deposuerint, vel de quibus interrogati fuerint. De his autem actis... certiorem statim reddere debebit Amplitudo tua Summum Pontificem, eaque, quanto citius poterit, authentice transcripta ac sigillo obsignata, ad Sac. Rituum Congregationem transmittere. Originalia vero eodem modo consignata, et in capsa clausa pluribus clavibus quae diversis ad arbitrium tuum custodiendae tradantur, in Archivo... conserventur ».

Bened. XIV inquit [2]: « Notandum igitur tantummodo, satis

[1] 12 Martii 1631.

[2] Opus. cit. L. II, C. 2, n. 14.

esse, ut praedicta (initio cit. textus) constent Ordinario citra iuris solemnitatem; si enim secundum hanc de illis constare deberet, necessarius esset processus ante processum ».

616. Ordinarius competens ad hos processus in singulis causis cognoscendus est ex praescripto, quod habet *can. 2039. § 1. Ad haec* necessaria prius « ad introductionem causae beatificationis » (can. 2038) *competens est* vi huius canonis *Ordinarius loci* ad normam can. 198, § 2 et can. 2002, *in quo*, seu intra cuius dioecesim *Servus Dei* de cuius processibus agendum est a) *supremum diem obiit*, quo clauditur indeficienter series actuum heroicorum, *aut* b) *miracula*, quoad horum processum, *contigerunt*, qui certe secundarius est in causa huius Servi Dei; *qui tamen* uterque Ordinarius *non debet ipse per se*, sed per alias personas, *iudicium* quodlibet ex dictis *instruere*, *si sit de gente*, idest: familia non religiosa *Servi Dei*.

Pro casibus, qui non raro accidere timendum est, adiungitur § 2. *Cum antiquus* a) *extat*, seu conservatur *processus* 2° loco positus, *super fama sanctitatis vel martyrii* rite probata *ante annos triginta confectus*, unde intra brevius tempus non urget praescriptum sequens, *sed* b) *causa* eadem, *antequam a Sede Apostolica obtineret legitimam introductionem*, *qualibet de causa*, intrinseca vel extrinseca ipsi causae, etiamsi ex negligentia vel mala voluntate, *fuerit intermissa*, v. gr. ab instruendo processu miraculorum, vel super non cultu, vel his ad Sedem Apostolicam non transmissis, etc. *ad eosdem Ordinarios* videlicet personas, qui illos processus perfecerunt competenter, *eorumve successores*, casu mortis illorum aut cessantibus illis ab officio *pertinet*, prout oportet, *processum informativum* suppletivum *conficere*, eo quod *super continuatione famae sanctitatis vel martyrii*.

617. De tribunalis constitutione normam tradit *can. 2040. § 1. Tribunal* ad hos ordinarios processus instruendos *constare debet* a) *praeside*, *qui est ipsemet Ordinarius* loci ad normam can. 1999, § 3, excluso Vicario Generali ob can. 2002, *per se*, et tunc tribunal esse potest unipersonale, *vel* pro eius arbitrio *per sacerdotem* ratione ordinis episcopalis aut presbyteralis, *ad hoc* taxative *delegatum*, *et in hoc altero casu* praecipitur tribunal collegiale, nam « constare debet » b) *duobus aliis* praeter praesidem *iudicibus ab eodem Ordinario* supra declarato *eligendis inter iudices synodales*, quorum nomine veniunt quoque iudices prosynodales », et omnes illos novimus ex can. 1574.

Qualiter id faciat Episcopus, statuit § 2. *Ordinarius* idem ac in §° 1ª *per decretum* unum *designet tribunalis praesidem*, a) *sive*

hoc munus sibi reservet, quod exprimere saltem opus est, b) *sive delegatum*, ut in §° 1ª manet declaratum, *cum duobus aliis iudicibus* « synodalibus » *nominet*, eos tales constituens; *eodemque* uno *decreto nominet* pariter c) *fidei promotorem* in hac causa constitutum forsan « ad omnes causas », *et* d) *notarium*, qui « assistere debet » vi can. 2013, § 1.

Ex Motu pr: « Inter multiplices », (21 Febr. 1905) iure gaudent eodem acta conficiendi de causis Beatificationis et Canonizationis, protonotarii apostolici, tum supra numerarii (n. 23), tum ad instar participantium (n. 46), tum titulares seu honorarii (n. 71). « Ut autem hoc iure frui possint, canonici protonotarii in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet. (n. 24).

618. De tempore, loco et actis sessionum, cavet *can. 2041* concors iuri antea constituto. § *1. Sessiones tribunalis* in his processibus incumbentis *pro excipiendo* a) *iureiurando et* b) *examine testium* singulorum *habeantur* a) *diurno*, a solis ortu usque ad occasum, *quoad fieri potest*, ita ut rationabiles exceptiones locum habeant, *tempore*, *et semper* b) *in loco sacro*, nempe: qui « divino cultui deputatus sit consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt » (can. 1154).

In Decretis [1] Innoc. XI legimus: « Animadvertens eadem Sacra Congregatio (Rituum), quod necessarium sit, ut processus auctoritate ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, censuit, mandari Ordinariis locorum... Tertio. Et pro maiori cautela praescribit debeat, in Litteris remissorialibus, quod... ulterius depositiones ipsae, antequam processus sit absolutus, in fine cuiuslibet sessionis claudi, et signari debeant cum sigillis Iudicum, nec possint aperiri, nisi in praesentia ipsorum in principio cuiuslibet examinis, et sessionis, ac huiusmodi diligentiae fieri debeant etiam in processibus fabricandis in Curia ».

Haec ad processus ordinarios extendit § *2. Post unamquamque sessionem acta causae*, videlicet: « quae meritum quaestionis respiciunt » (can. 1642, § 1), ut plurimum depositiones, peritiales relationes, documenta, a) *claudi* v. gr. coopertura chartacea undequaque, ut legi nequeant, *et* b) *iudicis* unius vel tribunalis collegialis, *sigillo obsignari debent* canonis praescripto, propter quod *non* sunt insuper *aperienda*, a) *nisi in sequenti sessione*, *postquam* b) *iudex* statim declaratus *sigillum integrum* quoad conservationem *et intactum* respectu actionis humanae in illud *recogno-*

[1] 15 Oct. 1678.

verit; in casu vero: *si sigillum integrum et intactum non inveniatur, iudex* ut supra *rem* notificandam *deferat ad Sacram Congregationem*, ut haec decernat quid faciendum.

ART. I. — *De perquisitione scriptorum Servi Dei.*

CAN. 2042. - Nomine scriptorum veniunt non modo opera inedita Servi Dei, sed etiam quae iam typis fuerint impressa; item conciones, epistolae, diaria, autobiographiae, quidquid denique vel ipse per se, vel aliena manu exaravit.

CAN. 2043. - § 1. Ordinarius per publicum edictum in singulis paroeciis, si fieri potest, vulgandum vel alio opportuniore modo scripta Servi Dei ab omnibus penes quos exstent et ad tribunal deferri iubeat, et praescripta can. 2023-2052 in memoriam revocet atque urgeat.

§ 2. Si vero agatur de causa Servi Dei ad religionem aliquam pertinentis, vulgari praeterea debet edictum in singulis eiusdem religionis domibus; et Superiores gravi obligatione tenentur curandi ut haec publicatio fiat, habita expressa mentione praescripti can. 2025, § 2, itemque ut omnes subditi qui habeant, scripta remittant.

§ 3. Munus est promotoris fidei instare ut edictum publicetur etiam in aliis locis ubi spes sit fore ut aliquis inveniatur qui scriptum aliquod penes se habeat.

CAN. 2044. - § 1. Ordinarius non solum ad instantiam postulatoris, sed etiam ex officio scripta Servi Dei diligenter perquirat.

§ 2. Quando scripta in aliena dioecesi reperiuntur, iudex roget Ordinarium illius dioecesis, ut ea ipse perquirat ad normam iuris et ad se una cum actis transmittat.

CAN. 2045. - § 1. Si qui ex possessoribus autographa retinere cupiant, horum apographum authenticum ipse notarius conficiendum curet, ad Sacram Congregationem una cum processu transmittendum.

§ 2. Quod attinet ad scripta in bibliotheca aut tabulario asservata, standum praescripto can. 2036, §§ 2, 3.

CAN. 2046. - Notarius diligenter describat tum scriptorum numerum et qualitatem, tum acta omnia perquisitionis ipsorum; quae acta debent praeterea ab Ordinario vel ab eius delegato et promotore fidei subscribi ac Ordinarii sigillo muniri.

CAN. 2047. - § 1. Postulator iusiurandum coram Ordinario emittat de scriptorum perquisitione a se diligenter facienda, et postea de eadem diligenter peracta.

§ 2. Si agatur de Serva Dei quae ad aliquam religionem pertinuerit, suprema religionis Moderatrix vel Antistita monasterii iusiurandum pariter praestet se diligentem scriptorum perquisitionem peregisse, omnia quae possidebat Servae Dei scripta tradidisse, neque sibi constare aliquam ex suis subditis aliasve personas eiusdem Servae Dei scripta adhuc retinere.

CAN. 2048. - Si agatur de causa alicuius martyris, perquisitio scriptorum fieri etiam potest post signatam commissionem introductionis causae apud Sacram Congregationem, secundum instructiones a Promotore generali fidei ea de re dandas.

619. Inscriptio articuli et ipsius canones. — Iam de singulis processibus tribus, qui enumerantur sub can. 2038 § 2 agendum est. Propter quod in tres articulos distribuuntur canones sub hoc Capite. *Art. I* normas ponit *De perquisitione*, ut sit legitima *scriptorum* manu vel alio mechanico instrumento editorum *Servi Dei* qua veri auctoris sententiarum vel doctrinae illorum. Haec perquisitio non ordinatur solum ad colligenda huiusmodi scripta, sed

praesertim ne in concinnandis processibus inutiliter tempus, aurumque insumatur », ut ait Bened. XIV in ep. « Sollicitudini », si doctrina contra fidem aut morum integritatem vel dissonam a communi Ecclesiae sensu et consuetudine in illis contineatur. Plures de hac materia quaestiones perpenduntur ab eodem Benedicto in suo Opere, Lib. II capp. 15-34.

Canon igitur 2042 significationem verbi talium « scriptorum » accurate exponit, subsequentibus can. 2043, 2044, qui de ipsa « perquisitione » decernunt. Receptionis scriptorum modus atque insertio processui reguntur per can. 2045, 2046, atque iuramentum hac de causa per certas personas emittendum iniungit can. 2047. Explicit vero articulus exceptionem subdens in can. 2048 respectu causae martyris.

620. Verbum « scriptorum » hoc in articulo adhibitum iuridica significatione satis ampla donatur in *can. 2042. Nomine scriptorum* cum propria significatione *veniunt non modo* a) *opera*, quae intelligentiae conceptus ostendant, *inedita* respectu publici usus, vel melius, quae manent uti directe fuerunt « opera » *Servi Dei*, qua auctoris, *sed etiam* b) *quae iam typis fuerint impressa*, indicando medium commune multiplicandi exemplaria publici iuris, sed parum refert quo mechanico intermedio in publicam utilitatem deferantur; *item* quoad formam c) *conciones*, qualitercumque manentes manu forsitan taquigraphi, d) *epistolae*, tum privatae communicationis praesertim de spiritualibus, tum qua Episcopi vel Praelati ad fideles vel subditos, e) *diaria*, quibus adnotantur nonnumquam, quae nobis accidunt, spiritu vel circum nos, f) *autobiographiae*, sive proprio arbitrio, sive alterius consilio, aut confessarii praescriptione confectae, g) *quidquid denique* generaliter, etiam parvae molis, cuiuslibet generis litterarii, alio nomine proprio designandum *vel ipse* Dei Servus *per se*, *vel* sicut dictans *aliena manu exaraverit* quocumque instrumento.

621. De perquisitione canonica haec statuit *can. 2043.* § *1* loquitur in genere. *Ordinarius* loci, (can. 1999, § 3), forsan Vicarius generalis eo quod « habuerit mandatum speciale » (can. 2002), *per publicum edictum*, quia omnibus notum proditur, a) *in singulis* dioecesis *paroeciis*, *si fieri* iuxta circumstantias *potest*, *vulgandum*, sive per lectionem ad modum denunciationum matrimonialium, sive per affixionem ad valvas ecclesiae paroecialis, *vel* b) *alio opportuniore modo* in finem ducente, a) *scripta Servi Dei*, in can. praec. declarata, c) *ab omnibus penes quos*, in quorum *extent* possessione, d) *ad tribunal* bene determinatum quoad locum *deferri* expressis verbis *iubeat*, *et* simul « per edictum » illud

praescripta can. 2023-2025 in lingua vernacula, et ad minus quoad plenum sensum *in memoriam revocet atque* uti legem Ecclesiae *urgeat* implenda.

§ 2 considerat in specie casus. *Si vero agatur de causa Servi Dei* vel Ancillae, quod semper subintelligitur, *ad religionem aliquam*, propter professionem in ea nuncupatam, *pertinentis, vulgari praeterea*, idest: ultra praescriptum § 1, *debet* canonis praecepto *edictum* ibi declaratum *in singulis eiusdem religionis* ad normam can. 488, 1°, sive Ordo sit, sive Congregatio monastica, sive Congregatio religiosa, (can. 488, 2°) *domibus* quibuslibet; *et* ad securiorem effectum divulgationis apud religionem forsan exemptam, *Superiores* cuiuscumque gradus *gravi* conscientiae *obligatione* canonica *tenentur curandi*, proinde censuris quoque aut poenitentiis, aut poenis adhibitis, a) *ut haec* apud domos eis subiectas edicti recepti *publicatio fiat*, b) *habita* per eos *expressa mentione praescripti* saltem plene quoad sententiam, et quatenus est iussum *can. 2025*, § 2, *itemque* « curandi » c) *ut omnes* iis *subditi qui habeant* « penes seipsos », ut declaratum est in §° praec., *scripta* « Servi Dei » *remittant* in adimplementum citatae legis.

Denique, ut haec perquisitio perfecta sit, § 3 imponit obligationem sequens. *Munus est promotoris fidei* adiungendum praescripto can. 2012 generaliori, *instare* apud Ordinarium *ut* praefatum *edictum publicetur etiam in aliis locis*, ultra paroecias singulas, atque in casu §' 2^ae^ ultra religiosas domus, et forsitan extra dioecesim, *ubi spes* sit prudenter fundata *fore ut aliquis* etsi unus vel alter *inveniatur*, seu commoretur *qui scriptum aliquod* etiam unum « Servi Dei » perquirendum *penes se*, qua possessore habeat.

622. Specialis diligentia in perquirendo scripta Servi Dei est a iure praescripta. *Can. 2044* eam iubet expresse sub § *1. Ordinarius* saepe declaratus hac in Parte, *non solum* a) *ad instantiam postulatoris*, ad quem propterea pertinet urgere idipsum, *sed etiam* b) *ex officio* quia hic sibi tale onus imponitur, *scripta Servi Dei* ad normam declarati can. 2042 *diligenter*, socordia igitur excussa, *perquirat* prudenter, sed auctoritate utens, si opus sit.

§ 2. *Quando scripta* huiusmodi *in aliena dioecesi reperiuntur*, seu Episcopi non competentis in causa tali, *iudex*, sive sit Ordinarius, sive alius sacerdos delegatus tribunalis praeses *roget Ordinarium*, nempe: Episcopum ex can. 2002, *illius* supra indicatae *dioecesis, ut ea ipse*, per se vel per alium sacerdotem, a) *perquirat*

ad normam iuris, nempe: canonis praecedentis, *et* b) *ad* se rogantem *una cum actis* ad perquisitionem illam *transmittat* modo sibi bene viso. Cui modo rogandi propter debitam reverentiam, est coniuncta vi canonum obligatio in Ordinario, qui rogatur.

623. De insertione scriptorum in actis tribunalis competentis agit *can. 2045* pro duobus casibus, quando ipsa originalia nequeant adnecti.

§ *1. Si qui ex possessoribus autographa* Servi Dei *retinere*, prout de ipsorum est iure, *cupiant*, a) *horum singulorum apographum* seu fidele transcriptum *authenticum* propter signa publicae fidei *ipse notarius* in causa *conficiendum curet*, antequam restituat servandum, b) *ad Sacram Congregationem* saepe dictam *una cum processu* continente diversos perquisitionis actus *transmittendum*, sicuti praesupponitur hinc fieri debere quoad alia scripta originalia.

§ *2. Quod attinet ad scripta* Servi Dei *in bibliotheca* quacumque *aut tabulario* quolibet *asservata*, *standum praescripto can. 2036*, §§ 2, 3 ut ibi redactum est eo quod tractat « de documentis processui inserendis », quibus accensentur scripta huiusmodi.

624. De notarii obligatione post hanc perquisitionem completam loquitur *can. 2046. Notarius* tribunalis *diligenter describat* in processu a) *tum scriptorum* Servi Dei collectorum *numerum et qualitatem* diversam secundum can. 2042, ita ut perfectus index sic fiat, b) *tum acta omnia* posita a tribunali vel iussu eiusdem ad scopum *perquisitionis ipsorum*: *quae acta* iudicialia sic redacta *debent praeterea*, quamvis ex notarii scriptione sint authentica, a) *ab Ordinario vel eius delegato*, quatenus unus alterve praesit perquisitioni huic, *et* b) *promotore fidei* pro hac causa *subscribi ac* c) *Ordinarii* sensu strictori can. 2002 *sigillo muniri*.

625. De iuramento emittendo propter scriptorum perquisitionem agit *can. 2047.* § *1. Postulator* imprimis et quacumque in causa ad firmandam proprii officii obligationem sub n° 3° can. 2007, *insiurandum coram Ordinario* nempe: Episcopo *emittat* a) *de scriptorum perquisitione*, quatenus ab eo pendeat, etiam instando apud tribunal, seu *a se diligenter facienda*, ergo praevie ante illam, *et postea*, seu iterum in fine, nam *de eadem* « perquisitione » *diligenter* « a se », ut declaratum est, *peracta*.

§ *2. Si agatur* in speciali causa beatificationis *de Serva Dei*, quod propterea intelligi nequit de Servis Dei, qui vota in religione nuncuparunt, *quae ad aliquam religionem*, ut definitur in can. 488, 1°, *pertinuerit* ob eiusdem professionem, a) *suprema religionis* idest: « Congregationis religiosae » (can. 488, 2°) *Moderatrix*,

quia supra se aliam in ea religione non habet, *vel* b) *Antistita monasterii* sui iuris, praesertim in religione votorum sollemnium, *insiurandum pariter* ac Postulator *praestet*, seu « coram Ordinario » a) *se diligentem scriptorum perquisitionem*, quantum ad ipsam pertinet, ac praecipue intra religionem vel monasterium, *peregisse*, b) *omnia quae possidebat* eadem suprema Moderatrix vel Antistita *Servae Dei* de qua est processus *scripta* ad normam can. 2042 *tradidisse* tribunali saltem per Postulatorem, *neque* demum c) *sibi constare aliquam ex suis subditis aliasve personas* quaslibet *eiusdem Servae Dei scripta adhuc retinere*, quod supponit denunciandas esse ab eadem Superiora, quae « adhuc retineantur » apud praedictas. Sufficit ergo unum de his tribus assertionibus iusiurandum, quando veritas eorum sit iam existens.

626. Adnotatio postrema de hac re in quibusdam causis. *Can. 2048. Si agatur* in casu *de causa alicuius martyris, perquisitio scriptorum* sub hoc articulo moderata, *fieri etiam potest* iure, quod implicite de aliis causis denegatur « per viam non cultus » (Tit. XXIV) procedentibus, a) *post signatam* a Summo Pontifice *commissionem introductionis causae apud Sacram Congregationem*, quae « in his causis competens est » (can. 1999, §2), b) *secundum instructiones*, quando fit usus praesentis concessionis, *a Promotore generali fidei ea de re dandas* vi uius canonis.

ART. II. — *De processu informativo.*

CAN. 2049. - Processus informativus per Ordinarios instruitur; et si inchoatus non fuerit intra triginta annos a morte Servi Dei, ut ad ulteriora procedi possit, probari debet nullam in casu fraudem vel dolum aut culpabilem negligentiam adfuisse.

CAN. 2050. - § 1. In testium excussione super fama sanctitatis, martyrii et miraculorum serventur praescripta can. 2019, 2020.

§ 2. Non est necesse ut constet in specie de virtutibus, martyrio, miraculis, sed sufficit ut probetur fama in genere, spontanea, non arte aut diligentia humana procurata, orta ab honestis et gravibus personis, continua, in dies aucta et vigens in praesenti apud maiorem partem populi.

§ 3. Praemissis generalibus quaestionibus ad normam can. 1774, testibus quaestio in primis a iudice proponatur quid nempe de vita, virtutibus, miraculis aut martyrio Servi Dei ad eorum notitiam pervenerit et quomodo haec noverint et an sciant de eisdem esse publicam famam, et deinde interrogandi sunt super interrogatoriis a promotore fidei confectis et super articulis a postulatore exhibitis.

CAN. 2051. - Absolvi nequit processus informativus, nisi prius promotor fidei omnes ad se remissas litteras, de quibus in can. 2025, expenderit eique constiterit examinatos fuisse eos de quibus in can. 2023-2025.

CAN. 2052. - Tribunal cum iudicaverit probationes omnes sive per testium examen sive per documentorum exhibitionem fuisse collectas et scripta omnia Servi Dei, quae haberi poterant, in actis

esse, audito promotore fidei moneat postulatorem ut, si alia habeat, offerat intra certum temporis spatium, quo elapso, processui finis imponitur.

CAN. 2053. - Iubente iudice et non contradicente promotore fidei, notarius publicet processum ; qui scribae a tribunali designato transcribendus tradatur.

CAN. 2054. - Exemplar processus, seu, ut aiunt, *transumptum*, sicut acta archetypa, manu transcribantur.

CAN. 2055. - Absoluto transumpto, fiat eius collatio cum archetypo a notario et ab eius adiuncto, praesentibus uno ex iudicibus et promotore fidei ; qua collatione expleta, ad authenticitatem transumpti probandam tum notarius tum iudex et promotor fidei subscriptione sua et sigillo transumptum communiant.

CAN. 2056. - § 1. Absoluta collatione, archetypum clauditur et sigillis munitur in archivo Curiae diligenter asservandum et nunquam aperiendum sine venia Sedis Apostolicae.

§ 2. Transumptum vero clauditur et obsignatur sigillo Ordinarii atque hac de re notarius instrumentum in duplici exemplari conficit, alterum Romam transmittendum, alterum in archivo Curiae asservandum.

627. Inscriptio articuli ac ordo canonum. — *Art. II* secumfert inscriptionem *De processu informativo*, sic dicto quia ordinatur ad informationem S. Sedis de his, quae probabilem reddunt causae introducendae exitum favorabilem. Obiecta vero informationis constant prius ex n° 2°, § 2, can. 2038: videlicet: « super fama sanctitatis, virtutum in genere vel martyrii, causae martyrii et miraculorum », quemadmodum fuit ibidem declaratum.

Can. 2049 respicit tempus inchoati processus. De obiecto processus ac mediis probatoriis normas accuratiores tradit can. 2050. Tres vero sequentes agunt de termino processus, ita ut can. 2051 ponat praeviam conditionem ex parte promotoris fidei, can. 2052 quid facere debeat tribunal statuit, ac publicationem processus respicit can. 2053. Denique de originali conservando et transumpto transmittendo sollicitus fuit legislator per canonis 2054, 2055, 2056.

628. Tempus inchoandi hunc processum ostendit *can. 2049. Processus informativus* declaratus *per Ordinarios* singulos competentes pro casibus *instruitur* probationibus omnibus colligendis; *et si inchoatus non fuerit* per citationem legitime peractam alicuius testis *intra triginta annos a morte Servi Dei* computandos propterea ad normam can. 34, § 3, 3°, prosequatur deinde causa, idest: *ad ulteriora procedi possit*, nunc *probari debet nullam in casu* huius dilationis a) *fraudem*, v. gr. ut interim oppositores demoriantur, *vel* b) *dolum* v. gr. differendo traditionem scriptorum, *aut* c) *culpabilem negligentiam*, tribuendam proinde actoris voluntati non rectae *adfuisse*. Quod poterit probari indirecte ostendendo causas vel motiva eiusdem procrastinationis causae ultra triginta annos usque ad praesens.

629. De testibus et documentis in hoc processu proponendis est *can. 2050.* § *1. In testium* vocandorum a promotore fidei ob can. 2024, inductorum a Postulatore causae, *excussione*, idest: examine *super* in genere *fama* a) *sanctitatis* pro confessoribus, b) *martyrii* pro his qui subierunt mortem pro Christo *et* c) *miraculorum* pro illis praesertim, *serventur* per hunc canonem memorata *praescripta can. 2019, 2020*, quoad vim ex probationibus his eruendam, et quoad diversum numerum qualitatemque illorum.

§ 2. *Non est necesse* in hoc processu *ut constet in specie*, hoc est a) *de* singulis *virtutibus* theologalibus et cardinalibus, b) de *martyrio* qua tali propter causam illius plene determinatam, c) *miraculis* singulis quoad causam certo super vires naturae, quin illae probationes respuantur, *sed sufficit ut probetur fama* seu opinione *in genere* de illis sub a) b) et c), quae sit a) *spontanea*, et explicatur modus *non arte*, idest: mediis ad eam causandam directe ordinatis, *aut diligentia humana* industriis, quae in hunc finem voluntate tendunt *procurata*, b) *orta ab honestis* quoad mores *et gravibus* quoad sensum et prudentiam *personis*, c) *continua* eo quod transeat de generatione in sequentem generationem, imo d) *in dies aucta* seu in plures extensa *et demum* e) *vigens in praesenti* processus tempore *apud maiorem partem populi* sive civitatis, sive vicinium pagorum, sive ipsius quoque dioecesis.

Modum examinis per omnes eius partes tradit § 3. *Praemissis generalibus* ad testes *quaestionibus ad normam can. 1774* ubi « de testium examine » in iudiciis, « non modo de generalibus personae testis adiunctis, hoc est, de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum Servo Dei sit necessitudo », *testibus* singulis huius processus *quaestio in primis a iudice* qua tali *proponatur* a) *quid nempe* seu taxative *de vita* quoad ipsius seriem, *virtutibus* quoad actus illarum forsan praecellentes, *miraculis* per intercessionem patratis *aut martyrio Servi Dei ad eorum notitiam pervenerit*, et his sicut in aliis sequentibus respondeant non iam verbis affirmative aut negative, sed quasi narrando facta a testibus cognita et exponendo a seipsis, quin ad interrogationes sit recursus habendus pro responsionum intelligentia, *et* b) *quomodo* idest: visu, auditu et a quibus *haec*, quae testificati sunt, *noverint*, *et* c) *an sciant de eisdem* supra declaratis *esse publicam* seu diffusam in populo *famam, et deinde interrogandi sunt* d) *super interrogatoriis a promotore fidei confectis*, ut singulis respondeant praefato expositivo modo, *et* e) *super articulis a postulatore exhibitis*, cum po-

testate iudicis addendi quaestiones pro maiori responsorum explanatione.

630. Conditio praevia termino processus est, quam iubet *can. 2051. Absolvi* cum effectu iuridico *nequit processus informativus* huius articuli, *nisi prius* a) *promotor fidei* apud tribunal ordinarium huius causae *omnes*, nulla excepta, *ad se remissas litteras*, quas adnotetur eidem tradendas fuisse, *de quibus in can. 2025*, videlicet: « dandas ab omnibus, etiam religiosis utriusque sexus, de quibus in can. 2023, 2024 » fit verbum, necnon a parochis, queis illiterati rem similem exposuerint ad normam § 3 cit. canonis, b) *expenderit* « litteras » quoad earum personarum notitias, *eique* c) sic *constituerit examinatos fuisse* auctoritate tribunalis *eos de quibus in can. 2023-2025* ibidem declaratis.

631. Modus terminum imponendi processui decernitur *can. 2052. Tribunal* constitutum ad normam can. 2040 *cum iudicaverit* morali certitudine a) *probationes omnes*, quae vi ss. canonum erant requirendae in processu praesenti huius Servi Dei, *sive per* singulorum *testium* vocandorum *examen sive per documentorum exhibitionem*, nam « probationes aliae non sunt admittendae » (can. 2019), *et* b) *scripta omnia*, nullo excepto, *Servi Dei* ad normam can. 2042, *quae haberi poterant* in apographo vel transumpto, vel saltem ex relatione peritorum qui ea recognoverunt in casu can. 2036, § 3, *in actis esse*, non huius processus, sed processiculi de illorum scriptorum perquisitione, c) *audito promotore fidei*, sive consentiat sive se opponat, a) *moneat postulatorem ut, si alia habeat*, cum ipse velut habens ius proprio vel alieno nomine agendi causam omni facultate gaudeat prospiciendi, dum potest iure fieri, bono exitui processus, *offerat* tribunali *intra certum* iudicis determinatione *temporis spatium*, b) *quo elapso*, fit veluti conclusio in causa, nam *processui* qua informativo *finis* iure *imponitur*.

632. Processus publicatio, quam decernit sine addito *can. 2053* videtur intelligenda, sicut fuit declarata in can. 1859. Etenim sic legitur: « concessa partibus earumque advocatis facultate acta processualia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta publicatio processus ».

Praescriptum ad processum praesentem quod attinet sequens est. *Iubente* a) *iudice* unipersonali vel collegiali, *et* b) *non contradicente promotore fidei* expresse quod sequitur iuxta officium proprium, quia haec contradictio non est relinquenda libero eius beneplacito, *notarius publicet processum*, videlicet concedat postulatori ac promotori fidei facultatem acta processualia inspi-

ciendi et postulatori intelligitur permissa petitio eorum transumpti. Propterea sequitur quod necessarium est ad ulteriora: *qui* processus exinde *scribae a tribunali* ex officio *designato* integer *transcribendus tradatur* a « notario ».

633. Modus transcriptionis invenitur ante Codicem praescriptus a Leone XIII die 8 Aprilis 1889, his verbis: « II Praeter Autographum Processus, quod clausum ac sigillis munitum in Archivo Episcopali custodiendum est, unum tantummodo illius exemplum, seu transumptum fieri licebit, et hoc ipsum manuscriptum, non vero impressum, vel polygraphatum, uti audit. Idem porro transumptum pari modo obsignatum Romam mittendum est, neque aperiendum absque Summi Pontificis venia ».

Hoc retinet singulariter *can. 2054. Exemplar* unicum integri *processus*, *seu*, *ut aiunt* in praxi harum causarum, *transumptum*, quod esset proprie tale mechanico instrumento perfectum, *sicut acta archetypa*, *manu transcribantur* « secundum propriam verborum significationem » (can. 18), etiam sine machina dactilographica, quae unum exemplar redderet, et absque usu photographiae.

Non caret utilitate quod in praedicto Leonis XIII praescripto legitur sub n. « III. Ne ob diuturnum temporis decursum folia Processuum detrimentum patiantur, prohibetur in eorum Actis inscribendis adhiberi charta, quae vulgo vocatur « a macchina »: sed singula Acta scribentur in foliis ex charta « a tino » nuncupata ».

634. De authenticitate transumpti perficienda, utpote de re maximi momenti in his causis, normam dat *can. 2055. Absoluto* a designato scriba *transumpto* propter can. 2053 observantiam, *fiat* a) *eius collatio cum archetypo*, a quo illud transcriptum est, b) *a notario* legente forsan archetypum *et ab eius adiuncto* ad hoc saltem nominando vi can. 2016, inspiciente simul transumptum, vel e contrario, *praesentibus*, qui vel inspiciant, una cum adiuncto, vel saltem audiant legentem atque alterum animadvertentem forsan variationes, quae irrepserunt, *uno ex iudicibus* tribunalis collegialis *et promotore fidei; qua collatione* sic *expleta*, nempe totius processus, *ad authenticitatem* nempe: fidelitatem eius *probandam* auctoritate publica, *tum notarius tum iudex*, qui fuit praesens, *et promotor fidei*, his appellationis additis uniuscuiusque, idest: nomini et agnomini *subscriptione sua et sigillo* tribunalis *transumptum communiant* sic, ut ad totum pateat illas notas extendi, v. gr. per ligaturam fasciculi cum paginarum numero, quibus transumptum ab eis subscriptum in calce constare dicatur.

635. Quid et ubi servandum, quid et cui transmittendum edocet *can. 2056* servans praecedens Leonis XIII iussum (8 apr. 1889) supra relatum, quod praeformatum erat in litteris encycl. (12 Mart. 1631) loquentibus de quadam praevia informatione extraiudiciali. Itaque § *1* praescribit. *Absoluta collatione*, quae peragenda fuit vi can. praec. *archetypum* a) *clauditur* v. gr. praecingendo chordulis *et* per quas mediantes b) *sigillis*, ratione multiplicatae impressionis per instrumentum sic appellatum tribunalis vel Ordinarii, *munitur*, ne possit licite aperiri, et quin cognoscatur aperitio illius, c) *in archivo Curiae* secreto ad normam can. 379, *diligenter*, ne depereat, *asservandum* vi huius praecepti *et nunquam*, nec qualibet de causa *aperiendum* etiam ab Episcopo vel Administratore, quod proinde hic « inspicere » vi § 4 can. 379 non potest, *sive venia Sedis Apostolicae* ad normam can. 7, idest. Summi Pontificis vel S. Congr. Rituum.

§ 2. *Transumptum vero* « absoluta collatione » et communitum ad normam can. praec. *clauditur et obsignatur*, ut de archetypo declaratum fuit, *sigillo Ordinarii*, nempe: Episcopi, *atque hac de re* circa transumptum perfecta *notarius* ipsius processus *instrumentum* sic authenticum *in duplici exemplari conficit*, *alterum Romam transmittendum*, *alterum in archivo Curiae asservandum* et ex prudentia coniunctum archetypo, quocum respectum habet.

Art. III. — *De processu super non cultu.*

Can. 2057. - Tribunal praeter testes inductos a postulatore, duos alios ex officio inducat omnesque interroget num Servo Dei cultus publicus fuerit unquam praestitus.

Can. 2058. - Tribunal adeat praeterea et diligenter inspiciat sepulcrum Servi Dei, cubiculum in quo habitavit vel obiit, et si qua sint alia loca ubi cultus signa adesse merito quis suspicari possit.

Can. 2059. - Si in processus decursu non levia habeantur indicia cultus interea Servo Dei praestiti, munus esto promotoris fidei instare ut ulterior inquisitio hac de re peragatur.

Can. 2060. - Tribunal debet sententia definire utrum cultus Servo Dei fuerit praestitus, necne.

636. Inscriptio articuli et huius canones. — Bened. XIV sic incipit caput 7 Lib. II eius Operis alias citati. « Confectionem processuum auctoritate ordinaria construendorum super fama virtutum aut martyrii, et miraculorum sequitur confectio processus eadem auctoritate conficiendi, quatenus Ordinarius eum construere velit », nunc obligatorius, ut supponit *Art. III* statim sequens *De processu super non cultu*, « quatenus causa per non cultus viam progredi debeat, ut alias dictum est », et constat ex inscriptione praesentis Tituli XXIV.

« Ad ornatum autem (prosequitur Benedictus S. P.), et huius de non cultu materiae intelligentiam nonnulla sunt praemittenda. Ac primum quidem praesentem non cultus materiam minime ad eos pertinere, qui in numerum Beatorum, vel Sanctorum relati sunt aut iuxta Ecclesiae usum ante tempora Alex. III aut iuxta consuetudinem et disciplinam post dicta tempora, vel prope eadem introductam; nec ad eos pariter attinere, qui sunt in possessione cultus immemorabilis, aut quibus cultus exhibetur vel ex permissione Summorum Pontificum, vel sacrae Rituum Congregationis, vel per Patrum, virorumque Sanctorum scripta; sed eam tantum coercitam esse in illis Dei Servis, qui mortui sunt cum fama sanctitatis et miraculorum, necnon pro quibus nulla omnino militat publici cultus concessio, sive ab expressa sive a tacita Sedis Apostolicae auctoritate proveniens ».

Premittendus est quoque textus Alex. III in cap. « Audivimus » [1]: « etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret, vobis pro Sancto absque auctoritate Romanae Ecclesiae *cum publice venerari* ».

« Insuper praemonere iuvat, quod, licet hos Dei Servos publico cultu venerari non possimus, nihil tamen prohibet, quin eos privato cultu prosequamur. Si enim illis, dum vivunt, laudabile est, ut cultum ipsum privatum impendamus, et nos eorum precibus commendemus... potiori profecto ratione eosdem privato cultu post obitum venerari poterimus, quando regnare creduntur in coelis, et pie potest existimari, eos pro nobis esse apud Deum intercessores... Porro concordant Urbani VIII decreta. Cum enim minime prohibeatur oblatio tabellarum ad Sepulcra Servorum Dei non beatificatorum, neque canonizatorum, dummodo reponantur in loco privato...; cumque post eadem Decreta passim examinentur miracula, quae facta sunt, invocato nomine eorumdem Dei Servorum; manifesta utique eadem sunt indicia, quod in iisdem decretis prohibitus quidem est publicus cultus, nequaquam vero privatus ».

Et infra in n. 6 sic prosequitur: « Cum itaque Cultus et publicus sit ratione loci, ut, si fiat in loco publico, seu coram aliis; et publicus dicatur intuitu personae, ut si exhibeatur ab homine, qui sit Ecclesiae Minister in loco publico, vel privato; et appelletur denique publicus qualitatis respectu, hoc est si ex Ecclesiae institutione solis sit exhibendus Beatificatis, aut Canonizatis; putant proinde nonnulli, cum prohibitus est publicus Cultus erga

[1] Tit. « De reliquiis et veneratione Sanctorum ». XLV, Lib. III.

Dei Servos, publicum id esse accipiendum secundum omnes significationes praedictas... Alii autem sentiunt, in casu, de quo nunc agimus, appellatione publici Cultus minime intelligi eum qui publice exhibetur coram aliis, ex gr. in Ecclesia, aut in Foro; sed eum, qui exhibetur nomine Ecclesiae, vel ex huius institutione. Quocirca concludunt, quod qui Cultum ab Ecclesia institutum pro Beatorum aut Sanctorum veneratione exhiberet alicui Servo Dei non Beatificato, neque Canonizato, publico cultu eum prosequeretur, licet clam ageret, et sine testibus... Ex opposito vero, qui in loco publico Cultum adhiberet, privatum tantummodo impenderet, quotiescumque is non esset de (illo) genere cultus... Porro postrema haec sententia magis consona est rationi, necnon Urbani VIII decretis », ut ibidem Bened. XIV probat.

Canones moderantes hunc processum super non cultu quatuor sunt. Obligationes tribunali duas iniungunt can. 2057, 2058, unam sub conditione Promotori fidei can. 2059, et can. 2060 exrpesse loquitur de sententia, qua hic processus terminari debet.

637. Numerus testium in hoc processu necessarius iure constat ex praescripto, quod continet *can. 2057. Tribunal* in his processibus ordinariis ad normam can. 2040 designatum, *praeter testes* super non cultu, saltem duos iuxta reg. iuris 40 in 6°: « Pluralis locutio duorum numero est contenta », *inductos a postulatore* secundum eius officium in can. 2007, 3° enunciatum, *duos alios ex officio inducat*, vocando eos, *omnesque*, hos et illos *interroget* taxative *num Servo Dei*, cuius causa instruitur, *cultus publicus* praecise *fuerit unquam praestitus*, eiusque depositiones forsan referentes actus cultus fortassis privati sunt scribendae in actis.

638. De accessu iudiciali, cuius normae utiles in hoc processu inveniuntur sub can. 1806-1811, fit praescriptum statim. *Can. 2058. Tribunal* in can. praec. declaratum, (seu omnes iudices), a) *adeat praeterea*, idest: ultra examen testium de sequentibus hic, *et* b) *diligenter*, seu non pro formula *inspiciat*, quae actio debet esse propria tribunalis, qua talis ac proinde comitante notario, qui referat in actis de hac diligentia processuali, et quid inventum fuerit in sequentibus locis, a) *sepulcrum Servi Dei*, in quo nunc quiescit, *cubiculum* b) *in quo habitavit* per notabile tempus *vel* c) saltem *obiit*, quia in his praecipue cultus ille solet tribui, sed indicative sunt haec posita, dum canon prosequitur: *et si qua sint alia loca*, nam praedicta certo existunt, *ubi cultus signa* cuiuslibet *adesse merito* propter notas casus circumstantias *quis* prudenter *suspicari* saltem *possit*.

639. Prosequutio inquisitionis est aliquando urgenda, ut iubet *can. 2059. Si in* huius *processus*, quia verbum est singulare, *decursu*, seu ante sententiam, *non levia*, seu a prudente homine non parvipendenda *habeantur indicia cultus*, idest: facta, verba, res quae illum innuant, *Servo Dei praestiti*, cuius processus instruitur, *munus esto promotoris fidei*, accensendum pro casu canoni 2012, iniunctum in praesenti canone, *instare* apud tribunal *ut ulterior* ex officio *inquisitio* sufficiens *hac de re* compulsanda *peragatur*.

640. Terminus processus est quem statuit *can. 2060. Tribunal debet* vi huius canonis *sententia definire*, idest: « legitime pronuntiare » (can. 1868, § 1) respondendo iuxta allegata et probata dubio: *utrum cultus* publicus *Servo Dei* huic *fuerit* quandoque *praestitus*, *necne*, videlicet: an numquam.

Art. IV. — *De transmissione processus scriptorum Servi Dei, processus informativi et de non cultu ad Sacram Congregationem.*

Can. 2061. - Ordinarius statim ac expleverit perquisitionem scriptorum, ea Romam una cum *processiculo* mittat *diligentiarum*, idest cum iuridica relatione diligentiarum quibus in perquirendis scriptis usus est.

Can. 2062. - Si post perquisitionem scriptorum Servi Dei alia in decursu causae reperiantur, ea statim ad Sacram Congregationem transmittenda sunt, nec ad ulteriora procedi potest, nisi prius revisa fuerint.

Can. 2063. - § 1. Transumptum processus informativi Ordinarius postulatori tradat ad Sacram Congrationem transmittendum.

§ 2. Una cum transumpto mittat quoque litteras tum iudicum ad Sacram Congregationem tum promotoris fidei ad Promotorem fidei generalem, ut Sacra Congregatio certior fiat tum de fide testibus praestanda tum de omnibus actis legitime absolutis.

§ 3. Transmittat quoque Ordinarius descriptionem formae sigilli, quo transumptum obsignavit, vel eiusdem sigilli exemplar.

Can. 2064. - Item Ordinarius expletum processum de non cultu ad Sacram Congregationem per postulatorem transmittat.

641. Inscriptio articuli et ipsius canones. — Cum omnia praescripta sub tribus praecedentibus articulis viam sternant « ad introductionem causae beatificationis Servi Dei, a Sede Apostolica obtinendam », uti complementum erat subiungendus *Art. IV. De transmissione* tali modo perficienda, ut sit legitima, a) *processus scriptorum Servi Dei* iuxta art. I instructi b) *processus informativi* in art. II moderati quoad omnes eius partes, *et* c) *de non cultu*, necessarii ad ostendendum agi de beatificatione per

hanc viam concedenda, *ad Sacram Congregationem* unice competentem.

Duo can. 2061, 2062 primum respiciunt processum, alterutrum vero can. 2063, 2064 ceteros processus.

642. Missio primi processus, sic iubetur. *Ordinarius* videlicet: Episcopus *statim ac expleverit* per se vel alium delegatum, *perquisitionem scriptorum*, idest: nulla interposita mora post observantiam canonum sub art. I, a) *ea* scripta Servi Dei collecta *una cum processiculo* sic dicto *mittat*, sicut inscriptione dicitur, *diligentiarum*, *idest*, seu definitur « processiculus diligentiarum » b) *cum iuridica* vi praescriptorum *relatione diligentiarum* seu actuum *quibus* pro casu hoc *in perquirendis scriptis* supra declaratis *usus est.*

643. Supplementum ipsius in casu, praescribit *can. 2062. Si post perquisitionem scriptorum Servi Dei*, iam transmissam fortassis ad S. Sedem, *alia* huiusmodi « scripta » *in decursu causae*, sive ante, sive post processus apostolicos, vel dum hi perficiuntur, *reperiantur* qualibet ex occasione, a) *ea* scripta *statim ad Sacram Congregationem* per illum Ordinarium, *transmittenda sunt*, prout declaratum fuit de prioribus, b) *nec ad ulteriora*, seu in causa, *procedi potest* vi huius canonis, *nisi prius revisa fuerint*, ita ut eorum contentum perpendatur.

644. Missio processus informativi moderata est *can. 2063* divisus in duas praescriptiones. § *1* respicit processum ipsum. *Transumptum processus informativi*, collatum cum archetipo ad normam can. 2055, clausum et obsignatum iuxta praeceptum § 2, can. 2056, *Ordinarius*, cuius auctoritate perfectus fuit processus. *postulatori* causae illius *tradat* in hunc finem: *ad Sacram Congregationem* ipsius postulatoris cura et expensis *transmittendum.*

De accessoriis agit § 2. *Una*, idest: eodem tempore, et melius eodem involucro *cum transumpto* praefato postulator *mittat quoque litteras*, equidem clausas a) *tum iudicum* easdem subscribentium directas *ad Sacram Congregationem* b) *tum promotoris fidei* in illo processu *ad Promotorem fidei generalem*, idest: talis « apud Sacram Congregationem » existens (can. 2010, § 2), *ut Sacra Congregatio* illis *certior fiat* a) *tum* primis praesertim *de fide testibus praestanda*, quod illae explicare debent, b) *tum* secundis praecise *de omnibus actis* per ss. canones praescriptis *legitime* ad normam eorum *absolutis*, quia cura haec in promotoris fidei officio est posita.

Denique § 3, cavet circa dignoscendam genuinitatem transumpti. *Transmittat quoque Ordinarius* directe ad S. Congrega-

tionem a) *descriptionem formae sigilli* verbis, *quo transumptum*, ut iubet can. 2056, § 2, *obsignavit*, b) *vel eiusdem sigilli* impressi super chartam *exemplar*.

645. Missio tertii processus. — *Can. 2064. Item Ordinarius expletum processum*, ac proinde misso iam processiculo vi can. 2061, et tradito processu informativo ob can. 2063, tertium seu *de non cultu ad Sacram Congregationem* pariter ut declaratum est de informativo, *per postulatorem transmittat*.

CAPUT II.

De causae introductione apud Sacram Congregationem.

ART. I. — *De revisione scriptorum.*

CAN. 2065. - Statim ac scripta Servi Dei Romam transmissa fuerint, sunt illa quidem examini subiicienda ; sed Sacra Congregatio debet opportune investigare utrum, praeter exhibita, alia quoque Servi Dei scripta sive a privatis custodita sive in publicis archivis consignata exstent.

CAN. 2066. - § 1. Revisores scriptorum in singulis causis deligantur a Cardinali Ponente, audito Promotore generali fidei ; eorumque nomina secreto serventur.

§ 2. Ad hoc munus adsciscantur sacerdotes qui laurea saltem in theologia vel, si religiosi fuerint, aequivalenti titulo sint donati.

CAN. 2067. - § 1. Scripta Servi Dei tradantur a secretario revisoribus ad id munus adscitis ita ut singulorum scriptorum examen fiat a duobus revisoribus, quorum alter alteri sit ignotus.

§ 2. Nihil obstat, si scriptorum Servi Dei numerus ingens sit, quominus ea in plures partes dividantur, quarum unaquaeque distinctis revisoribus tradatur.

CAN. 2068. - § 1. Iudicium revisorum debet referre num in scriptis aliquid habeatur quod fidei ac bonis moribus adversetur, et edocere generali quadam ratione quaenam indoles, quinam virtutum habitus vel defectus ex scriptis appareant propria fuisse Servi Dei.

§ 2. Hoc iudicium revisores scripto proferant, argumentis et rationibus suffultum.

CAN. 2069. - Si quando iudicia revisorum discrepent, designetur ad normam can. 2066 tertius revisor, qui munus suum eodem modo expleat.

CAN. 2070. - Promotor generalis fidei obiectiones ex scriptis Servi Dei ac revisorum iudicio desumptas, si quas habeat, Patribus Cardinalibus discutiendas proponat.

CAN. 2071. - Si quid in scriptis Servi Dei fidei non omnino consonum contineri certo fuerit demonstratum aut aliquid habeatur quod in praesenti fidelium offensioni esse possit, Romanus Pontifex, audito Patrum Cardinalium voto et perpensis omnibus casus circumstantiis, decidit num ad ulteriora procedi possit.

CAN. 2072. - Favorabile Romani Pontificis iudicium non secumfert scriptorum approbationem, neque impedit quominus Promotor generalis fidei et consultores possint aut debeant in discussione virtutum obiectiones ex scriptis Servi Dei desumptas proponere.

Art. I De revisione scriptorum
- transmissorum et a S. Congr. quaerendorum — Can. 2065
- per revisores
  - a Card. Ponente deligendos — » 2066
  - duos — » 2067
  - dantes in scripto iudicium de ipsis — » 2068
  - adiuncto tertio in casu discrepantiae — » 2069
- munus promotoris generalis fidei — » 2070
- si quid deprehendatur inconveniens
  - Romanus Pont. decidit — » 2071
  - effectus favorabilis iudicii — » 2072

646. Inscriptio capitis et huius divisio. — Codex in Parte de iudiciis duo requirit ad causae introductionem apud aliquod tribunal: libellum litis introductorium et ex parte tribunalis admissionem praedicti libelli. Vidimus in can. 1999 § 2 « unam Sacrorum Rituum Congregationem in his beatificationis causis esse competentem ». Igitur ad hoc ut causa huiusmodi quaecumque introducatur praeter transmissionum illorum processuum, quos praevie instruxit Ordinarius, opus erit actu S. Sedis illos qua libellum introductorium admittentis, qui Summo Pontifici reservatus vocatur « commissio introductionis causae ». *Caput* igitur *II* agit *De* hac *causae introductione apud Sacram Congregationem.*

Quia vero illa introductio non signatur a Summo Pontifice, nisi quaedam fiant in Sacra Congregatione circa duos priores processus, hinc Capitis canones distribuuntur in tres articulos iuxta numerum processuum ordinariorum.

647. Inscriptio articuli I eiusque canones. — *Art. I* inscribitur *De revisione* seu examine *scriptorum* transmissorum simul cum processiculo et aliorum quoque, si fortassis a S. Congregatione recepta directe fuerunt. Nam can. 2065 scripta ea quaerere iniungit, et quatuor sequentes munus revisorum sic moderantur, ut can. 2066, 2067 normas dent eos et quot numero seligendi, obiectum huius revisionis designat can. 2068, providente can. 2069 casui discrepantis iudicii. Promotoris fidei debitum de hac re denuntiat can. 2070, et quomodo sit procedendum de dubiis inde emergentibus statuunt can. 2071, 2072.

648. Quaerenda scripta alia iubet *can. 2065* referens praescriptum hoc Dec.[1] « De Servis Dei » [1]: « Antequam in Congrega-

[1] 26 Aug. 1913. CO. V, 438.

tione ordinaria discutiatur dubium super introductione Causae, sacrorum Rituum Congregationis erit exquirere, pro re nata, documenta apud Curias, uti vocant, generalitias Ordinum et Institutorum religiosorum tum virorum tum feminarum, necnon in tabulariis sacrarum Romanarum Congregationum, et ubicumque iure praesumitur ea posse reperiri ». Consideretur autem textus canonis. *Statim ac scripta Servi Dei Romam transmissa fuerint*, et cum haec sit prima, sequitur obligationem sequentem esse primam in Curia Romana, nempe; *sunt illa quidem* omnia *examini subiicienda; sed Sacra Congregatio*, ac nomine ipsius Card. Praefectus cum suo congressu, *debet* vi huius canonis *opportune investigare* ab his, qui scire possunt, vel per suos officiales aut consultores *utrum*, *praeter exhibita* cum processiculo vel aliunde, *alia quoque* eiusdem *Servi Dei scripta*, *quae* « hoc nomine veniunt » ad normam can. 2042, a) *sive a privatis* personis physicis vel moralibus *custodita* b) *sive in publicis* auctoritate constituentis *archivis* ad custodiam proinde scriptorum memorabilium destinatis *consignata exstent*, uti sunt exempla in cit. Dec.° expressa.

649. Revisorum designatio secumfert « unum e Patribus Cardinalibus eidem Congregationi (SS. Rituum) adscriptis, a Romano Pontifice praevie designandum esse » (Can. 2009, § 1). Etenim *Can. 2066* dat normam ab illo exequendam. Statuit § *1. Revisores scriptorum* pro examine supra in can. praec. dicto, a) *in singulis causis*, unico actu fieri potest, b) *deligantur a Cardinali Ponente* pro eius arbitrio prudenti, c) *audito* propter hoc *Promotore generali fidei* « apud Sacram Congregationem » (can. 2010, § 2), quin necesse sit opinionem istius sequendam esse; d) *eorumque nomina*, (idest, personarum talium designationes) *secreto serventur* custodiendo proinde ab ipsis, Promotore generali Fidei, Card. Ponente, et aliis necessario vel accidentaliter ad hoc interpellatis vel de hoc consciis.

§ 2 qualitates revisorum indicat. *Ad hoc munus adsciscantur* a) *sacerdotes* ob characterem Episcopalem aut presbyteralem, *qui* b) *laurea saltem in theologia*, et illa sufficit ac necessaria est, *vel*, *si religiosi fuerint* propter « vota quae nuncuparunt in aliqua religione » (can. 488, 7°), *aequivalenti* propter studia et examina *titulo* v. gr. Magisterio in S. Theologia, *sint rite donati.*

650. Consignatio ac distributio scriptorum fiat, prout praescribit *can. 2067.* De illa est § *1. Scripta Servi Dei* in casu *tradantur a secretario* S. Congregationis, qui propter hoc ad secretum vi can. praec. sub §° 1ª tenetur, a) *revisoribus ad id munus* in hac causa *adscitis* iuxta can. praec., *ita ut* b) *singulorum scrip-*

torum examen fiat a duobus revisoribus praedictis *quorum alter alteri sit ignotus*, quae clausula secreto praefato comprehenditur et est ab eodem caute adimplenda.

Dat pro casu animadversionem § 2. *Nihil obstat* iure, sub conditione: *si scriptorum Servi Dei numerus ingens sit* iudicio Card. Praefecti cum Secretario, a) *quominus ea in plures partes*, seu collectiones, *dividantur*, *quarum* b) *unaquaeque distinctis revisoribus* ad invicem ignotis propter secretum, *tradatur* ad examen illorum omnium perficiendum.

651. Revisorum iudicium, quoad obiectum et formam debet conformari normis, quas exponit *can. 2068*. Et § *1* determinat sic obiectum. *Judicium revisorum debet* a) *referre* Sacrae Congregationi *num* ex eo quod peracto examine deprehendit, *in scriptis* Servi Dei *aliquid habeatur quod fidei* nunc definitae vel in ordinario Magisterio Ecclesiae contentae *ac bonis moribus* iuxta leges divinam et ecclesiasticam *adversetur*, docendo, suadendo vel simpliciter enuntiando, *et* b) *edocere* argumentando, sed *generali quadam ratione*, quatenus iteratis tractibus scriptorum educatur, nam, testante Domino Jesu: (Luc. VI, 45) « Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro profert malum; ex abundantia enim cordis os loquitur », a) *quaenam indoles* naturalis b) *quinam virtutum* diversarum *habitus vel defectus* circa eas *ex scriptis appareant* ob sententias, vel modum se exprimendi circa diversas personas, vel sinceras cordis manifestationes, *propria* velut specialia *fuisse Servi Dei* illa scripta exarantis vel dictantis.

In confirmationem datae interpretationis loquitur § 2 quoad modum exprimendi relationem. *Hoc iudicium* §^{i} 1^{a} multiplex *revisores* a) *scripto proferant* a singulis exarato, propria manu vel instrumento utentibus, b) *argumentis et rationibus*, quae et quas desumant ex scriptis *suffultum*.

652. Casus discrepantiae consideratur, quem resolvit *can. 2069*. *Si quando iudicia* singulorum duorum ex can. 2067, § 1, *revisorum* de iisdem scriptis *discrepent* mutuo, *designetur ad normam can. 2066* quoad deligentem, conditionibus actus, et qualitates sequentis, *tertius revisor* eodem sub « secreto », *qui munus suum* indicatum ex nomine *eodem modo*, quem can. praec. praescribit, *expleat* circa iudicium ac eius probationem.

653. De obiectionibus quas invenire liceat adversus Dei Servum ex eiusdem scriptis, sequendus est *can. 2070. Promotor generalis fidei* secundum eius officium in can. 2010 expressum, a) *obiectiones* contra Beatificationem a) *ex scriptis Servi Dei* ab

illo, ut supponitur, perpendendis, *ac* b) *revisorum* duorum vel trium *iudicio* scripto *desumptas*, sub conditione: b) *si quas* rationabiles *habeat* vel prudenter censeat perpendendas, c) *Patribus Cardinalibus* in eorum Congregatione *discutiendas* necessario ea in hypotesi *proponat* ex officio.

654. Effectus canonicus earum proveniens statim examinatur, et normam praestat servandam *can. 2071. Si quid* assertum a) *in scriptis Servi Dei* ad S. Congregationem delatis b) *fidei*, prout est nunc explicita in Ecclesia Dei *non omnino*, seu omni ex parte etiam quoad sequelas ex scriptis, *consonum* c) *contineri certo*, ita ut de tali assertione dubium non sit, d) *fuerit demonstratum* propter rationes inde adductas in obiectionibus et non solutas, *aut aliquid* a) *habeatur* « in scriptis Servi Dei, b) *quod in praesenti*, quidquid fuerit de tempore, quo Servus Dei vixerit, c) *fidelium offensioni*, quoad mentem ac mores fortassis ex mutatis societatis conditionibus, *esse possit* ex prudenti iudicio, *Romanus Pontifex*, cui res esset deferenda in casu, a) *audito Patrum Cardinalium voto* in eorum Congregatione expresso, *et* b) *perpensis omnibus casus circumstantiis*, de tempore, personis ad quas scripsit, eiusdem Servi Dei instructione atque simplicitate, ceterisque, *decidit* ultimo *num ad ulteriora* causae *procedi possit.*

655. Effectus ex favorabili Papae iudicio limitat *can. 2072. Favorabile causae* prosequendae *Romani Pontificis* ad normam can. praec. *iudicium* a) *non secumfert scriptorum* quoad eorum doctrinam vel contentum *approbationem* aliquam, b) *neque impedit* propter auctoritatem Papae apponentis manum, *quominus* a) *Promotor generalis fidei* pro munere suo *et* b) *consultores* pro his Causis apud S. Congregationem existentes pro tempore a) *possint* pro sua prudentia *aut* b) etiam *debeant* secundum eorum singulorum conscientiam, *in discussione virtutum* in specie, seu singularum *obiectiones* adversus ipsarum approbationem *ex scriptis Servi Dei desumptas*, etiamsi prius iam hae propositae fuerint, a seipsis *proponere* equidem perpendendas.

Art. II. — *De discussione processus informativi.*

Can. 2073. - Processus informativus ab Ordinario confectus et Romam transmissus, postquam sigillorum integritas recognita fuerit a Protonotario Sacrae Congregationis, si nihil obstet, accedente Romani Pontificis speciali decreto, aperiatur coram Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis qui eum cancellario transcribendum committat.

Can. 2074. - Cardinalis Ponens curet ut, si opus sit, per interpretem probatum versio processus in

Urbe fiat, quae postea revisoris examini subiiciatur.

Can. 2075. - Transumptum processus ab Ordinario missum in tabulario Sacrae Congregationis asservetur; eiusque exemplar a cancellario ad iuris praescriptum recognitum postulatori tradatnr.

Can. 2076. - § 1. Advocatus et procurator transumpti vel, si plura sint, omnium transumptorum summarium conficiant et informationem quae summario adnectatur.

§ 2. Summario addi debet fides Subpromotoris generalis fidei testantis summarium ipsum concordare cum actis Sacrae Congregationi exhibitis.

Can. 2077. - Litterae postulatoriae, quibus personae insigniores in dignitate sive ecclesiastica sive civili constituae vel personae morales expostulant a Summo Pontifice ut causae beatificationis alicuius Servi Dei manus apponatur, utiliter exhibentur, dummodo sponte et ex propria scientia datae sint.

Can. 2078. - Si, scriptis perpensis, decretum fuerit ad ulteriora procedi posse, Promotor generalis fidei obiectiones suas exaret contra causae introductionem, quibus respondeat advocatus causae.

Can. 2079. - § 1. Fidei Promotor generalis obiectionibus ab ipso pro causae introductione concinnandis praemittat sobriam et perspicuam synopsim, quae Servi Dei vitam exhibeat.

§ 2. Ad hanc synopsim conscribendam adhibeat non modo documenta in summario relata, sed etiam alia, si qua sint, opportune consulenda.

Can. 2080. - Obiectiones et responsiones breviter et perspicue, scholastica fere methodo, secundum veteres Sacrae Congregationis consuetudines, exarentur.

Can. 2081. - Informationes orales non solum ad iudices, sed etiam ad eos omnes qui suffragium ferre debent, tam in isto iudicio quam in ceteris, quae secutura sunt, prohibentur.

Can. 2082. - Iudicium circa valorem processus informativi ab Ordinario instructi, circa famam sanctitatis vel martyrii et circa absentiam cuiuslibet obstaculi peremptorii profertur a Patribus Cardinalibus in comitiis ordinariis, Cardinali Ponente referente ac

- Art. II De discussione processus informativi
  - praevenienda, illius
    - aperitione ac transcriptione Can. 2073
    - versione quandoque facienda » 2074
    - asservatione » 2075
    - summario confecto » 2076
  - perficienda
    - post litteras postulatorias » 2077
    - per obiectiones
      - exarandas et respondendas » 2078
      - praemissa vitae synopsi » 2079
      - debita forma » 2080
    - sine oralibus informationibus » 2081
  - complenda dubio, quod
    - Card. Ponens proponit » 2082
    - S. Pontifex decretorie solvit » 2083
    - suos effectus habet » 2084

proponente dubium : *an signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.*

CAN. 2083. - § 1. Si Patrum Cardinalium iudicium fuerit favorabile, proponatur Sanctissimo ut signet, si placeat, *commissionem introductionis causae.*

§ 2. Si Sanctissimus commissionem signaverit, Secretarius Sacrae Congregationis hac de re decretum conficiat et publici iuris faciat.

CAN. 2084. - § 1. - Edito decreto introductionis causae, Ordinarii nihil ultra circa eam agere possunt sine expressa licentia Sacrae Congregationis.

§ 2. Servum Dei, cuius causa introducta tantum est, *venerabilis* titulo decorari prohibitum est ; et caveant postulatores ne occasione introductionis causae quidquam fiat in honorem Servi Dei, quod publicum cultum redoleat.

656. Inscriptio articuli ac distributio canonum. — Si post revisionem scriptorum causae prosequutioni nihil obstet cum effectu, in praxim deducendus *Art. II* inscriptus *De discussione*, quia controversia instituenda est inter Promotorem generalem fidei atque advocatos atque Procuratores causae, quoad effectum commissionis introducendae apud tribunal S. Sedis causae Beatificationis Servi Dei, desumentibus his et illo motiva ex actis *processus informativi* apud dioecesanam Curiam concinnati.

Et primo recognoscendus est extrinsece processus transmissus, ateque facta legitima ipsius aperitione, transumptum semper, versionem quandoque perficere oportebit. De his omnibus atque de originalis asservatione sunt can. 2073-2075. His peractis, summarium transumpti atque hinc deducta informatio est praescripta can. 2076. Sequentes canones moderantur ipsam causae introductionem decernendam. Huic litterae postulatoriae iuxta can. 2077 praecedunt, obiectiones et responsiones exarandae iuxta can. 2078-2080, quia can. 2081 vetat informationes huiusmodi orales. Quid significet signatura commissionis, quo modo exprimenda haec atque decernenda, ostendunt can. 2082, 2083, effectusque decreti signaturae refert can. 2084.

657. Recognitio et transcriptio processus perficiendae sint in Curia Romana. Ita habet *can. 2073. Processus informativus* a) *ab Ordinario confectus*, cuius « archetypus sigillis munitus in archivo Curiae asservatur » (can. 2056, § 1), sed « transumptum clausum et obsignatum sigillo Ordinarii » b) *et sic Romam transmissus*, quod faciendum esse implicite asseritur in can. 2056, § 2, c) *postquam sigillorum integritas recognita fuerit a Protonotario Sacrae Congregationis*, « qui est e numero Protonotariorum participantium » (can. 2013, § 2), d) *si nihil obstet*, v. gr. ratione scriptorum Servi Dei, e) *accedente Romani Pontificis*, prout Leo XIII iussit Decretis dici 8 Aprilis 1889 dicens : « Idem porro transumptum pari modo obsignatum Romam mittendum est, neque aperiendum absque Summi Pontificis venia », *speciali* de hoc

Decreto, aperiatur coram Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis qui eum, nempe: processum transcriptum *cancellario* S. Congregationis, iterum *transcribendum committat.*

658. Versio processus nonnunquam est perficienda, modum vero praescribit *can. 2074.* Leo XIII iusserat in supra citatis Decretis sub n. « I. Iuxta Decreta a s. m. Urbano Papa VIII edita, Traductores ac Revisores Processuum, qui in lingua vernacula fuerunt exarati, eligendi ac deputandi sunt ab Emo. Cardinale respectivae Causae Ponente; minime autem a Iudicibus Processus ipsius ». Igitur *Cardinalis Ponens* huius causae Servi Dei, de quo informativus est processus, *curet ut, si opus sit* propter linguam vernaculam, exceptis gallica et italica, in qua processus est confectus, *per interpretem* qua talem *probatum* per « deputationem a Cardinali eodem, audito fidei generali Promotore » (can. 2031, n. 2°) factam, ut ibidem fuit declaratum et cit.° dec.° Innoc. XI sub numero Quarto confirmatum, a) *versio processus* in italicum vel latinum idioma *in Urbe fiat, quae* b) *postea revisoris examini subiicialur* iuxta praecitatum decretum, ubi scriptum est: « pro maiori cautela, postquam interpretatio (processuum extero idiomate confectorum) fuerit facta, revideatur ab aliquo viro probo, et perito, qui secrete ad hoc officium assumatur ab eodem Eminentissimo Ponente, et, si reperiatur aliquis error substantialis, Interpres severe puniatur arbitrio Sacrae Congregationis.

659. Asservatio processus ac versionis fuit iam statuta ab Innoc. XI [1] sub num. « Quinto. Advertens etiam, quam necessaria sit diligens custodia processuum originalium, decrevit, quod ii, sicuti etiam interpretationes originales illorum qui sunt extero idiomate confecti, retineri debeant in Archivo Sacrae Congregationis in Vaticano, in loco clauso, et separato ab aliis scripturis, etc. ».

Concordans huic praescripto et contextui Articuli *can. 2075* statuit. *Transumptum processus* « informativi » *ab Ordinario missum* iuxta can. 2056, § 2, cuius interpretatio hinc confirmatur, *in tabulario Sacrae Congregationis* ad causarum huiusmodi custodiam destinato, ubicumque adsit pro tempore, *asservetur*, vi huius canonis; *eiusque* « transumpti » *exemplar* transcriptum vi can. 2073 in fine, *a cancellario* eiusdem Sacrae Congregationis *ad iuris praescriptum*, nempe: a notario legitimo uti conforme processui, cuius est « exemplar », *recognitum* authentice, *postu-*

[1] Dec. 15 Oct. 1678, § 1.

latori causae Servi Dei eiusdem *tradatur* vi huius canonis, et potest iure exigi ab eo.

660. De summario et informatione conficiendis, quae post praedicta fiunt, praescribit *can. 2076, § 1. Advocatus et procurator* illius causa nobis iam noti, a) *transumpti* quod per exemplar postulatori traditum norunt, *vel, si plura sint* diversa, quae ex diversis dioecesibus quandoque proveniunt, *omnium transumptorum*, quorum exemplar postulator recepit vi can. praec., *summarium* se referens ad processus documenta, quod « ad nimias expensas evitandas atque ad prolixitatem removendam, quae aliquando ipsi nocet causae, curent « advocatus et procurator » pro uniuscuiusque munere ut sobrium illud *conficiant* [1] *et* b) *informationem* « scribent, quae continet brevem historiam vitae Servi Dei, ac demonstrationem virtutum heroicarum illius, donorum et miraculorum » [2], *quae* « informatio » *summario adnectatur*, et hae sunt duae potiores partes illius, quod vocatur « Positio super introductione Causae ».

§ 2. *Summario* « scripto antequam typis edatur, sed « Sub-Promotor concedere potest ut, ad rem citius expediendam, Summarium, vix ac descriptum fuerit, typographo tradatur: ac ipse simul cum typos corrigit, tum revidet utrum documenta Summarii cum Processu concordent », nam vi canonis *addi debet* scripto et typis impresso *fides* idest: subscriptio *Sub-Promotoris generalis fidei*, seu « Assessoris Sacrae Congregationis qui Promotori generali fidei assistit » (can. 2010, § 2), *testantis*, in praxi ad calcem Summarii apponentis formulam « Revisa » etc., qua significat *summarium ipsum concordare* quoad citationes ac probationes *cum actis* processus *Sacrae Congregationi exhibitis*, imo et apud eam custoditis.

661. De litteris postulatoriis loquuntur Decreta Innoc. XI [1] sub numero « Septimo. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam Decretorum, quod non prius Sedes Apostolica moveri soleat, quam Reges, Principes, et aliae personae authenticae et honestae instanter supplicaverint Summo Pontifici, et tunc etiam non statim, sed expectare quod diu pulsetur, nam, si perdurabunt miracula, et supplicantium instantiae, tunc Summus Pontifex, si ei videbitur, committit causam Sacrae Congregationi; ideo... censuit S. Congregatio, Commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die praesentationis processus auctoritate ordinaria fabricati, et cum prae-

[1] Codex pro Postulatoribus, pag. 139. — [2] 15 Oct. 1678, § 1.

cedenti rigorosa discussione eiusdem processus cum Scriptura, et Summario, et insuper habitis post decennium a die fabricationis illius novis litteris Episcoporum circa percrebrescentiam famae sanctitatis, et miraculorum ac devotionis populi enixe pro Beatificatione et Canonizatione instantis: nisi tamen in aliqua causa, ex peculiaribus circumstantiis, Sac. Congregatio existimaverit, anticipari posse tempus in discussione processuum auctoritate ordinaria confectorum et Sanctissimus hoc approbaverit ».

Porro *can. 2077* decernit. *Litterae postulatoriae* statim declarandae, « typis etiam imprimendae ac Summario adiiciendae, non singulae tamen, sed selectiores: ceterae tantummodo indicare satis est » [1], *quibus* a) *personae* physicae *insignores*, non quaelibet de populo, vel ordinario potitae officio, sed *in dignitate*, quae talis sit propter praecedentiam saltem eis concessam, quae simul dotes peculiares obstendat, *sive ecclesiastica*, nempe: quam Ecclesia tribuit, v. gr. in Cardinalatu, Episcopatu, etsi titulari, Abbatia, *sive civili*, iuxta mores ac leges Status cuiuslibet obtenta, v. gr. Praefecti Provinciae, Ministri membri Gubernii, Praesidis Reipublicae, Regis, *constitutae* de facto, *vel* b) *personae morales* praesertim apud Ecclesiam, cum nostris temporibus, aliae similes personae apud civiles societates de his nihil curent, *expostulant*, hinc appellatio earum litterarum, *a Summo Pontifice*, cui proinde sunt inscribendae, *ut* taxative *causae beatificationis alicuius* certi *Servi Dei manus apponatur*, equidem per introductionem illius, quod debet esse obiectum expressum earum, nec proprie ut ille beatificatione donetur: tales litterae in usu positae *utiliter exhibentur* iuxta Curiae Romanae praxim, *dummodo sponte*, nec tales desinunt esse si a postulatore suggestae fuerint, *et ex propria scientia*, quam obtinuerint saltem ex relatione vitae illis personis oblata *datae sint*. Quae conditiones praesumuntur servatae, ut mores illarum personarum litteras publicas dantium comportant.

662. De controversia circa introductionem causae agit *can. 2078* sic praescribens. *Si, scriptis perpensis* ad normam Art. praec., *decretum fuerit*, sic enim concludere opus est revisionem scriptorum apud S. Congregationem, *ad ulteriora procedi posse*, sic prosequitur: *Promotor generalis* fidei pro suo numere *obiectiones suas*, idest: quae adinvenit proponendas ex lectione processus, *exaret* scripto *contra causae introductionem* intuitu beatificationis, *quibus respondeat* solvens illas *advocatus causae* subsignans responsiones.

[1] Codex pro Postulatoribus, pag. 140.

663. Modus a Promotore servandus exceptus est in Codicem a Dec. ° S. Congregationis iam saepe citato [1]. « VI. In Positionibus pro Congregationibus Ordinaria, Antipraeparatoria et Praeparatoria, Animadversionibus Promotoris fidei praemittatur synopsis vitae Servi Dei cuius causa tractatur, breviter et lucide ex officio conscripta desumpta tum ex documentis ». *Can 2079. § 1. Fidei Promotor generalis* idest: circa omnes beatificationis causas pro iure loquens, *obiectionibus* in can. praec. observantiam *ab ipso pro causae introductione*, idest: ut hic actus scite ponatur, *concinnandis praemittat* scripto *sobriam* quoad selectionem actuum Servi Dei *et perspicuam* ad conceptionem facilem. *synopsim*, seu descriptionem generaliorem, *quae Servi Dei vitam* totam *exhibeat*.

Quoad huius fontes adnotetur § 2. quae Dec. citatum exponit. *Ad hanc* declaratam in praec. §° *synopsim conscribendam adhibeat* a) *non modo documenta*, inter quae numerentur testium depositiones *in summario relata*, proinde ex processus informativo derivata, *sed* b) *etiam alia*, inde in summario omissa, atque a S. R. C. forsan collecta, *si qua sint*, *opportune* ad hoc *consulenda* cum ipsorum citatione. Ad hoc in memoriam reducatur quod in cicit. Dec.° scriptum est sub n. « IV. Promotori vero Fidei, antequam indicetur Congregatio ordinaria pro introductione causae, omnia documenta, (sive compulsata cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta) exhibeantur unacum sententia peritorum a S. R. C. eligendorum, quorum iudicio fuerunt subiecta) ».

664. Obiectionum et responsionum forma sit, quam describit *can. 2080. Obiectiones*, quas « Promotor generalis fidei exaret » vi can. 2078, *et responsiones* advocati causae, a) *breviter et* b) *perspicue*, quod sic perfici solet, *scholastica fere methodo* his dotibus ex se praedita, c) *secundum veteres Sacrae Congregationis consuetudines*, quae proinde retinendae sunt circa formam extrinsecam utrarumque, et sic ut dictum est *exarentur* per Postulatorem causae typis dandae. Etenim ex Informatione, Summario, Obiectionibus, Responsione, et aliquando Summario obiectionali vel additionali, fit « Positio super Introductione Causae », quae triginta dies ante discussionem S. Congregationi traditur.

665. Vetitum hac de re statuit *can. 2081. Informationes* circa processum informativum ac praedicta *orales* sive a Postulatore, sive ab Advocatis et Procuratoribus, sive demum a Promotore fidei generali fierent, a) *non solum ad iudices*, videlicet: S. R. C.

[1] 21 Aug. 1913. CO. V, 438.

Cardinales, qui hanc componunt Congregationem, b) *sed etiam ad eos omnes*, Consultores et Praelatos, Episcopos, *qui suffragium*, scriptum vel aliter tam in Congregatione ordinaria, quam antipraeparatoria, praeparatoria vel coram SS.mo, *ferre debent*, c) *tam in isto iudicio* quoad Causae introductionem, quod primum est in illa, *quam in ceteris*, nempe: de revelantia processuum apostolicorum, de virtutibus in specie, de martyrio et causa martyrii, de miraculis et de tuto, *quae secutura sunt* eadem in Causa apud Curiam Romanam, *prohibentur*.

666. Sensus dubii proponendi hoc in iudicio primo accipiendus est iuxta contextum *can. 2082. Iudicium* multiplex a) *circa valorem* idest: validitatem *processus informativi ab Ordinario instructi*, et iuxta canones praecedentes, discussi, b) *circa famam sanctitatis vel martyrii* an sufficienter fuerit probata ex illo et adnexis documentis a S. Congr. collectis, pro diversitate confessoris vel martyris Servi Dei, *et* c) *circa absentiam cuiuslibet obstaculi peremptorii*, quod videlicet: ex S. Congregationis praxi praescindit spem beatificationis, illud « iudicium » *profertur* unico verbo: « affirmative » vel « negative » *a* singulis *Patribus Cardinalibus* huius Congregationis Rituum, qui praesentes sint *in Comitiis ordinariis* ob periodicam coadunationem ad has causas discutiendas, *Cardinali Ponente* huius singularis causae *referente* de illis omnibus *ac proponente* discutiendum forsan et solvendum *dubium* his verbis conceptum: « *an signanda sit* per S. Pontificem *commissio* facienda *introductionis causae* apud S. Sedem *in casu* huius Servi Dei *et ad effectum* beatificationis persequendum, id est enim: *de quo agitur* hic et nunc.

667. Commissio introductionis causae habet effectum iuxta sequens praescriptum. *Can. 2083. § 1. Si Patrum Cardinalium iudicium* supra declaratum *fuerit favorabile* per suffragium expressum verbo: « affirmative: signandam esse commissionem », *proponatur* per Card. Praefectum aut per Secretarium S. Congregationis *Sanctissimo ut signet* subscribendo *si placeat* pro dignitate suprema ac in dependenti auctoritate, *commissionem introductionis causae* huius Servi Dei.

Nec sufficit hoc, sed constet authentice oportet ad effectum illius proprium. Propterea ait § 2. *Si Sanctissimus*, quo verbo simplici Summus Pontifex designatur, *commissionem signaverit*, *Secretarius Sacrae Congregationis* saepius memoratae *hac de re* exprimenda a) *decretum* in usu *conficiat et* b) *publici iuris faciat* v. gr. inserendo illud in « Actis Apostolicae Sedis ».

668. Effectus similis Decreti est unicus, quem prohibendo alios potius abusus refert *Can. 2084*. En § *1. Edito* per publicationem *decreto introductionis causae* testimonio, *Ordinarii* supra declarati ut competentes *nihil ultra circa eam* causam, qua talem *agere possunt* vi propriae iurisdictionis, seu *sine expressa*, verbis vel ut plurimum scripto data, *licentia Sacrae Congregationis*, cui commissio est tributa.

Negative aut vetando loquitur § *2*, iuri praecedenti congruens. *Servum Dei*, a) *cuius causa introducta tantum est* illo Decreto, b) *venerabilis titulo decorari prohibitum est*, quod vetitum ab omnibus fidelibus, sed praesertim ab scriptoribus de Servo Dei, cudentibus imagines, atque Postulatores, quia erat introductus abusus hac de re, *ne occasione introductionis causae*, etsi obtentae, *quidquam fiat*, praecipue in ecclesiis *in honorem Servi Dei, quod publicum cultum redoleat*, quamvis proprie dici talis nequeat.

Maiorem claritatem nanciscetur haec paragraphus ex Dec.° 26 Aug. 1913, sic quoad abusus incipiente: « De Servis Dei, quorum sanctitudo vitae legitime examinanda curatur, nonnullis maxime locis usu venit, ut, cum admovetur manus ordinariis processibus instruendis super eorum virtutibus vel martyrio, sacra quaedam solemnia in Ecclesiis indicantur, ac signata *Commissione* ad causam pertractandam apud S. Rituum Congregationem, vulgo diffundatur nuntius, non aequo prorsus loquendi modo, Dei Servum, cuius causa introducta sit, *Venerabilem ab Apostolica Sede esse declaratum*, atque inter ea solemnia pro gratiarum actione panegyricae etiam orationes habeantur eaeque saepius adeo immoderatae, ut facile in errorem inducantur fideles, debitam putantes eisdem Dei Servis venerationem, quae solis beatificatis et canonizatis debetur. Haec animadvertens Ss.mus D. N. Pius Pp. X, ne quid Ecclesiae disciplina detrimentum capiat, primum omnium solemnia, quae contra pristinam consuetudinem celebrantur cum agitur de inchoandis processibus ordinariis, reprobavit et prohibuit: deinde recolendam mandavit declarationem additam die 19 Februarii 1658 Decretis f. r. Urbani VIII, « Ne, scilicet, per Commissiones introductionis vel reassumptionis seu ulterius progressus causarum tum signatas tum signandas ullum beatitatis vel sanctitatis, aut indultae venerationis et cultus argumentum vel minimum desumi, nec aliud quodcumque ius, quantumvis modici aut fere nullius momenti, in eiusdem causis quaesitum dici vel praetendi possit »: denique, adhibito consilio gravium virorum et exquisito peculiari voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, vetuit Servos Dei quorum causae posthac introdu-

centur, *Venerabiles* appellari, item solemnia peragi occasione decreti editi super causae introductione. Inhaerens autem sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere ».

Art. III. — *De discussione processus super non cultu.*

Can. 2085. - Signata commissione introductionis causae, a Patribus Cardinalibus in comitiis ordinariis particularibus discutiendum est dubium num confirmanda sit sententia de non cultu ab Ordinario prolata. Si sententia Patrum Cardinalium cultum praestitum fuisse edixerit, eorundem Patrum arbitrio, omnibus circumstantiis attentis, causa suspendatur quousque omnia signa vetiti cultus remota fuerint, et haec obedientia ad certum tempus, ab ipsis Patribus statuendum, fuerit praestita.

Can. 2086. - § 1. Si Ordinarius processum super non cultu nondum confecerit ante causae introductionem, ad eundem processum deveniendum est auctoritate apostolica.

§ 2. Ad hunc finem fidei Promotor generalis interrogatoria exaret quae una cum litteris remissorialibus, de quibus in can. 2087 seqq., a Sacra Congregatione expediuntur ad iudices ab ipsa designatos.

§ 3. Quando agitur de martyribus, in quorum causa Ordinarius omiserit processum super non cultu instruere ante causae introductionem, litteris remissorialibus ad conficiendum processum super martyrio et causa martyrii addatur commissio ad colligendas probationes super non cultu una cum peculiaribus interrogatoriis a fidei Promotore generali propositis.

669. Inscriptio articuli eiusque duo canones. — In processu super non cultu, non vero in processu informativo, nec in perquisitione scriptorum, finis imponitur per sententiam ab Ordinario proferendam vi can. 2060. Igitur post introductionem causae tantummodo aderit locus confirmandi illam vel infirmandi per S. Congregationem. Hac de causa sequitur nunc *Art. III. De discussione processus* usque ad sententiam inclusive remissi *super non cultu*, prout haec clausula fuit declarata. Duo canones explent huiusmodi legislationem, pro duplici hypothesi peracti processus, vel nondum confecti ante introductionem causae. Quod innuit talem processum non esse expectandum, ut dubium de signanda commissione perpendatur ac solvatur. Necessitas illius distinctionis canonum palam constabit, si memoretur praescriptum can. 2084 de vi decreti introductionis causae.

670. De discussione apud S. Congregationem agit *can. 2085. Signata* a Sanctissimo *commissione introductionis causae*, idque requiritur ac sufficit, *a Patribus Cardinalibus in comitiis* a) *ordinariis* seu periodice habendis b) *particularibus* ad haec dubia solvenda coadunatis, atque praeviis tum processus Summario, tum Informatione, ex quibus atque ex S. Fidei Promotoris ani-

madversionibus et a Procuratore datis Responsionibus, fit Positio, sicut dictum est de Processu informativo esse faciendum, cui titulus « Positio super non cultu », et *discutiendum est dubium num confirmanda sit sententia de non cultu ab Ordinario prolata*, qua nempe pronunciatum est « Decretis illis Urbani VIII, quae dicuntur de non cultu, obeditum esse ».

« Summarium pro hoc iudicio concinnandum a Procuratore duabus constat partibus, quarum altera nonnulla refert graviora documenta, scilicet Decretum Introductionis Causae, Rescriptum Ordinarii quo tribunal constituit, vel (pro canonis sequentis casu) Litteras Remissoriales, si Processus sit Apostolicus, Mandatum Procurationis, Tabellam Testium, Litteras Judicis et Promotoris ad S. Congregationem: altera vero refert testium responsa. Informatio, quae a Procuratore est conficienda, uti statutum est per Decretum S. R. C. sub die 3 Jul. 1893, in duas pariter dividitur partes: altera enumerat Processus Acta, eaque valida esse contendit, et inscribitur *De validitate Processus*: — altera iustam fuisse Judicis sententiam demonstrat, et inscribitur — *De iustitia sententiae* » [1].

Praestituta die, Sacra Congregatio, referente Card. Ponente sive Relatore, Dubium discutit: ac si quidem omnia bene cesserint, respondet — *Affirmative, sive sententiam esse confirmandam*: — secus vero — *Negative, sive sententiam non esse confirmandam*. Aliquando accidit ut aliud detur responsum, videlicet — *Constare de non cultu et de obedientia sufficienter Decretis Urbani VIII adhibita*, quando nempe sententia Ordinarii vel non reputatur undequaque iusta, vel eiusdem iustitia in totum non patet ex processu. Responsum autem est favorabile Causae.

Si ergo *sententia Patrum Cardinalium*, qua respondetur Dubio proposito, *cultum praestitum* subintelligitur (hucusque, *fuisse edixerit*, a) *eorumdem* praesentium *Patrum arbitrio*, b) *omnibus circumstantiis* praedicti cultus in casu *attentis*, *causa* pertractanda *suspendatur quousque* a) *omnia* quae perstant *signa veteri cultus remota fuerint* a locis, v. gr. sepulcri, cubiculi ubi Servus Dei obiit, *et haec* b) *obedientia* Decretis Urbani VIII, forsan per actus periodicos cultus deficiens, *ad certum tempus*, *ab ipsis Patribus* supra declaratis *statuendum fuerit* ab omnibus *praestita*. Postquam ergo haec duplex iniunctio fuerit servata, ac per documentum vel aliis modis fuerit probatum, poterit concedi prosequutio causae.

[1] **Codex pro Postulatoribus, pag. 148, 149.**

671. De processu super non cultu instruendo loquitur *can. 2086.* Et § *1* supponit illum nondum fuisse confectum, dicens: *Si Ordinarius* (can. 198, § 1 et can. 2002) loci *processum super non cultu* de quo egit art. III capitis praec., *nondum confecerit ante causae introductionem*, quae, ut vidimus, praerequirit alios duos scriptorum et informativum, *ad eundem processum deveniendum est* quia semper necessarius, *auctoritate apostolica* propter praescriptum can. 2084, § 1.

Modum servandum ostendit § 2 incipiens sic. *Ad hunc finem fidei Promotor generalis* seu apud S. Congregationem a) *interrogatoria exaret* de quibus testes interrogandi erunt, *quae* b) *una cum litteris remissorialibus* nempe: per quas delegantur ac instruuntur iudices ad processum super non cultu instruendum, *de quibus* in genere sermo est *in can. 2087 seqq.., a Sacra Congregatione* idest: auctoritate ac nomine eiusdem *expediuntur*, nempe: conficiuntur ac mittuntur ad iudices numero plurali *ab ipsa* in singulis causis *designatos* nomine aut officio vel dignitate.

Has praecedentes remissoriales faciendas esse specialiter constat ex concessione, quam refert § *3. Quando agitur* a) *de martyribus*, ergo non quoad alios Dei Servos, b) *in quorum causa* praeformanda *Ordinarius omiserit* ut in § 1ª *processum super non cultu instruere* plene cum sententia *ante causae* illius *introductionem*, a) *litteris remissorialibus* taxative datis *ad conficiendum* equidem propter illas apostolicum *processum* unicum *super martyrio et causa martyrii addatur* vi huius praecepti b) *commissio* seu delegatio solum *ad colligendas probationes*, « quae ex testibus et ex documentis eruantur » (can 2019), *super non* praestito *cultu* Servo Dei martyri c) *una cum peculiaribus* ad casum *interrogatoriis* ad excutiendos testes *a fidei Promotore generali propositis*, non secus ac in §° 2ª praescriptum fuit.

CAPUT III.

De processibus apostolicis.

ART. I. — *De processu apostolico instruendo.*

CAN. 2087. - § 1. Edito decreto de non cultu, impetrentur a Summo Pontifice et expediantur a Cardinali Praefecto litterae remissoriales, quas vocant, ad instruendum processum apostolicum tum super fama sanctitatis, miraculorum aut martyrii, tum super virtutibus et miraculis in specie vel super martyrio eiusdemque causa.

§ 2. Hi duo processus distincte fiant; sed primus omitti potest, si Cardinali Praefecto et Promotori generali fidei nec necessarium nec

opportunum videatur de continuatione famae iterum inquirere.

§ 3. Signata commissione, et nondum edito decreto de non cultu si periculum sit ne quidam oculati testes interim deficiant, concedantur statim litterae remissoriales ad instruendum processum apostolicum super virtutibus et miraculis in specie vel super martyrio eiusdemque causa, ne *pereant probationes.*

CAN. 2088. - § 1. Litterae remissoriales dentur ad quinque saltem iudices, in ecclesiastica dignitate, si fieri potest, constitutos.

§ 2. Si inter iudices cooptatus fuerit Ordinarius, ipse praesidem agat; secus praeses ab ipsa Sacra Congregatione designatur; expedit autem ut saltem praeses non sit idem ille qui praefuit in informativo processu.

§ 3. Si agatur de processu super miraculis, nominetur praeterea unus saltem peritus, qui sessionibus tribunalis adsit et iudicem rogare possit ut necessarias interrogationes testibus proponat ad maiorem assequendam verborum rerumque claritatem.

CAN. 2089. - Litteris remissorialibus addantur peculiares litterae Promotoris generalis fidei, quibus duos subpromotores designet qui eius nomine processui adsint.

CAN. 2090. - Interrogatoria conficiantur a Promotore generali fidei super obiectionibus in causae introductione agitatis et super testimoniis receptis in processu informativo ad normam can. 2050, itemque super extraiudicialibus informationibus, quas ipse exquirendas existimaverit, adhibita quoque opera periti, si de miraculis agatur.

CAN. 2091. - § 1. Litterae remissoriales tradantur causae postulatori qui eas ad delegatum praesidem tribunalis transmittendas curet.

§ 2. Una simul mittantur ad aliquem ex subpromotoribus, clausa et non aperienda nisi in actu examinis, interrogatoria, super quibus qui inducentur testes, sint interrogandi.

CAN. 2092. - Iudices delegati, antequam muneris obeundi initium faciant, Ordinario ostendant litteras delegationis, qui debet eisdem praestare auxilium auctoritatis suae.

CAN. 2093. - § 1. Receptis litteris remissorialibus, praeses tribunalis curet quantocius tribunal convocare et nunquam hanc convocationem differat ultra trimestre, nisi iustum intercedat impedimentum, de quo tamen intra idem tempus Sacram Congregationem monere ne omittat.

§ 2. Tribunal in ipsa prima sessione eligat notarium, eius adiunctum, peritum, si casus ferat, et cursorem, ac de eiusmodi electione fidem faciat notarius Curiae.

CAN. 2094. - Quamvis omnes, ad quos remissoriales litterae datae sunt, adesse possint singulis processus apostolici sessionibus, ad validitatem tamen sufficit ut adsint praeses cum duobus iudicibus vel, ipso annuente et absente, tres alii iudices, itemque unus ex sub-promotoribus fidei, notarius vel adiunctus.

CAN. 2095. - Processus saltem intra biennium, computandum a die aperitionis litterarum, absolvendus est; quo biennio elapso, cum processus continuari nequeat sine venia Apostolicae Sedis, Sacra Congregatio moneatur de impedimentis ob quae apostolicum mandatum non fuerit ad exitum perductum.

CAN. 2096. - Antequam absolvatur processus apostolicus super virtutibus in specie, fiat a tribunali recognitio iuridica exuviarum Servi Dei secundum praescripta litterarum remissorialium.

CAN. 2097. - § 1. In transcriptione, collatione et Romam transmissione exemplaris actorum originalium serventur quae supra can. 2054-2056, 2063 pro informativo processu praescripta sunt.

§ 2. Processus exhibeatur, aperiatur et transcribatur apud Sacram Congregationem ad normam can. 2073-2075.

- Art. I De processu apostolico instruendo
  - multiplici — Can. 2087
  - tribunal
    - ex quinque saltem iudicibus — » 2088
    - cum duobus subpromotoribus — » 2089
  - cum interrogatoriis
    - a Promotore fidei generali datis — » 2090
    - missis per Causae Postulatorem — » 2091
  - quoad iudices
    - antequam munus obire incipiant — » 2092
    - respectu
      - ad primam sessionem — » 2093
      - ad sessiones — » 2094
  - et absolvendo
    - intra biennium — » 2095
    - praevia recognitione exuviarum — » 2096
  - transcribendo, transmittendo, aperiendo, etc. — » 2097

672. Inscriptio Capitis et ipsius divisio. — Cognitis plene ex Capite praecedenti normis, quas oportet ab Episcopis servari pro conficiendis processibus, qui iure proprio possunt ab eisdem instrui, necnon aliis regulis pro casu conficiendi aliquem horum processuum auctoritate apostolica, propter omissionem; iam agere opus est, quod praestat *Caput III*, *De processibus* equidem iudicialibus propter formam, *apostolicis* propter auctoritatem, quia utpote Sedi Apostolicae reservati, non tantum definitiva illorum sententia per S. Congregationem editur, sed instructio processus ex delegatione solum perficitur apud diversas dioeceses et in eadem quoque Urbe.

Ex his facile conspicitur divisio Capitis. Nam *Art. I* est *De processu apostolico* multiplici *instruendo*, danturque pro omnibus regulae. Postea sunt normae sequendae apud S. Congregationem, quae gradatim incedens, tractat, ut iubet *Art. II. De processus apostolici* cuiuslibet instructi atque Romam missi *validitate diiudicanda*, seu ut dicitur de relevantia processus eiusdem. Hoc edictum subsequitur materia, quam refert *Art. III. De iudicio* emittendo a) *super heroicitate virtutum* Servi Dei, quod eruendum est conformiter processui de hac re *in specie vel* b) *super martyrio eiusque causa*. Demum his omnibus per Decreta in favorem Causae, solutis, in meritum Causae restat impleri quod praescribit *Art. IV. De iudicio* an constet, *super Servi Dei miraculis*, seu eius invocatione ac intercessione a Deo patratis *in specie*, idest: qui singillatim atque cum omnibus circumstantiis fuerunt denunciati.

673. Inscriptio articuli I et canones ipsius. — *Art I* agit solum *De processu apostolico* quolibet in his causis beatificationis *instruendo* solummodo, quae instructio fit a iudicibus ad hoc delegatis, et qui desummuntur ex clero locorum, ubi probationes inveniuntur, quin ad eos pertineat ferre sententiam. Sunt ergo iudices proprie instructores, qui servare debent canones huius capitis atque instructorias normas eisdem remissas.

Canones sic ordinantur. Can. 2087 ostendit multiplices processus, de quibus hic agitur. Constitutionem tribunalis curant can. 2088, 2089 et huius personarum informationem can. 2090, 2091. De munere iudicum horum agunt can. 2092-2094. De processu vero ipso can. 2095, qui antequam absolvatur, sunt recognoscendae Servi Dei exuviae ad normam can. 2096, atque ultimus can. 2097 cetera apud illud tribunal complenda statuit.

674. Diversi processus *apostolici* exhibentur ac praescribuntur faciendi. *Can. 2087. § 1. Edito decreto de non cultu* « auctoritate apostolica » (can. 2086), quod supponit signatam fuisse commissionem causae, vel, quod in idem recidit, huius commissionis edito decreto vi can. 2084, ac supposita sententia de non cultu, quam pronuntiavit tribunal Ordinarii, et postea « confirmatam a Patribus Cardinalibus » (can. 2085) a) *impetrentur* per Postulatoris preces *a Summo Pontifice et* b) *expediantur* signatae *a Cardinali Praefecto* S. Congr. Rituum *litterae remissoriales, quas vocant*, iuxta stylum Curiae Romanae, « quibus committitur, ut supradicti Processus (in causis Beatificationum) auctoritate Apostolica conficiantur » [1], et vi canonis *ad instruendum processum apostolicum* duplex: a) *tum super fama* in genere *sanctitatis, miraculorum aut martyrii*, non secus ac de huiusmodi processu ordinario declaratum fuit, sed specialiter quoad prosequutionem famae eiusdem ab illo tempore, b) *tum super virtutibus* in gradu heroico singulis *et miraculis* determinatis idest: *in specie vel* pro Servi Dei in odium fidei occisis *super martyrio eiusdemque causa* seu motivo.

§ 2 iubet. *Hi duo* sub litteris a) et b) §^{i} 1^{ae} *processus distincte fiant*, idest: pro duplici utriusque obiecto, seiunctim instruantur; *sed primus*, nempe: « super fama sanctitatis miraculorum aut martyrii », de qua sufficienter ac fortassis superabundanter constet ex ordinario processu, *omitti potest* ex licentia vi huius canonis concessa, sub conditione *si* a) *Cardinali Praefecto et* b) *Promotori fidei generali* pro illo singulari casu a) *nec necessarium,*

[1] Const. « Ad universae » Bened. XIV. 3 Sept. 1746.

utpote quod sufficienter manet probata, b) *nec opportunum* videatur eo quod parvum tempus a processu informativo transactum et crescens palam fama inutilem processum apostolicum indicant, *de continuatione famae* velut obiecto praecipuo, quia oporteret quoque super fama ipsa *iterum* hoc novo processu *inquirere*, vel « iterum » dicitur, quia uterque processus est « super fama », uti obiecto inquisitionis.

Quamdam animadversionem necessariam addit § 3. *Signata* a) *commissione* ad normam can. 2083, 2084, *et* b) *nondum edito decreto de non cultu*, idest antequam vi § 1ae « impetrentur litterae remissoriales », c) *si periculum sit ne quidam oculati testes*, in his causis praeferendi, et ex mente legislationis audiendi necessario, *interim*, videlicet: dum completur processus de non cultu auctoritate apostolica et edito decreto expediantur litterae remissoriales, *deficiant* morte vel senio, hac de causa et precibus a Postulatore porrectis *concedantur statim* a Sacra Congregatione *litterae remissoriales in* § 1 declaratae *ad instruendum processum* in dioecesi *apostolicum* quoad auctoritatem iudicum, seu ex delegatione, *super virtutibus et miraculis in specie vel super martyrio eiusdemque causa*, quod erat secundus processus § 1 ibi declaratus, quin obstet alter processus super fama eodem tempore quamvis distincte perficiendus, quia litterae remissoriales » de quibus paragraphus praesens sunt ad hoc: *ne pereant probationes* illorum testium oculatorum.

675. De tribunali constituendo haec teneantur, quae *can. 2088* praescribit. § *1. Litterae remissoriales* can. 2087 memoratae atque vi eiusdem impetrandae *dentur ad quinque saltem iudices* delegandos, ac proinde tres non sufficiunt, quoad hoc derogando praxim quam refert Const. « Universae » citata Bened. XIV, *in ecclesiastica dignitate*, sive Episcopali, sive Abbatiali, sive cum alia praeeminentia his accedente, *si fieri potest* eo quod ibidem inveniantur, vel in locis qui « viciniores sunt Dioecesi, in qua Apostolicus processus conficiendus erit » (Const. cit. § 22), *constitutos....*

« Sacra Rituum Congregatio expendens Processus sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate pro Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione extra Urbem confectos gravem quandoque irregularitatem adnotare debuit in eo sitam, quod personis certum officium in processu instruendo gerentibus, post quam illo fungi coeperunt, venia data fuerit, perdurante adhuc sive Ordinaria sive etiam Apostolica eiusdem Causae inquisitione, officio primo dimisso, aliud diversae indolis assumendi et exercendi. Haec au-

tem officiorum permutatio cum Juris regulis minime consona videatur, eadem S. Congr... ad praedictum removendum abusum et suspicionem quamlibet etiam levem in re tam gravis momenti prorsus eliminandam, censuit prohibendum, si Ssmo. placuerit, ne deinceps in condendis quibusvis Processibus tam Ordinariis quam Apostolicis, ad eiusdem Servi Dei Causam pertinentibus, eadem persona diversis officiis ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis » [1]. Sanctitas Sua (Pius IX) praefatam Sacrae Congr. decisionem ratam habuit et confirmavit.

Hoc Decretum respiciens § 2 statuit. *Si inter* « quinque » (§ 1) *iudices cooptatus fuerit Ordinarius* ad normam can. 1999, § 3, *ipse praesidem* tribunalis *agat* vi huius canonis, designatum; *secus*, deficiente hac conditione, *praeses ab ipsa Sacra Congregatione* in praefatis litteris *designatur* nomine vel officio singulari, quo potiatur; *expedit autem* propter rationes in Decreto adductas, quin validitas processus nutet ex praxi contraria, *ut saltem praeses*, quamvis hoc laudabiliter praescriptum extenderetur, si possibilitas afforet, *non sit idem ille*, idest: eadem physica persona, *qui praefuit* tribunali *in informativo processu*, qui habuit idem ac in apostolico obiectum.

Peculiarem normam edicit § 3. *Si agatur de processu super miraculis*, seu quoad hanc materiam, *nominetur praeterea* in praelaudatis litteris *unus saltem peritus* in arte medica vel chirurgica iuxta infirmitatis sanatae qualitatem, *qui* a) *sessionibus tribunalis* apostolici *adsit et* b) pro munere suo *iudicem* idest: praesidem *rogare possit*, nam ita se gerere debet, *ut necessarias*, prout ipsi perito videntur, *interrogationes* ab illo suggestas *testibus* singulis *proponat* etsi *ad maiorem assequendam verborum*, quae adhibent testes, *rerumque* narratarum *claritatem*, ut inde peritia enucleetur potentior ac securior.

676. Nominatio subpromotoris fidei ad normam can. 2011, § 2 sic providetur, ut *can. 2089* praescribit. *Litteris remissorialibus* pro tribunalis constitutione et in quibus a S. Rit. Congregatione, dentur Instructiones omnes ut rite ac valide Processus expleatur, *addantur* velut extrinsecae illis *peculiares*, seu distinctae *litterae Promotoris generalis fidei*, ab eodem scilicet exaratae, *quibus* taxative *duos sub-promotores* in « processu apostolico » huius Causae *designet*, *qui eius* « Promotoris generalis » *nomine processui adsint* ad « eius » munus explendum.

[1] Dec. gen. 22 Dec. 1870.

677. De interrogatoriis, quae sunt facienda testibus, decernit *can. 2090. Interrogatoria conficiantur a Promotore generali fidei* a) *super obiectionibus in causae introductione* ad normam can. 2079, 2080, *agitatis,* ut plenius evanescant, *et* b) *super testimoniis receptis in processu informativo ad normam can. 2050,* quae cum essent fortassis breviora, quam oporteat, evolvenda erunt circa particularia quaedam, *itemque* c) *super extraiudicialibus informationibus* de vita Servi Dei aut miraculis *quas ipse exquirendas* aliunde *existimaverit* pro eius conscientia, ut perfectius calleat Causam pro et contra, *adhibita quoque* ab eodem Promotore *opera periti* medici vel chirurgi pro diversa sanitatum natura, *si de miraculis* in processu v. gr. confessoris *agatur.*

678. De litterarum omnium expeditione cavet *can 2091.* § *1. Litterae remissoriales* et consequenter additae vi can. 2089 litterae Promotoris generalis fidei *tradantur causae* huius *postulatori qui* pro eius munere *eas* utrasque *ad delegatum praesidem tribunalis* eidem a S. Congregatione notificandum saltem ex directione apposita, *transmittendas* secure ac suis expensis *curet.*

§ 2. *Una simul* idest: sub eodem plico *mittantur* directae *ad aliquem ex duobus supromotoribus* rite iuxta can. 2090 designatis, cui proinde a praeside supra nominato tradenda sunt, a) *clausa et* b) *non aperienda* a sub-promotore nec a iudice-praeside, *nisi* ab hoc *in actu examinis, interrogatoria* confecta vi can. 2090, *super quibus,* quatenus obiecta sunt depositionum *qui inducentur* a vice-postulatore, a sub-promotoribus fidei, ab ipso forsan tribunali ex officio *testes, sint interrogandi.* Hoc tamen non obstat, ut nonnullae quaestiones profluentes ex depositione ad huius claritatem addantur ex officio in examinis decursu.

679. Usus earum litterarum est moderandus sequentibus praescriptis. *Can. 2092. Judices delegati* personaliter aut per praesidem, *antequam muneris* quo denominantur *obeundi* vi litterarum *initium faciant,* postquam vero de illarum iam apertarum tenore aliquo modo conscii sint. *Ordinario* loci, idest: Episcopo ad normam can. 2002 *ostendant* ipsas *litteras* authenticas *delegationis* ad praefatos processus conficiendos, *qui* Ordinarius per se vel per alios *debet* vi huius canonis *eisdem praestare auxilium auctoritatis suae* ordinariae, quandocumque ipsi eo indigeant et praecipue quando illud impetrent.

680. De initiali sessione decernit *can. 2093.* Adimplendum est quam cito praescriptum can. praec.^{s} eo quid § *1* sic exorditur. *Receptis litteris remissorialibus* a praeside, notificatis per eum aliis coniudicibus et per eosdem ostensis Ordinario, *praeses tri-*

bunalis eisdem « litteris » constitutus a) *curet* ea, quae dicta sunt, praemittens *quantocius*, excussa nempe qualibet socordia, *tribunal*, nempe: alios iudices et unum saltem ex Sub-promotoribus, *convocare et numquam* quantum in ipso est, *hanc* declaratam *convocationem differat ultra trimestre* supputandum a « receptione litterarum », ac proinde ad normam can. 34, § 3, 3°, *nisi* a) *iustum intercedat impedimentum*, v. gr. infirmitas unius ex iudicibus, absentia propter adimplendam conscientiae vel iuris obligationem, b) *de quo tamen* suborto « impedimento » singulari *intra idem*, ac supputandum ut supra quoad initium et finem, *tempus Sacram Congregationem monere*, idest: certiorem facere *ne omittat* vi huius praescripti.

§ 2. *Tribunal* collegiale *in ipsa prima* post convocationem §[i] 1[ae] *sessione* per maioritatem suffragiorum *eligat*, etsi post praesidis designationem, personas, quae munia quatuor singulae exerceant, a) *notarium* iuxta can. 2014, 2015 ad acta fideliter et authentice conscribenda, b) *eius adiunctum* cuius munus describitur in can. 2016, et qualitates ipsius ac notarii sub can. 2017 reperiuntur, c) *peritum* v. gr. medicum vel chirurgum, *si casus ferat*, v. gr. sit procedendum super miraculis, *et* d) *cursorem* « ad acta iudicialia intimanda » (can. 1591), *ac de eiusmodi electione* singulorum trium vel quatuor *fidem faciat* instrumento *notarius Curiae* dioecesis, apud quam tribunal sedem habeat.

681. Requisitae personae in sessionibus noscuntur ex praescripto, quod dat *can. 2091. Quamvis omnes*, nemine excepto, *ad quos*, nempe: « quinque saltem iudices constitutos » vi can. 2088, § 1, in casu « unum saltem peritum » vi eiusdem can. 2088, § 3, « duos sub-promotores » ob can. 2089, *remissoriales litterae*, quae illos designant, *datae sunt*, *adesse possint*, quia ceteri excluduntur, et quandoque vi canonum aliorum debeant, *singulis processus apostolici sessionibus*, *ad validitatem tamen* singularum *sufficit* ac proinde opus est *ut adsint* a) *praeses cum duobus* ex rite designatis *iudicibus*, quamvis diversi pro singulis sessionibus, *vel*, *ipso* praeside *annuente*, quod consensum expressum innuit, *et absente*, ac propterea ad ipsum supplendum uno addito, *tres alii* declarati *iudices* apostolici, *itemque* b) *unus* quilibet, etiam diversus pro singulis sessionibus, *ex sub-promotoribus fidei* rite designatus ad hunc processum, c) *notarius vel adiunctus* in prima sessione electi, pariter pro libitu diversis in sessionibus.

682. Tempus continuum processus statuit *can. 2095* iuxta tenorem eius in parte prima. *Processus* quilibet apostolicus *saltem* velut terminum longius *intra biennium*, « quod nullam pati-

tur interruptionem » (can. 35), ut patet ex secunda canonis parte, et *computandum a die aperitionis litterarum* remissorialium per praesidem, ad quem directae fuerant, seu ad normam can. 34, § 3, nn. 1°, 3°, *absolvendus est* postremis subscriptionibus; a) *quo biennio* sic declarato *elapso* sine processus absolutione, *cum processus* vi huius canonis sic asserentis tempus illud esse « continuum » *continuari nequeat* valide *sine venia Apostolicae Sedis* ad normam can. 7, quod supponitur implicite in litteris remissorialibus, etiamsi mentionem non faciant, ad veniam igitur illam impetrandam b) *Sacra Congregatio* quae delegavit, *moneatur*, idest: certior fiat a praeside tribunalis, instante postulatore Causae, *de impedimentis* physicis vel moralibus *ob quae apostolicum mandatum* subintellectum saltem in litteris, quod animadvertant iudices illi, *non fuerit ad exitum* sive favorabilem sive contrarium causae *perductum*.

683. Conditio praevia est, quam decernit *can. 2096. Antequam absolvatur* modo declarato in can. praec. *processus apostolicus* taxative *super virtutibus* in gradu heroico singulis, seu *in specie*, *fiat* ex canonis iussu a) *a tribunali* a quo instruitur « processus » ille b) *recognitio iuridica*, idest: servatis, quae pro illa vigent, regulis iuxta praxim S. Congregationis, *exuviarum Servi Dei* aperitione sepulcri c) *secundum praescripta litterarum remissorialium* adamussim servanda, illaque in actis referatur a notario.

684. Extensio praescriptorum, quae suis in locis fuerunt declarata, fit *can. 2097. § 1. In* a) *transcriptione* processus, b) *collatione* transcripti cum archetypo, *et* c) *Romam transmissione exemplaris*, seu transcripti *actorum* omnium *originalium*, quae proinde apud Curiam diecesis servanda erunt, *serventur* vi huius canonis *quae supra can. 2054-2056*, ut a) « exemplar processus, sicut acta archetypa, manu transcribantur », b) « fiat collatio a notario et ab eius adiuncto, praesentibus uno ex iudicibus (apostolicis) et sub-promotore fidei (alterutro); qua collatione expleta, ad authenticitatem transcripti probandam, tum notarius tum iudex et sub-promotor fidei (qui fuerunt praesentes) subscriptione sua et sigillo (aliquo) transumptum communiant », et c) « archetypum clauditur et sigillis munitur in archivo Curiae diligenter asservandum et numquam aperiendum sine venia Sedis Apostolicae »; dum « transumptum clauditur et obsignatur sigillo Ordinarii atque hac de re notarius instrumentum in duplici exemplari conficit, alterum Romam transmitendum, alterum in archivo Curiae asservandum » et *2063*, ut c) *transumptum* processus... per Causae Postulatorem, vice-postulatori tradatur ad S. Congre-

gationem tum Sub-promotorem fidei ad Promotorem fidei generalem, ut Sacra Congregatio certior fiat tum de fide testibus praestanda tum de omnibus actibus legitime absolutis », prout haec omnia declarata manent ubi *pro informativo processu* sic ad verbum *praescripta sunt* directe, atque ad normam huius praesentis canonis praefato modo aptata.

§ 2. *Processus* quilibet apostolicus a) *exhibeatur* Sacrae Congregationi, et « postquam sigillorum integritas recognita fuerit a Protonotario Sacrae Congregationis, si nihil obstet, accedente Romni Pontificis venia, b) *aperiatur* coram Card. Praefecto S. Congr.s, qui eum cancellario transcribendum committat », *et* c) *transcribatur*, dummodo « si opus sit, Card. Ponens curet ut per interpretem probatum versio processus in Urbe fiat, quae postea revisoris examini subiiciatur », ita ut haec omnia fiant *apud Sacram Congregationem ad normam can. 2073-2075*, qui fuerunt declarati proprio in loco quoad informativum processum, nunc extensi verbotenus quoque ad processus apostolicum, et quorum ultimus praescribit: « transumptum processus (apostolici) missum in tabulario Sacrae Congregationis Rituum) ad iuris praescriptum recognitum postulatori tradatur ».

ART. II. — *De processus apostolici validitate diiudicanda.*

CAN. 2098. - Processu apostolico ad Sacram Congregationem remisso, in primis de eiusdem processus validitate constare debet, simulque ad examen revocetur validitas processus informativi.

CAN. 2099. - Quare ante disceptationem paretur a causae advocato positio, quae constet:

1.° Informatione qua, productis documentis ad rem necessariis in processu contentis, omnia in eo ad normam iuris peracta fuisse demonstretur;

2.° Animadversionibus Promotoris generalis fidei contra validitatem, cum responsionibus advocati, utrisque ad normam can. 2080 exaratis.

CAN. 2100. - § 1. Pro diiudicanda validitate processus habeatur congregatio, praesentibus Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto, Cardinali Ponente et aliis tribus eiusdem Sacrae Congregationis Cardinalibus ab ipso Romano Pontifice electis, necnon Secretario, Protonotario Apostolico, Promotore generali fidei et Sub-promotore.

§ 2. In congregatione, referente Cardinali Ponente, praelati supradicti suum votum proferunt; et Promotor generalis fidei obiectiones, si quas habet, proponit.

§ 3. His omnibus discussis, Patres Cardinales iudicium ferant; quod si fuerit favorabile et a Summo Pontifice confirmatum, decretum de processus validitate fiat.

685. Inscriptio articuli eiusque tres canones. — In quolibet processu duo distinguenda sunt: forma illius, quae ab observantia canonum circa singulas illius partes seu actus vigentium pendet, atque meritum causae idest: vim allegatorum et probatio-

num iuridicam, ut eruatur ex eisdem sententia. Cum Causae beatificationis ex natura rei exposcant summam diligentiam humanae deficientiae possibilem, Ecclesia statuit illa duo esse perpendenda seiunctim, eo magis quod de merito processus iudicium ferre Summo Pontifici reservatur. *Articulus* igitur *II* tractat *De processus apostolici* cuiuslibet tali auctoritate instructi *validitate* propter servatos canones atque Sacrae Congregationis mandata, etiam quoad minima sub poena nullitatis iussa, *diiudicanda* praevie. Hac enim corruente, deerit iuridicus undequaque processus requisitus.

Hanc praecedentiam decernit can. 2098, praeparationem discussionis edocet can. 2099, hanc vero et sententiam moderatur can. 2100.

686. Quid primo sequatur in Curia Romana, decernit *can. 2098. Processu* unoquoque *apostolico* in causis beatificationis *ad Sacram Congregationem remisso* legitime, et postquam can. 2097 in omni eius parte fuit in praxim deductus, *in primis*, ad illam quod attinet, a) *de eiusdem* determinati *processus validitate* integra omnium actuum *constare* positivo examine *debet* vi huius canonis, ut ante Codicem in usu fuerat, *simulque* ob connexionem, et quia fundamentum constituit huius processus, *ad examen revocetur*, quia S. Congregatio ab hoc se abstinuit ante signaturam causae, *validitas processus informativi* qua talis, eo quod prius iudicatus est praecipue ad meram introductionem causae, et quia, « ut plerumque fit, Postulator in iudicio de Virtutibus in specie probationibus etiam ex Informativo Processu desumptis uti volet » [1].

687. Praeparatio discussionis peragenda est, prout habet *can. 2099. Quare* seu ad parendum praec. praescripto *ante disceptationem* in particulari Congregatione, *paretur a causae* illius, *advocato* rite nominato *positio*, *quae* inscribitur: « Positio super Validitate Processum », typis edita, distribuitur more solito, et *constet* vi canonis:

1° *Informatione qua*, *productis* in parte utili a) *documentis ad rem* intentam *necessariis in processu* alterutro *contentis*, et quae ut plurimum sunt « acta processus », *omnia in eo* « processu » utroque, ordinario et apostolico, *ad normam iuris* vigentis quoad validitatem, sive scripti, sive ex stylo Sacrae Congregationis *peracta fuisse demonstretur*, ex illis documentis rationes deducendo;

[1] Codex pro Postulatoribus, pag. 188.

2° *Animadversionibus* omnibus *Promotoris generalis fidei contra validitatem* adductis, *cum responsionibus advocati* eiusdem ad singulas, *utrisque ad normam can. 2080 exaratis* vi huius canonis; videlicet: « breviter et perspicue, scholastica fere methodo, secundum veteres Sacrae Congregationis consuetudines ». sicut in illo canone fuit declaratum.

Accuratiores normae ab Advocatis et Procuratoribus prae oculis habendae pro eorum munere iuste ac laudabiliter implendo, ab eisdem praelegendae sunt ac in praxi sequendae, prout sunt in Decreto « De divisione munerum inter advocatos et procuratores apud Sacr. Rituum Congregationem » num. II, IV dato sub die 12 Maii 1897. (Vid. in Codice pro Postulatoribus, pag. 289.

688. Discussio validitatis processuum ordinatur ad solvendum Dubium, quod sic enuntiatur: « An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur? »

Can. 2100. Constitutionem Congregationis ad hoc particularis decernit § *1. Pro diiudicanda validitate* ad normam can. 2098. *processus* cuiuslibet, etiamsi particularis super miraculis conditus fuerit, *habeatur* sequens *congregatio*, *praesentibus* solummodo a) *Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto*, *Cardinali causae Ponente et aliis tribus eiusdem Sacrae Congregationis* Rituum *Cardinalibus ab ipso Romano Pontifice* ad hoc *electis*, *necnon* b) *Secretario*, *Protonotario Apostolico*, *Promotore generali fidei et Sub-promotore*.

§ 2 continet modum servandum. *In* hac *congregatione* a) *referente Cardinali Ponente* iuxta Positionem, b) *praelati* quatuor *supradicti suum votum* quoad diversas Positionis relatae partes atque scopum finalem verbis *proferunt: et* specialiter *Promotor generalis fidei* pro eius *munere obiectiones*, *si quas habet* forsan occurrentes tunc vel post exaratas in Positione, *proponit*.

§ *3. His omnibus* in congregatione *discussis*, *Patres Cardinales* quinque *iudicium ferant* respondentes ad dubium supra relatum; *quod si fuerit* per maiorem numerum *favorabile et a Summo Pontifice*, cui per Card. Praefectum nuntiatur, *confirmatum*, *decretum* in S. Congregatione *de processus* utriusque *validitate fiat*, quod publici iuris quoque fit in Urbe.

Art. III. — *De iudicio super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio eiusque causa.*

Can. 2101. - Disceptatio virtutum non ante quinquaginta annos a morte Servi Dei inchoanda est.

Can. 2102. - Tribus congregationibus disceptatur de Servi Dei virtutum heroicitate vel de eius martyrio eiusque causa; scilicet in antepraeparatoria, praeparatoria et generali.

Can. 2103. - § 1. Praelati officiales et consultores in qualibet congregatione suffragia scripto proferunt.

§ 2. Postquam omnes praelati et consultor suffragium suum protulerint tum in congregatione antepraeparatoria tum in praeparatoria, singuli poterunt iterum declarare, antequam dimittatur congregatio, se a suffragio iam lato recedere.

§ 3. Conclusiones singulorum suffragiorum scripto mandentur a Secretario et secretae serventur; ipsa vero scripta suffragia Promotori generali fidei tradantur.

Can. 2104. - In causis confessorum discuti debet dubium: *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur;* in causis vero martyrum: *an constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.*

Can. 2105. - Congregatio antepraeparatoria habetur coram Cardinali Ponente una cum praelatis officialibus et consultoribus.

Can. 2106. - Pro congregatione antepraeparatoria paretur positio quae constet:

1° Summario ex processu originali desumpto, quod ita conficiatur ut testimonia et documenta integra producantur;

2.° Advocati scriptura, qua ex pictis in summario vita et heroicitas virtutum Servi Dei, vel martyrium eiusque causa paucis illustrentur, omnino et diligentissime distinctis iis, quae tanquam argumenta ad probationem afferuntur et iis quae adducuntur potius tanquam adminiculum et auxilium probationis;

3.° Synopsi Promotoris generalis fidei de qua in can. 2079;

4°. Animadversionibus Promotoris generalis fidei et responsionibus advocati;

5.° Votis quae a revisoribus super scriptis Servi Dei conscripta sunt.

Can. 2107. - Ne fiat gradus a congregatione antepraeparatoria ad praeparatoriam quando duae ex tribus adstantium partibus negativum protulerint suffragium, nisi, re a Cardinali Praefecto ad Romanum Pontificem delata, is aliter faciendum duxerit.

Can. 2108. - Congregatio praeparatoria habetur ab omnibus Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationis, assistentibus praelatis officialibus et consultoribus.

Can. 2109. - Positio pro congregatione praeparatoria confletur:

1.° Difficultatibus Promotoris generalis fidei;

2.° Difficultatibus quae a consultoribus in suis suffragiis propositae fuerint, si Promotori gerali non spernendae videantur;

3.° Responsionibus advocati;

4.° Documentis nuper repertis sive pro causa sive contra causam, cum summariis additionalibus sive ad impugnationem sive ad defensionem.

Can. 2110. - § 1. In congregatione praeparatoria Patres Cardinales, auditis consultoribus, decernunt num ad ulteriora procedi possit.

§ 2. Secretario et Promotori generali fidei, etiam si rogati non fuerint, licet semper interloqui quo magis et quaestio fiat perspicua et facta illustrentur.



CAN. 2111. - Post discussionem res Summo Pontifici deferatur a Cardinali Praefecto qui Sanctissimum certiorem faciat non solum de exitu discussionis, sed etiam de praecipuis rationibus quae hinc inde allatae sunt.

CAN. 2112. - Congregatio generalis habetur coram Sanctissimo, assistentibus Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationis, praelatis officialibus et consultoribus.

CAN. 2113. - Pro congregatione generali paratur novissima positio ad normam can. 2109, cui adiicienda est brevis relatio ex officio confecta eorum omnium quae in causa eousque acta sunt, nempe factum concordatum.

CAN. 2114. - In congregatione generali iudicium an constet de heroicitate virtutum Servi Dei vel de martyrio eiusque causa, ipsi Summo Pontifici reservatur; consultores vero, praelati officiales et Patres Cardinales votum tantum consultivum ferunt.

CAN. 2115. - § 1. Mandante Sanctissimo, exaretur a Secretario Sa-

crae Congregatione decretum, quo, nomine Summi Pontificis, authentice declaretur Servi Dei virtutes omnes in gradu heroico vel martyrium bene esse probata: quod decretum publicetur tempore et modo a Sanctissimo praescribendis.

§ 2. Publicato hoc decreto, Servus Dei nuncupari potest *venerabilis*; qui tamen titulus nullam publici cultus permissionem importat.

689. Inscriptio articuli et canonum coordinatio. — Meritum processus intrinsecum moderatur *Art. III*, qui propter hoc inscriptionem prae se fert: *De iudicio* quia decreto definitivo concludendum est, velut materia a) *super heroicitate*, quae actibus ostenditur « quibus homo circa materiam alicuius virtutis, et circumstantiis consideratis, valde arduam, propter Deum modo excellentiori communem operandi modum hominum superante, et simili modo operandi divino aliquam operationem exercet » [1] *virtutum in specie*, « non (sic) ut in quolibet Beatificando, et Canonizando opus sit, ut probetur existentia virtutum tum theologalium, tum cardinalium in gradu heroico per multiplices heroicos actus eiusdem generis ex unaquaque praedictarum virtutum procedentes; sed ut in omnibus et singulis Beatificandis et Canonizandis per actus multiplices heroicos probetur existentia virtutum theologalium, et praecipue Charitatis, in gradu heroico »... « Probatis autem his, necesse est, ut probetur virtutum quoque Cardinalium, seu Moralium existentia non semper per actus heroicos, sed quandoque per actus heroicos, quandoque per actus communes, restricta actuum heroicorum necessitate ad eas virtutes, in quibus Dei servus, dum viveret, iuxta suum statum et conditionem potuit se exercere ». [1].

« De virtute heroica tum in genere, tum in specie, atque de nonnullis circa has quaestionibus dilucide ac diffuse pertractat Bened. XIV in eius classico Opere citato, in Lib. III a cap. 21 et in seqq.[s]

In causis Confessorum tum Pontificum, tum non Pontificum, itemque Virginum, et Viduarum, de virtutibus quaestio praedicta instituitur, et in quibus dubium de virtutibus aequivalet dubio de martyrio, et causa martyrii in causis Martyrum. Propterea sic explicit praefata inscriptio « De iudicio... *vel super martyrio eiusque causa.*

Canonum ordo talis est. Praecedunt canones 2101-2104 generales respectu sequentium, et in illis decernitur successive tempus incipiendae disceptationis et haec distinguitur triplex, modus suffragium ferendi determinatur atque formula dubii disceptatio-

[1] Bened. XIV. Opus de Beat. et Canoniz. L. III, C. 21, n. 10, 11.

ni subiiciendi. Postea sequuntur can. 2105-2107 de congregatione praeparatoria et primo edicitur quibus constet personis, deinde ex quibus documentis confletur positio atque huius congregationis effectus in casu; quo ad dubium negative fuerit responsum. De congregatione praeparatoria sunt can. 2108, 2109 de huius constitutione ac praevia efformanda positione, quibus succedunt can. 2110 de modo procedendi et can. 2111 de relatione facienda Summo Pontifici. Denique congregationem generalem subsequuturam moderantur can. 2112-2115, et unus tractat de congregatione ipsa, can. 2113 de positione paranda, can. 2114 de modo procedendi, ac ultimus can. 2115 decretum considerat consequens eiusque iuridicum effectum.

690. Initium iudicii quoad tempus decernit *can. 2101. Disceptatio virtutum* perpendendo processum apostolicum ad modum controversiae de illarum heroicitate in Servo Dei *non ante quinquaginta annos* computandos *a morte Servi Dei* illius, ac proinde ad normam can. 34, § 3, 1°, 3°, *inchoanda est*, super quo praescripto nonnumquam dispensatio elargita est, ut vidimus in causa Stae. Theresiae ab Infante Iesu.

691. Triplex disceptatio in usu est, ac iubet faciendam *can. 2102. Tribus congregationibus*, seu coadunationibus personarum ad S. Congr. Rituum pertinentium, *disceptatur*, ponderando rationes pro et contra emergentes ex processu, *de Servi Dei*, cuius sit causa, si Confessor, Virgo, Poenitens, Vidua, *virtutum*, quae inter se connexa sunt praesertim ob charitatem, *heroicitate* necessaria omnino in illis beatificandis, qua eminenti sanctitate vitae praeditis usque ad mortem, *vel*, si Dei Servus pro fide mortem toleravit ab aliis inflictam, *de eius martyrio eiusque causa; scilicet*, quia sic appellantur a) *in antepraeparatoria*, quia duas praecedit alias, b) *praeparatoria*, quae est propria Sacrae Congregationis *et* ante solemniorem ac decisivam, quae fit in *generali*.

692. De congregatione qualibet normas edicit *can. 2103*. Membra sic enumerat § *1. Praelati* « honoris causa » (can. 110) *officiales* maiores huius sectionis S. Congregationis, videlicet: Secretarius, Protonotarius Apostolicus, Promotor generalis fidei, atque Sub-promotor, *et consultores* pro his causis apud eamdem S. Congregationem, *in qualibet* ex tribus §§ 1ae *congregatione suffragia*, idest: votum affirmativum vel negativum rationibus suffultum *scripto* redactum *proferunt* verbotenus, per ordinem iuxta consuetudinem hoc in loco confirmatam.

§ 2. *Postquam omnes Praelati* ut in § 1ª sive officiales sint, sive non, ad hanc Congregationem pertinentes, quia *et consulto-*

res suffragium suum ut supra *protulerint* a) *tum in congregatione antepraeparatoria* b) *tum in praeparatoria*, quia in generali nec « verbotenus » proferunt, nec quidquam loquuntur, a) *singuli* ex Praelatis et consultoribus *poterunt iterum* verbo *declarare* b) *antequam* a Card. Praeside *dimittatur congregatio* apponendo sessioni finem, c) *se a suffragio iam* sponte *lato recedere* fortassis ob auditas ex aliis rationes. Ergo haec declaratio recedendi constituet illius votum definitivum sic adnotandum a P. Secretario.

Porro addit § 3. *Conclusiones* in fine retentas vel adoptatas pro vel contra formulam propositam vel suspensive *singulorum suffragiorum*, quae rationibus etiam constant, a) *scripto mandentur* collectae quoad numerum *a Secretario* S. Congregationis, *et* b) *secretae serventur* respectu quorumcumque aliorum; *ipsa vero scripta suffragia*, etiamsi aliquis a proprio recesserit, *Promotori generali fidei tradantur*, nam rationes, quae moverunt consultorem, dum is domi scriptum redigeret, poterunt ei suggere obiectionem fortassis solidam, et ex iis omnibus suffragiis Animadversiones disponit, quae dicuntur Novae.

693. Formula Dubii disceptandi, quae in usu iam erat tempore Bened. XIV, dum officia tum Promotoris tum Secretarii hac in Congregatione exerceret, est, quam enunciat *can. 2104* pro diversitate Servorum Dei. Videlicet: *In causis confessorum*, nempe: virorum ac mulierum, qui supremum diem naturaliter obierunt, *discuti debet* in his tribus congregationibus *dubium* taxative his verbis redactum: *an constet de virtutibus* a) *theologalibus* habentibus Deum pro immediato obiecto *Fide*, *Spe*, *Caritate* iuxta duplices actus *tum in Deum tum in proximum* propter Deum diligendum, non solum verbo et lingua, sed opere et veritate, *necnon* b) *de cardinalibus* quatuor *Prudentia* quoad intellectum practicum, *Iustitia* seu efficaci voluntate reddendi unicuique quod suum est, *Temperantia* moderante partem animae concupiscibilem quoad praecipuas delectationes, *Fortitudine* regulante irascibilem in aggrediendo et sustinendo iuxta rationem ardua, et praesertim pericula mortis, c) *earumque* cardinalium *adnexis* qualitercumque, sed praecipue qua potentialibus, eo quod conveniunt materia cum virtute aliqua cardinali a cuius perfecta ratione deficiunt, a) *in gradu heroico*, prout declaratum est hoc sub inscriptione articuli huius b) *in casu* determinati Servi vel Ancillae Dei *et* c) *ad effectum de quo agitur*, prout nempe S. Sedes illas requirit exercitas, ut ad beatificationem gradus fiat; *in causis vero martyrum*, tam virorum, puerorum, mulierum ac puellarum,

« discuti debet dubium »: *an constet* a) *de martyrio*, idest de morte reapse tolerata, vel atrocibus tormentis toleratis, quae mortem inferrent, b) *eiusque* declarati « martyrii » *causa* seu motivo tum ex parte tyranni tum ex parte martyris, *et* c) *de signis* supernaturalibus, v. gr. splendore celesti inusitato, amenus frutex, qui consequenter in loco martyrii excreverit, etc. *seu miraculis* proprie dictis sanitatum, vel resurrectionis defuncti ad tactum reliquiarum vel intercessionem martyris patratis, *in casu et ad effectum de quo agitur* similiter ac declaratum est in prima dubii formula.

« Quae pertinent ad praxim Sedis Apostolicae, et Congregationis sacrorum rituum, cum quaestio instituitur de virtutibus et earum heroicitate » late ac solide prosequitur Bened. XIV in suo Opere Lib. III, Cap. 21, unde sub n. 14 libenter decerpimus summatim quae nobis valde utilia videntur. « Porro in eo, quod attinet ad praesentem inspectionem, ponderandum est primo, quaestionem institui non de virtute, aut virtutibus pure politicis, sed de virtutibus christianis cum... hae referantur vel actualiter, vel virtualiter in ipsum Deum ut in finem supernaturalem: secundo vim et naturam quaestionis non constitui in virtutibus christianis utcumque, sed in earum heroicitate: tertio, heroicitatem nihil aliud esse, quam operis excellentiam, quae ab ipsa operis arduitate ut plurimum causam habet et originem: quae enim communia sunt et ordinaria, non sunt excellentia, nec excitant admirationem... quarto, operis excellentiam, et eius arduitatem iudicandam esse habita ratione circumstantiarum;... quinto, in re et ad effectum, de quo agitur, paucos actus, licet heroicos, non sufficere; cum multiplex excellentia vitae requiratur in Canonizandis, uti loquuntur Canonistae in superioribus (ibidem) allegati, et cum de virtutibus constare dici non possit in gradu heroico, uti loquuntur Theologi, si multiplices non proponantur actus a Dei servis eliciti, qui qualitate heroica praediti sint:... sexto, multitudinem actuum, licet heroicorum, satis non esse, ut virtutes Beatificandi, et Canonizandi approbentur; satis enim non est, si ex pluribus heroicis actibus, ex. gr. virtutis fidei heroicus habitus fidei comprobetur, sed ulterius requiritur, ut ex aliis actibus iuxta modum infra explicandum habitus heroici aliarum virtutum theologalium, et cardinalium demonstrentur...: Quae tamen sic explicanda et intelligenda sunt », -- sicut relatum est ad inscriptionem articuli.

« Septimo, adnotare quoque fas est, virtutum excellentiam per actus, licet multiplices et heroicos, probatam dici non posse, si prompte, facile, et cum delectatione praedicti actus eliciti non

fuerint; veluti fuse demonstratur a Card. Lauraea in 3 lib. sent. disp. 32. art. 6. num. 77 »... Tandem, ut proposito de virtutibus heroicis dubio affirmando responderi possit, oportet, ut Heros semper fuerit idem; hoc est ut non defecerit a semita virtutis; uti docet Card. de Aguirre in tract. de virtutibus, et vitiis disp. 12. quaest. 2. sect. 2. n. 25... Quod late prosequuntur Pater Martinus de Esparza... ac Matthaeucius... quae quomodo intelligenda sint, alibi explicabitur, (ait Bened. XIV) quando videlicet tractabitur de peccatis; de quibus aliquando incidit quaestio in examine causarum Servorum Dei ».

Ad intelligentiam vero dubii in causis martyrum tractatus completus invenitur eodem in Opere Bened. XIV lib. III a cap. 11 usque ad 19. Ibi requirantur, nam summaria recensio valde difficilis, ni erit impossibilis.

694. De personis congregationis antipraeparatoriae ait *can. 2105. Congregatio antepraeparatoria*, seu conventus huiusmodi *habetur* ut praeside *coram Cardinali* huius causae *Ponente* in aedibus ipsius, qui tamen non fert suffragium; constans eo *una cum praelatis officialibus et consultoribus* omnibus, prout hi et illi manent declarati ad can. 2103, § 1.

695. Positio praevie paranda sic iubetur. *Can. 2106. Pro congregatione antipraeparatoria paretur* vi huius canonis *positio*, nempe: collectio scripturarum ad disceptationem rite habendam et typis impressa distribuenda membris ac Card. Praesidi illius, *quae* « positio » *constet* vi huius praecepti:

1° Summario ex processu apostolico *originali desumpto, quod ita conficiatur* ab Advocato et Procuratore Causae ex communi intelligentia, *ut testimonia* idest: depositiones testium *et documenta*, alterum probationum genus in processu, *integra*, nempe: verbotenus, nihilque omisso, *producantur* in eodem Summario. Meminerint tamen, de quibus ipsos admonet Dec. S. R. C. diei 12 Maii 1897, sub n. IV: « Ad evitare poi inutili spese, e ad agevolare lo studio delle Cause a chi deve dare il voto, gli Avvocati ed i Procuratori si asterranno da ogni superfluità nella composizione delle Scritture e dei Sommarii.

Ove molti testimoni ripetano le stesse cose, dopo referite le testimonianze più importanti, delle altre concordi si citerà nei Sommarii il luogo relativo dei processi ».

« Positio constet » *2° Advocati scriptura, qua* a) *ex dictis in Summario* ut n° 1° « in causis confessorum » *vita et heroicitas virtutum* probanda ut declarata fuit, *Servi Dei, vel* « in causis martyrum » *martyrium eiusque causa*, prout sunt ad effectum ne-

cessaria *paucis illustrentur*, ita videlicet « curando ut non iteret eadem testimonia, quae in Summario, in hoc elencho virtutum » [1], b) *omnino*, quia semper et per totum imo *et diligentissime* propter summam curam *distinctis* in contextu a) *iis, quae tanquam argumenta* propria « ex dictis » deducta *ad probationem* faciendam consultoribus, etc., *afferuntur et* b) *iis* assertis *quae adducuntur potius tanquam adminiculum et auxilium* corroborandae *probationis* vel elucidandae;

3° Synopsi « sobria et perspicua, quae Servi Dei vitam exhibeat », *Promotoris generalis fidei* qua auctoris, *de qua in can. 2079*, et hinc eadem prius praemissa sufficit;

4° Animadversionibus prioribus *Promotoris generalis fidei*, quae videantur obstare affirmativo responso dubii, *et responsionibus advocati* correlativis ad solutionem earum.

De his duobus numeris loquitur Dec. S. C. R. (26 Aug. 1913. CO. V, 438) his verbis: « VI. In Positionibus pro Congregationibus Ordinaria, Antipraeparatoria et Praeparatoria, (quod mente retineatur), animadversionibus Promotoris fidei a) praemittatur synopsis vitae Servi Dei cuius causa tractatur, breviter et lucide ex officio conscripta, b) desumpta tum ex testibus tum ex documentis ».

5° Votis quae a revisoribus super scriptis Servi Dei conscripta sunt vi can. 2068, nam illis edocent revisores « generali quadam ratione quaenam indole, quinam virtutum habitus vel defectus ex scriptis ppparcant propria fuisse Servi Dei ».

696. Transitus ad congregationem praeparatoriam regitur *can. 2107* sic decernente vetitum. *Ne fiat gradus a congregatione antepraeparatoria ad praeparatoriam* in casu tantummodo *quando duae ex tribus adstantium* congregationi praeparatoriae, computato consultore scriptum suffragium forsan mittente, *partibus negativum protulerint suffragium, nisi*, tali *re a Cardinali Praefecto ad Romanum Pontificem delata, is aliter faciendum duxerit* cum canonis exceptione.

697. Efformantes congregationem praeparatoriam designat *2108. Congregatio praeparatoria habetur ab omnibus*, qui invitantur et possunt ac velint interesse, *Patribus Cardinalibus* membris *Sacrae Congregationis* Rituum, *assistentibus* pariter *praelatis officialibus et consultoribus*, prout hi declarati fuerunt ad can. 2105 pro congregatione antipraeparatoria. His omnibus, qui invitandi ac interveniendi ius habent atque officium, distribuenda est op-

[1] Dec. S. C. R. 12 Maii 1.

portune positio sequens imo « et prioris Positionis duplex distribuendum exemplar Eminentissimis Patribus, qui sacris tuendis ritibus sunt praepositi (praeter Card. Ponentem). Danda etiam prior Positio novis, si qui sint, Consultoribus » [1].

698. Positio nova. — *Can. 2109. Positio*, idest: collectio scripturarum typis danda et sic distribuenda pro congregatione praeparatoria, *confletur* vi canonis:

1° *Difficultatibus* novis, quae industria *Promotoris generalis fidei* exaratae fuerint;

2° *Difficultatibus* solvendo affirmative dubio, a) *quae a* singulis *consultoribus in suis suffragiis* scriptis *propositae fuerunt* in congregatione antipraeparatoria, b) *si Promotori generali non spernendae videantur*, ac proinde iuxta ipsius selectionem;

3° *Responsionibus advocati* ad eas difficultates sub 1° et 2° relatas;

4° *Documentis nuper repertis*, quae proinde in Positione praecedenti locum non habuerunt, *sive pro causa* beatificationis militent *sive contra* eamdem *causam*, *cum summariis*, quae his documentis ut probationibus constent, *additionalibus* respectu Summarii primae Positionis, *sive ad impugnationem* virtutum seu martyrii, ut in dubio, *sive ad defensionem* logice ducant.

699. Celebratio congregat. praeparatoriae regitur *can. 2110. In congregatione praeparatoria*, quae habetur die et hora per intimationem designatis, *Patres Cardinales* praesentes, *auditis* singulis *consultoribus*, dum « suffragia ex scripto proferunt » coram illis, *decernunt* modo solito post discussionem forsan intermixtam *num ad ulteriora*, scilicet: tum congregationem generalem, tum quae sequuntur huius dubii definitivam solutionem, *procedi possit.*

§ 2 ius quoddam singulare attribuit in hac congregatione Cardinalium, *Secretario*, qui supponitur plenius informatus, *et Promotori generali fidei* ob eiusdem munus, *etiam si rogati non fuerint*, quia hoc a ceteris ob reverentiam expectandum est antequam loquantur, *licet semper* perdurante congregatione *interloqui* debitis cum modo et honore erga omnes, in hunc finem *quo magis* a) *et quaestio* in omnibus suis partibus et incidentibus *fiat perspicua* in utraque controversiae parte, *et* b) *facta* quaelibet proposita *illustrentur*, et sic cum plena cognitione dent Patres Cardinales proprium suffragium.

700. Actus post hanc congregationem edicitur *can. 2111. Post discussionem* iuxta can. praec. habitam *res Summo Pontifici de-*

[1] Codex pro Postulatoribus, pag. 193.

feratur pro decisione *a Cardinali Praefecto*, qui eidem praefuit congregationi, *qui* scilicet *Sanctissimum*, uti vocatur Curiae Romanae usu ipse Papa, *certiorem faciat* plena relatione *non solum* a) *de exitu discussionis* quoad Patrum Cardinalium definitiva responsa dubio, *sed etiam* b) *de praecipuis* tantum, brevitati consulens, *rationibus quae hinc inde* pro discrepantia votorum, vel etiam in eadem discussione pro causa et contra eam *allatae sunt* ab his, qui congregationi interfuerunt.

701. Congregatio generalis, ait *can. 2112*, *habetur* a) *coram Sanctissimo*, b) *assistentibus* b) *Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationis*, qui commorantes in Curia queant adesse, c) *praelatis officialibus et* d) *consultoribus*, qui fuerunt declarati ad can. 2103, § 1.

702. De novissima Positione statuit *can. 2113*. Ad eius faciliorem intelligentiam placet transcribere praxim servatam hucusque iuxta Codicem pro Postulatoribus in pag. 193. « Congregatione praeparatoria expleta, Postulator a Promotore petet tertias Animadversiones, quae dicuntur *Novissimae*.

Exaratis ab Advocato ad *Novissimas* Animadversiones refutandas *Novissimis* Responsionibus, antequam fiat Positio quae inscribitur *Novissima Positio super Virtutibus*, curabit Postulator ut Causae Procurator scribat *Factum Concordatum*, idest brevem relationem eorum omnium quae in Causa acta sunt, usque ad praesentis Dubii cum Fidei Promotore *concordati* propositionem, quae relatio Emo. Ponenti subscribenda defertur. Subscripta cum fuerit, typis imprimitur quin de revisione illa testimonium pariter imprimatur, et in Positione praemittitur Animadversionibus. *Factum concordatum* scribitur a Procuratore iuxta illud quod nuncupatur — *Ita reperitur* —; quod est scripta a Substituto Secretariae S. C. enumeratio eorum omnium quae in Causa gesta sunt, prouti *reperitus in Actis Secretariae*... Positio haec expenditur in Congregatione generali coram Summo Pontifice ».

En tenor canonis. *Pro congregatione generali*, quae fuit declarata in can. praec. *paratur novissima* respectu duarum praecedentium *positio ad normam can. 2109*, ita tamen ut « confletur: 1° Difficultatibus (novissimis) Promotoris generalis fidei; 2° Difficultatibus a consultoribus in suis suffragiis (congregationi praeparatoriae) propositae fuerint, si Promotori generali non spernendae videantur; 3° Responsionibus (novissimis) Advocati (ad utrasque); 4° Documentis (forsan) nuper repertis sive pro causa sive contra causam, cum summariis additionalibus sive ad impugnationem sive ad defensionem.

Cui « novissimae positioni », prosequitur praescriptum: *adiicienda est* ante Animadversiones, ut supra, *brevis relatio ex officio confecta* secundum praxim ex Codice pro Postulatoribus citatam, *eorum omnium quae in causa eousque acta sunt, nempe factum concordatum*, ut dicitur ex stylo Sacrae Congregationis. Sic habetur complexivus intuitus dubii solvendi, quod praecipuum est.

703. Sententia definitiva. — *Can 2114. In congregatione generali* ad normam can. 2112, *iudicium* decisivum de quaesito *an constet* iuxta allegata et probata apud S. Sedem a) *de heroicitae virtutum* requisita pro beatificatione *Servi Dei*, seu quas hic exercuit in vita sua, si confessor, *vel de martyrio eiusque causa* pro martyre hoc beatificando, *ipsi Summo Pontifici* personaliter *reservatur*, ac de facto statim non profertur; a) *consultores vero, praelati officiales* solo scripto *et* b) *Patres Cardinales* praesentes in generali congregatione legentes scriptum, omnes praedicti *votum* de illo quaesito *tantum consultivum ferunt* affirmativum vel negativum pro singulorum conscientia.

704. Iudicii promulgatio regitur praxi, quam confirmat *can. 2155, § 1. Mandante Sanctissimo*, ut palam fiat ipsius favorabile « iudicium » *exaretur* secundum propriam elucubrationem *a Secretario Sacrae Congregationis decretum* normis in usu, *quo*, a) *nomine Summi Pontificis*, nempe: ipsi tribuens verbis conclusionem, b) *authentice*, idest: auctoritate summae potestatis in Ecclesia c) *declaretur* d) *Servi Dei* nomine designati a) *virtutes omnes*, quia mentio fit in specie tum de theologalibus, tum de cardinalibus, et in genere de iisdem adnexis, *in gradu heroico*, quando ille est confessor, *vel* b) *martyrium bene esse* seu sufficienter *probata*: *quod decretum publicetur* ex usu coram Cardinalibus Praefecto ac Ponente causae et coram Praelatis officialibus Sacrae Congregationis, *tempore et modo a Sanctissimo praescribendis*, videlicet: nunc in Aula Palatii Vaticani coram Postulatione Causae et selectis fidelibus.

Effectum Decreti specialem refert § 2 congruens iuri praecedenti. *Publicato hoc Decreto, Servus Dei* confessor vel martyr *nuncupari* privatim ac publice, verbo et scripto, *potest*, seu addi proprio illius nomini titulus *venerabilis* iure; *qui tamen titulus nullam publici cultus permissionem importat.*

Sic enim legitur in Dec. S. C. Rituum (26 Aug. 1913. CO. V, 437). « Inhaerens autem (Pius PP. X) sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere. Permisit vero ut Servi Dei

tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio *Venerabilis* titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum indultae venerationis item argui vel praetendi possit. Praeterea consulens pietati fidelium, qui facile hisce in casibus sacrae occasione solemnitatis decipi possent, putantes fas esse ut beatum colere cum de cuius beatificatione iudicium adhuc apud. S. R. C. pendeat, solemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum decretum super heroicitate virtutum vel martyrio pariter prohibuit, qua tamen prohibitione impedire non intendit quominus in missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione ».

ART. IV. — *De iudicio super Servi Dei miraculis in specie.*

CAN. 2116. - § 1. Praeter virtutum heroicitatem aut martyrium, ad beatificationem Servi Dei requiruntur miracula eius intercessione patrata.

§ 2. Verum, si de martyre agatur et evidenter constet de martyrio et causa martyrii tum materialiter tum formaliter spectati, sed deficiant miracula, Sacrae Congregationis est decidere an signa in casu sufficiant et, iis deficientibus, an supplicandum sit Sanctissimo pro dispensatione a signis in casu.

CAN. 2117. - Ad beatificationem Servorum Dei requiruntur duo tantum miracula, si testes oculati in utroque processu tum informativo tum apostolico probationem virtutum confecerint, vel si testes, in processu apostolico excussi, fuerint saltem ex auditu a videntibus ; tria, si testes fuerint oculati in processu informativo et de auditu auditus in processu apostolico; quatuor, si in utroque processu de virtutibus constiterit per solos testes traditionis et per documenta.

CAN. 2118. - § 1. Ad probationem miraculorum duo periti ex officio inducendi sunt initio discussionis; et si ambo fuerint concordes in reiiciendo miraculo, ad ulteriora ne procedatur.

§ 2. Cum saepissime in discussione miraculorum agatur de sanatione ab aliquo morbo diiudicanda, periti esse debent in re medici vel chirurgica celebriores, imo, cum fieri potest, ii eligantur, qua in morbis, de quibus in proposito miraculo agitur, dignoscendis et curandis singulari peritia sint praediti.

CAN. 2119. - Vota peritorum, breviter sed dilucide conscripta rationibusque fulta, haec duo contineant, scilicet :

1.° Utrum, si de sanatione agatur, is qui eam consecutus dicitur, vere sanus haberi debeat ;

2.° Utrum factum, tanquam miraculum propositum, per naturae leges explicari possit, necne.

CAN. 2120. - Miracula discutienda sunt in tribus congregationibus eodem plane modo qui supra pro virtutum heroicitate statutus est ; discussioni vero in una eademque congregatione, excepta generali coram Sanctissimo, nunquam plura quam duo miracula subiiciantur.

CAN. 2121. - Positio pro congregatione antepraeparatoria constare debet :

1.° Informatione ab advocato conscripta ;

2.° Summario depositionum testium ;

3.° Duobus votis quae circa unumquodque miraculum pro veritate a peritis conscripta fuerint ;

4.° Obiectionibus Promotoris generalis fidei ;

5.° Responsionibus advocati.

Can. 2122. - § 1. Pro congregatione praeparatoria positio confletur quemadmodum in can. 2109 statutum est, addito voto peritorum ad normam § 2.

§ 2. Si in congregatione antepraeparatoria duo periti fuerint concordes in affirmando miraculo, tunc unus tantum pro congregatione praeparatoria designetur peritus; si unus tantum peritus pro miraculo steterit, tunc duo novi periti ex officio nominentur.

§ 3. Patribus Cardinalibus eiusdem Sacrae Congregationis semper ius esto plures, quam praescripti sunt, peritos designare, si hoc necessarium in casu iudicaverint.

§ 4. Licet tamen causae advocato auxilium adhibere alicuius periti in suis responsionibus concinnandis, excluso voto, uti aiunt, *ad opportunitatem*.

Can. 2123. - Pro congregatione generali serventur praescripta can. 2113, 2114.

Can. 2124. - § 1. Post decretum approbationis miraculorum nova fieri debet coram Summo Pontifice disceptatio super dubio: *An tuto procedi possit ad beatificationem Servi Dei.*

§ 2. De hac, audita consultorum et Patrum Cardinalium sententia, Pontifex decernit, qui, cum voluerit, decretum hac de re conficiendum et promulgandum iubet.

Art. IV De iudicio super Servi Dei miraculis in specie
- necessariis
  - quoad diversas causas — Can. 2116
  - certo diverso numero — » 2117
- post vota peritorum
  - qualificatorum — » 2118
  - quae determinantur — » 2119
- per congregationes
  - antipraeparatoriam praevia positione — » 2121
  - praeparatoriam cum speciali facultate — » 2122
  - generalem — » 2123
- cui consequens erit disceptatio super *tuto* — » 2124

705. Inscriptio articuli et canonum ordo. — Duo sunt intendenda ad rectam beatificationem Servorum Dei. Ut nempe, quantum humana patitur deficiencia, certitudo consequatur undequaque firma de beatitudine iam possessa per Servorum Dei, illa in civitate quo nihil maculatum ingredi permissum est. Ad hoc ordinatur iudicium articuli praecedentis, sive respiciat heroicitatem virtutum usque ad mortem, nam fidelis est Deus, qui beatitudinem actualem promisit his, qui esuriunt ac sitiunt iustitiam, et quoad martyrium protestatus est Jesus, « maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis », quae charitas certe operit multitudinem peccatorum, ita ut, teste D. Thoma, nihil remaneat martyri purgandum, quod cum retardet ab ingressu in caelum. Illud primo, sed qua certus intercessor apud Deum, et exemplar proponitur authentice ab Ecclesia, quicumque beatificatione donatur. Ut ergo evanescat omnis qualiscumque timor de

iudicii prioris deficientia, vel melius ut illa certitudo corroboretur, et Dei providentia futura circa Servi Dei intercessionem valde profuturam fidelibus se palam prodat, in usum Ecclesiae inductum est expectare divinum testimonium per vera miracula.

Praecedenti ergo iudicio, aliud subsequitur, quod *Art. IV* moderatur inscriptus *De iudicio* auctoritate ecclesiastica promendo, praevia diligentissima discussione, *super Servi Dei*, cuius beatificatio intenditur consequi, *miraculis* proprie dictis, seu factis, quae superent omnes naturae vires, ac proinde solum Deum habent auctorem, sive attenta ipsius facti natura, v. gr. mortui resurrectio, sive consideratis facti circumstantiis, prout sunt sanationes; propter quod, ut innuantur singularia facta perpendenda est additum *in specie*.

Canones hoc ordine disponuntur. Primo iuridicam necessitatem miraculorum ad beatificationem statuit can. 2116, quoad numerum vero eorum can. 2117. De peritis ad disquisitionem miraculorum prudentem agunt can. 2118, 2119. Sequuntur alii tres canones circa congregationes tres supra dictas, quae ad hoc iudicium definitive promendum habentur et ultimus can. 2121 de ultimo post hoc dubio solvendo ante beatificationem tractat.

706. Miraculorum iuridica necessitas, statuitur *can. 2116*. Bened. XIV in Dec.[s] generalibus datis die 23 Aprilis 1741 inquit: « In Causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, servetur qui iam pridem invaluit, mos, ut probatis ex Testibus de visu Virtutibus, ex duobus deinde Miraculis ad Beatificationem procedatur ». Non aliter constat ex § *1. Praeter virtutum heroicitatem aut martyrium* illius locum habens in iudicio praecedenti, *ad beatificationem* « per viam non Cultus » iuxta inscriptionem huius *Tituli, Servi Dei* cuiuslibet Confessoris, aut martyris, *requiruntur* ex iure praecedenti, quod confirmat hic canon, *miracula* vera, quae « pluralis locutio, duorum (saltem) numero est contenta » iuxta reg. 40 iuris in 6°, *eius* beatificandi *intercessione*, quae agnoscitur ex eiusdem directa invocatione vel interventu, *patrata* quidem a Deo.

§ 2 continet exceptionem, propterea exorditur: *Verum, si* a) *de martyre* « Servo Dei » *agatur* causa, *et* b) *evidenter*, quocumque dubio fundato excluso, *constet* in iudicio praecedente *de martyrio* nempe: de voluntaria mortis perpessione, sive tolerantia propter fidem Christi, vel alium virtutis actum in Deum relatum *et causa*. Martyrem enim non facit poena, sed causa *martyrii*, quaenam videlicet fuerit in Tyranno, ut mortem infligeret, et quaenam in Martyre, ut mortem obiret, ut haec fuerunt ibi declarata, sed huius

a) *tum materialiter*, quoad factum mortis violenter inflictae vel laetalium cruciatuum, morte sequuta, b) *tum formaliter* quoad voluntatem sive repugnantem religioni in Tyranno ad illam vel illos procedente, sive obsequentem Deo in his fortiter perferendis cruciatibus ac morte, *spectati*, seu considerati, *sed deficiant miracula*, « martyris intercessione patrata, ut in § 1° 1ª fuit declaratum, *Sacrae Congregationis est* usus ac proprium *decidere an* a) velut supplementum et loco illorum *signa* supernaturalia, quibus Deus complacentiam suam de testimonio sanguinis Servi eius manifeste ostendit, *in casu* determinato *sufficiant* iure consuetudinario, *et* b) *iis* quoque « signis » *deficientibus* in hac martyris causa, *an supplicandum sit Sanctissimo* Domino Papa, *pro dispensatione* concedenda *a signis* alias requisitis *in casu* praesenti propter circumstantias vel motiva diversa.

707. Quot numero miracula exigat ius, enunciat et confirmat *can. 2117*. Porro Bened. XIV agens de causis precedentibus per viam non Cultus in Dec. « Cum ex relatione » [1] ait: « Nos ad amputandam quamcumque controversiam (circa testes diversos, qui recepti fuerint in processibus ordinario, informativo et apostolico) decernimus primo, non posse in linea probationis coniungi Testes de auditu auditus in Processu Apostolico examinatos, cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario, praedictamque coniunctionem in linea probationis competere tantum Testibus de auditu a videntibus, qui sint in Processu Apostolico examinati, dummodo caetera (alia non desint, quae requiruntur pro coniunctione Processus Ordinarii cum Processu Apostolico, et alia etiam concurrant a Congregatione Rituum statuta, ut rite, et recte admittantur Testes de auditu) [2] non desint requisita, et ex coniunctione Testium de visu examinatis in Processu Ordinario cum Testibus de auditu a videntibus, examinatis in Processu Apostolico, propositis super Virtutibus, aut Martyrio responderi posse, *Constare de Virtutibus etc.* aut, *Constare de Martyrio*, et in progressu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione sufficere debere duo Miracula, quae ante Beatificationem patrata sint, et approbata, et pro obtinenda Canonizatione sufficere debere alia duo Miracula, post Beatificationem sequuta et approbata.

Decernimus secundo loco, quod, si in Processu Ordinario Testes extent de visu, et in Processu Apostolico non reperiantur

[1] 17 Iul. 1754. - Codex pro Postulatoribus, pag. 277. — [2] De his videsis in Opere de Canonizatione Sanctorum. Lib. II. Cap. 4 et 5.

nisi Testes de auditu auditus, Testes, hi de auditu auditus, in Processu Apostolico excepti, vim et robur adminiculi habere valeant modo quidem levis, modo gravis, prout eorum numerus, et qualitas exposcit, ita ut, exclusa a Postulatoribus quacumque fraudis, aut negligentiae suspicione, ex qua factum sit, ut soli Testes de auditu auditus in Processu Apostolico fuerint examinati, si, attentis numero, et qualitate Testium de visu in Processu Ordinario examinatorum habitaque consideratione adminiculi non levis, desumpti ex Testibus de auditu auditus in Processu Apostolico examinatis, res ad eum statum redacta sit, ut faciat fidem, et auctoritatem viro prudenti de re gravi iudicaturo, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi possit, *ita constare de Virtutibus*, aut *ita constare de Martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, hoc est ad discussionem Miraculorum*, nec obtineri posse Decretum Beatificationis, nisi tria Miracula praecesserint, quae fuerint approbata, neque demum Canonizationis Decreto locum esse debere, nisi duo alia post Beatificationem Miracula superveniant, quae pariter fuerint approbata ».

Denique in Dec.° S. C. R. sub eodem Pontifice approbante illud lato die 23 Aprilis 1741 « haec verba in regulam generalem depromimus. « In Causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, servetur qui iam pridem invaluit, mos, ut probatis ex Testibus de visu Virtutibus, ex duobus deinde Miraculis ad Beatificationem procedatur. At ubi Virtutes, aut Martyrum ex Testibus de auditu, ut supra (in eodem Decreto), fuerint probatae, non duo, ut hactenus, sed quatuor omnino ad Beatificationem, ac deinde duo alia post illam facta, ut moris est, ad eorum Canonizationem, ex pariter de visu, debeant approbari » [1].

Hoc Decretum transcribit qua normam praescribens *can. 2117* sic incipiens: *Ad beatificationem* quorumlibet *Servorum Dei* in causis procedentibus per viam non cultus ad normam inscriptionis huius Tituli, *requiruntur* vi huius canonis ex more, qui antiquius invaluit a) *duo* et quae *tantum* sufficiunt *miracula*, dummodo approbentur a) *si testes oculati*, qui nempe referant actus Servi Dei heroicos ab eisdem visos, *in utroque processu tum informativo*, quod est « super fama sanctitatis, virtutum in genere vel martyrii », sicut in can. 2038, § 2, 2° fuit declaratum, *tum apostolico* relativo, quod est « super virtutibus... in specie vel super martyrio eiusdemque causa » ut in can. 2087, § 1, explicatum fuit, *probationem* sufficientem *virtutum confecerint*, cui aequipollet altera de marty-

[1] Codex pro Postulatoribus, pag. 276.

rio eiusdemque causa pro martyris causa, b) *vel si testes, in processu apostolico* ut supra *excussi, fuerint saltem* quod innuit testes oculatos in Processu Ordinario *ex auditu a videntibus*, sicuti Bened. XIV decrevit et explicavit in relato Dec.° « Cum ex relatione », ubi incipit: « decernimus primo »; « requiruntur *tria* (saltem) miracula », *si testes fuerint oculati in processu informativo* supra dicto *et de auditu auditus*, qui nempe sciverunt ex relatione eorum, qui audiverunt a videntibus, *in processu apostolico* quemadmodum exposuit Bened. XIV in Dec.° « Cum ex relatione » ab illo loco: « Decernimus secundo loco »; ac denique concorditer ad alterum Benedictinum Dec. citatum prosequitur canon: « requiruntur *quatuor* miracula » *si in utroque processu* supra expresso atque explicato *de virtutibus*, ut ibidem, *constiterit per solos testes traditionis et per documenta* illos actus virtutum in gradu heroico vel martyrium eiusque causam testificantes et historice referentia, sicut in tali Decreto exponitur simul ac in Opere « De Canonizatione Sanctorum » ibidem citato.

708. Periti necessarii eorumque qualitates in hoc iudicio peculiares sunt praescripti *can. 2118*. Etenim § *1* decernit. *Ad probationem miraculorum*, non qua factorum, sed qua talium superantium vires totius naturae, *duo periti* iussu canonis in hoc S. Congregationis iudicio *ex officio inducendi sunt* secundum Dec. generalia Innoc. XI [1] sub n. « Decimo quarto », et quidem *initio discussionis* habendae super eorum quoque peritias. Sic enim scriptum est ibidem: « Cum etiam observatum fuerit, saepe Postulares dare scripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, et ex alia parte non fuerit solitum responderi per Peritos eiusdem professionis, ideo videtur necessarium ad hoc, ut respondeatur secundum artem, quod Eminentissimus Ponens deputet ex officio, secreto, ac praevio iuramento alium Medicum, et Chirurgum celebriorem, qui respondeat pro veritate ad effectum videndi, an asserta miracula excedant vires naturae ».

Iuxta ergo eorum peritias subdit eadem paragraphus iuridicam dispositionem: *et si ambo fuerint*, scorsum data scripto duorum peritia ad normam can. 2031, 4°, *concordes in reiiciendo* concludentes absque haesitatione, *miraculo* qua tali, *ad ulteriora* iudicii quoad huiusmodi assertum miraculum *ne procedatur*.

Qualitates peritorum quaerendas statuit § *2*. *Cum saepissime*, ut patet experientia, *in discussione miraculorum* propo-

[1] 15 Oct. 1678. Codex pro Postulatoribus, pag. 273.

sitorum pro Beatificatione vel Canonizatione Servi Dei, *agatur de sanatione* obtenta per illius intercessionem *ab aliquo morbo*, alias curando medicinalibus mediis vel opere incisionis aut amputationis *diiudicanda*, quod evenerit sine huius vel illarum ope, *periti* deputandi *esse debent* ad hoc iudicium certo promendum iuxta artis regulas, et praescripto canonis, *in re medica vel chirurgica* pro diversitate morbi *celebriores* propter scientiam et experientiam, *imo*, *cum fieri potest* ex circumstantiis casus vel temporis, *ii* ex praecepto canonis *eligantur*, *qui in morbis* forsan pluribus *de quibus* sanatis *in proposito miraculo agitur*, *dignoscendis* secure propter symptoma vel signa, quae concurrunt in infirmo *et curandis* per selectionem remedii praescripti *singulari* inter doctos peritos *peritia sint praediti* per curationes huiusmodi patefacta.

709. De ipsorum votis tenenda sunt, quae *can. 2119* iubet. *Vota peritorum* quorumlibet sub hoc art. idest: eorum peritiae expositiones, a) *breviter sed* b) *dilucide* ratione ordinis et claritatis phrasium *conscripta* c) *rationibusque* quoad conclusiones sequentes *fulta*, *haec duo contineant* ad quae ordinantur diiudicanda, *scilicet*: responsiones ad quaesita:

1° *Utrum*, *si de sanatione agatur*, secundum can. 2118, § 2, *is qui* prius infirmus *eam consecutus* in casu *dicitur*, *vere sanus haberi debeat*, ad quod diiudicandum visitari posset sanatus;

2° *Utrum factum* singulare, *tamquam miraculum propositum*, *per naturae leges* prout evenit *explicari possit*, *necne*, ubicumque hae leges considerentur, sive in medicinis adhibitis, sive in magnetismo aut hypnosi, sive autosuggestione ut dicunt, sive aliis praxibus, quae in casu fuerint positae vel potuerunt adhiberi.

710. Distinctio congregationum ad hanc discussionem necessaria dicitur in *can. 2120. Miracula* « duo, tria, quatuor » ad normam can. 2117 *discutienda sunt* singula *in tribus congregationibus* antepraeparatoria, praeparatoria et generali *eodem plane modo* quoad membra uniuscuiusque congregationis, quoad modum dandi suffragium et discutiendi ac decernendi, eadem facultate concessa, tum singulis consultoribus in can. 2103, § 2, tum « Secretario et Promotori generali fidei » sub § 2 canonis 2110, *qui supra* in art. praec. *pro virtutum heroicitate* « in specie » iuxta inscriptionem *statutus est* per diversos canones, ita ut eorum praescripta vi huius extendantur ad hunc articulum; subditurque una specialis norma: *discussioni vero in una* qualibet ex tribus *eademque* propter sessionem *congregatione*, *excepta generali coram Sanctissimo*, non multiplicanda proinde ratione

eiusdem Causae, *nunquam*, sive tria sive quatuor miracula requirantur, *plura quam duo miracula* simul *subiiciantur*, bene vero poterit subiici unum ex duobus.

« Tamen Postulator rogare potest Summum Pontificem, ut in una eadem congregatione discutiantur plura quam duo miracula ab eodem Servo Dei patrata » [1].

711. Positio pro congregatione antepraeparatoria iam declarata ad can. 2106, ut decernit *can. 2121, constare debet*, qua scripturis praelo subiciendis ac postea distribuendis, ut explicatum est in art.[1] praec.[s] can. 2106:

1° *Informatione*, qua paucis illustrantur miracula, animadvertendo circumstantias in processu probatas ex quibus demonstretur, factum evenisse cum exclusione virium naturae, quae in simili facto queant influere et confirmando hoc ipsum conclusionibus peritorum, *ab advocato causae* huius Servi Dei *conscripta;*

2° *Summario depositionum testium* pro cuius confectione observandae sunt normae Decreti sub die 12 Maii 1897, supra transcriptae ad can. 2106. Codex pro Postulatoribus pag. 197 haec habet utilia pro praxi. « A Causae Advocato conficitur Summarium constans ex *Dictis Testium*, sic enim in hoc Summario appellantur testificationes. Si haec *Dicta* e processu particulari fuerint desumpta, Summario adiiciendum est Decretum de adprobata Processus validitate. Si particularis Processus conditus minime fuerit, advertat Postulator miraculum probari posse per testes non modo Apostolicae, sed etiam Ordinariae inquisitionis, idest Processus Informativi, dummodo tamen Processus iste Ordinarius validus a S. C. habitus fuerit, et dummodo testes oculares, etsi diversi, de eodem miraculo testati fuerint in Ordinario et in Apostolico ».

3° *Duobus votis* « peritorum » *quae circa unumquodque miraculum pro veritate* circa factorum supernaturalem naturam *a peritis* designatis per Card. Ponentem *conscripta fuerint*, quae ceteroquin illam concludant. — « Si saltem unus ex iis fuerit favorabilis, tunc Advocatus Informationem concinnat, et designat lemma, quod ex ipsis Peritorum votis deducit » [2].

4° *Obiectionibus Promotoris generalis fidei*, quas hic deducit adversus miracula ex dictis Testium, factorum circumstantiis et Peritorum votis;

5° *Responsionibus Advocati* pro illarum solutione, omissa transcriptione obiectionum in extenso.

[1] Codex pro Postulatoribus, pag. 199. — [2] *Ibid.* pag. 197.

712. Pro congregatione praeparatoria, quae « habetur ab omnibus Patribus Cardinalibus Sacrae Congregationis, assistentibus praelatis officialibus et consultoribus », uti declaratum est in can. 2108, iuxta praescriptum praesentis *can. 2122* in § *1 positio* praevie colligenda, ac typis impressa est distribuenda illis omnibus, *confletur* vi huius canonis *quemadmodum in can. 2109 statutum est* quoad diversas partes huic miraculorum materiae aptandas, videlicet:

« 1° Difficultatibus » novis « Promotoris generalis fidei », quas adinvenerit adversus miracula proposita;

« 2° Difficultatibus quae a consultoribus in suis suffragiis » congregationis antepraeparatoriae « propositae fuerint, si Promotori generali non spernendae videantur »;

« 3° Responsionibus Advocati » ad utrasque difficultates eliminandas,

« 4° Documentis nuper repertis sive pro miraculis sive contra miracula, cum summariis additionalibus sive ad impugnationem sive ad defensionem ».

Haec omnia iam ibi declarata fuerunt; sed canon praesens primam paragraphum sic claudit: *addito* 5° *voto peritorum* unius vel duorum *ad normam* § 2, exquirendo iuxta explicationem can. 2118, 2119.

§ 2 hanc statuit regulam. *Si in congregatione antepraeparatoria duo periti* « ex officio inducendi » vi can. 2118, *fuerint concordes* conclusione non « in reiiciendo miraculo », pro qua hypothesi data est ibi norma; sed *in affirmando* quoad exclusionem virium naturae *miraculo*, a) *tunc unus tantum pro congregatione praeparatoria*, ut eius peritia Positioni inseratur, *designetur* ex officio *peritus* novus a Card. Praefecto Sacrae Congregationis; *si unus tantum peritus* ex duobus illis *pro miraculo* qua tali *steterit* in scripta peritia, *tunc* b) *duo novi periti* ad normam can. 2118 *ex officio nominentur* ut supra de « uno » dictum est.

Imo adiungit § 3. *Patribus Cardinalibus eiusdem Sacrae Congregationis* Rituum de miraculis simul discutientibus *semper* idest: quacumque in hypothesi ex dictis vel alia excogitanda, *ius esto* vi huius canonis *plures*, *quam praescripti sunt* in § 2, non in minori numero, *peritos* ad normam can. 2118 *designare* communi voto vel per Card. Praefectum, *si hoc* fieri *necessarium* ob diversa motiva, non solum utile, *in casu* singularis miraculi *iudicaverint* maioritate praesentium in congregatione.

§ *1. Licet tamen* veluti concessio canonis *causae* uniuscuiusque

advocato rite designato *auxilium adhibere alicuius* pro suo arbitrio delecti *periti* in re medica vel chirurgica et singularis, non plurium, in hunc scopum *in suis responsionibus* tum ad congregationem antepraeparatoriam, tum ante congregationem praeparatoriam aut generalem, *concinnandis*, prout tenetur, *excluso voto* formaliter seu expresse promendo illius, seu *uti aiunt* curiales, *ad opportunitatem* captandam.

713. Pro congregatione generali, quae « habetur coram Sanctissimo » (can. 2112), *can. 2123* statuit: *serventur* etiam quoad miracula examinanda et approbanda definitive hinc extensa *praescripta can. 2113, 2114*, quae data fuerunt circa definitivam « de virtutibus aut de martyrio » discussionem ac sententiam. Liceat adnotare solummodo, quod in Positione novissima erunt addenda « peritorum vota, si forte eorum iudicium fuerit in congregatione praeparatoria a Patribus Cardinalibus expostulatum. Addatur quoque *factum concordatum*, nempe relatio eorum omnium, quae acta in Causa sunt a decreto edito super virtutibus usque ad hanc generalem congregationem » [1].

714. De Dubio super Tuto. — *Can. 2124* refert confirmans praxim servatam pro fine imponendo his causis. § *1. Post decretum approbationis miraculorum*, quod hic supponitur, « mandante Sanctissimo exaratum esse, quo, nomine Summi Pontificis, authentice declaretur (de Servi Dei tot miraculis constare in casu et ad effectum de quo agitur): quod decretum publicetur tempore et modo a Sanctissimo praescribendis » (can. 2115, § 1), *nova*, idest: altera iisdem constans membris, *fieri debet* vi huius canonis *coram Summo Pontifice disceptatio super dubio* sic redacto: *An tuto*, seu secure omni ex parte, *procedi possit ad beatificationem Servi Dei*, scilicet: ad Breve, quo Beatus definiatur, redigendum authentice ac sollemniter in Basilica Vaticana iuxta ordinationes vigentes promulgandum.

[2] « Iudicium hoc brevissime expeditur... Advocatus supplicem scribit libellum super Dubio: An stante Virtutum et (duorum, aut trium, aut quatuor) Miraculorum adprobatione, Tuto procedi possit ad solemnem V. S. D. Beatificationem? vel alio simili pro Martyre. Summarium adiicit constans ex Decretis quibus virtutes et miracula adprobata sunt. Fidei Promotor suam scribit super eodem Dubio sententiam, et ex supplici libello, Summario, Promotoris sententia, fit positio quae inscribitur: *Positio super Dubio an Tuto procedi possit ad Beatificationem*,

[1] Codex pro Postulatoribus, pag. 198. — [2] Ibidem, pag. 199.

quae iisdem et eodem modo distribuitur ac Positio novissima pro congregatione generali.

§ 2. *De hac* re seu quaestione, *audita* a) *consultorum* in scriptis *et* b) *Patrum Cardinalium* etiam in scriptis, sicut in aliis congregationibus generalibus *sententia*, *Pontifex decernit* postea ob reservatum sibi iudicium, *qui*, *cum voluerit*, *decretum hac de re* a Secretario S. Congregationis Rituum a) *conficiendum et* b) *promulgandum* more solito *iubet.*

TITULUS XXV.

De processu beatificationis Servorum Dei per viam cultus seu casus excepti.

CAN. 2125. - § 1. Pro Servis Dei, qui post pontificatum Alexandri III et ante tempus a constitutione Urbaniana praefixum ex tolerantia cultum habuerunt, peti potest positiva approbatio Romani Pontificis.

§ 2. Ad hoc autem requiritur processus ad normam canonum qui sequuntur.

CAN. 2126. - Ordinarius competens ad hunc processum instruendum est Ordinarius loci ubi cultus praestatur vel documenta cultus reperiuntur, salvo iure praeventionis si istiusmodi Ordinarii plures sint.

CAN. 2127. - Ad preces postulatoris Ordinarius debet:

1.° Scripta Servi Dei perquirere;

2.° Processum instruere super fama sanctitatis vitae, virtutum vel martyrii et miraculorum, quo respondeatur quaestionibus: *an in loco sit constans et communis fama et persuasio de sancta Servi Dei in terris conversatione vel de eius martyrio et martyrii causa necnon de miraculis ad eius intercessionem patratis; an ibidem de praesenti vigeat ipsius Servi Dei cultus et quibus obsequiis Servus Dei honoretur.*

CAN. 2128. - His omnibus ad Sacram Congregationem transmissis ad normam can. 2061-2063, dubium: *An signanda sit commissio introductionis causae* in congregatione ordinaria discussioni Patrum Cardinalium subiicitur, referente Cardinali Ponente.

CAN. 2129. - Signata commissione, expediantur litterae remissoriales ad viros ab ipsa Sacra Congregatione designatos, ut ad tramitem iuris processus apostolicus instruatur super casu excepto et sententia a iudice delegato feratur.

CAN. 2130. - Ex processu probari debet tum cultus initium tum non interrupta eius continuatio usque ad sententiam delegati iudicis.

CAN. 2131. - Processu ad Sacram Congregationem transmisso et aperto parataque a causae advocato positione cum animadversionibus Promotoris generalis fidei et responsionibus ipsius patroni, in ordinaria congregatione proponatur dubium: *An confirmanda sit sententia iudicis delegati vel an ita constet de casu excepto ut ad ulteriora procedi possit.*

CAN. 2132. - Confirmatio sententiae iudicis delegati ex parte Romani Pontificis eam solam vim habet, ut probet factum immemorabilis cultus Servo Dei praestiti et usque ad sententiam perseverantis.

CAN. 2133. - Si sententia super

casu excepto favorabilis fuerit et a Summo Pontifice approbata, expediantur litterae remissoriales ad conficiendum pracessum super virtutibus vel super martyrio eiusque causa secundum diversitatem causarum; et serventur praescripta can. 2087-2115.

CAN. 2134. - Edito decreto de facto cultus immemorabilis et de heroicitate virtutum vel de martyrio, Servus Dei habendus est aequipollenter beatificatus, si eiusdem cultus confirmatio per decretum Romani Pontificis accesserit.

CAN. 2135. - Servis Dei aequipollenter beatificatis iidem concedi possunt actus publici cultus, quibus honorari consueverunt formaliter beatificati.

Titulus XXV De processu beatificationis Servorum Dei per viam cultus seu casus excepti

- pro quibus viget — Can. 2125
- Ordinarius
  - competens — » 2126
  - quid facere debet — » 2127
- commissio introductionis causae
  - est necessaria — » 2128
  - cum litteris
    - remissorialibus — » 2129
    - ad quid — » 2130
- cum sententia confirmanda
  - a S. Sede — » 2131
  - cum quo effectu — » 2132
  - subsequentibus remissorialibus — » 2133
- obtinente
  - beatificationem aequipollentem — » 2134
  - concessionem actuum publici cultus — » 2135

715. Inscriptio Tituli. — Cum duae sint viae in his causis sequendis, et in Titulo praecedenti per extensum fuit via non cultus exposita, restat considerare alteram, quae brevior cum sit solumque actus quosdam praecipiat, posterius referenda fuit. Hinc brevior legislatio erit, innuens canones iam declaratos. Secundum has considerationes redactus est *Titulus XXV* inscriptus *De processu* « iudicialis ordinis » multiplici observando in causis *beatificationis Servorum Dei*, tum confessorum, tum martyrum, *per viam cultus* iam declaratam ad can. 2000, nam, ut ait Leo XII [1]: « Ad tollendos ac eliminandos abusus qui irrepserant, in cultus exhibitione nonnullis Dei Servis, qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati, sa. me. Urb. PP. VIII Generalibus Decretis editis anno 1625, confirmatisque

[1] 20 Dec. 1826. Codex pro Postulatoribus, pag. 281.

die 5 Julii 1634, providis latis legibus certum praescripsit ordinem in his agendis Causis in posterum omnino constanterque servandum ». Qui ordo successiva legislatione perfectus manet in Titulo praecedenti.

« Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit (Urb. VIII) se nolle ullum praeiudicium inferre iis (Servis Dei) aut per communem Ecclesiae consensum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, ac tolerantia Sedis Apostolicae vel Ordinarii coluntur ». Hinc recte addit inscriptio: *seu casus excepti* ab illa lege generali.

« Verum experientia compertum est (inquit s. m. Pius PP. X) [1] in causis huius generis non modo expedire, sed plane necesse esse, ut severitas maxime iudicialis ordinis sancte retineatur et integre: ex quo enim mitigatam formam is ordo suscepit, non satis, iudicio quidem probatorum virorum, illae adhibitae sunt cautiones, quas ad confirmationem cultus beatificationi aequalem, ipsa rei gravitas monet adhiberi. Neque enim eodem habenda est loco simplex conservatio antiqui et immemorabilis cultus, cuius iudicium pleno iure ad Ordinarios pertinet, atque confirmatio, quae a Sede Apostolica petitur: quaeque cum beatificationem exaequet, seu, ut mos fuit maioribus loqui, beatificatio sit aequipollens, Servum Dei, cuius cultus confirmatus fuerit, in insigniori quodam honoris gradu ante fidelium oculos constituit, qui supremo canonizationis honori proximus est ».

Et infra: « Quatenus vero ipsorum Dei Servorum cultus confirmatio vel approbatio ab apostolica Sede petatur, haec statuit inviolate servanda », et prout in huius Tituli canones translata sunt.

716. Huius canones hunc ordinem, qui alterius tituli ordine liquet, habent. Can. 2125 circumscribit causas huius tituli proprias et normam genericam exprimit procedendi. Cuius sit competentia, quidque proprio iure facere debeat ostendunt can. 2126, 2127. De signatura commissionis ac subsequentibus remissorialibus litteris normas constituunt can. 2128, 2129. Obiectum iudicii perficiendi vi harum litterarum ostendit can. 2130, additis aliis duobus de confirmatione per S. Congregationem danda et cum quo iuridico effectu. Post haec statuit can. 2133, quid servandum sit ex processu de virtutibus vel de martyrio. Denique can. 2134 statuit quo actu Servus Dei sit acquipollenter beatificatus et cum quo iuridico effectu explicat can. 2135.

[1] Dec. « Cum in agendis » S. C. Rit. 11 Nov. 1912. CO. IV, 705.

717. Quinam et quare sunt casus excepti. — Alex. III edidit sequentem Decretalem [1]. « Audivimus, quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione et ebrietate occisum, quasi sanctum (more infidelium) venerantur: Cum vix pro talibus in ebrietatibus peremptis, ecclesia permittat orare: dicit enim Apostolus; Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Illum ergo non praesumatis de cetero colere: cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto, absque auctoritate Romanae Ecclesiae (publice) [2] venerari ».

« De hac Alex. III. Decretali loquendo (inquit Bened. XIV) [3], magna est inter scribentes disputatio... Censent nonnulli, ius novum fuisse a dicta Decretali statutum... Alii contra in ea sunt opinione, quod nullum ius novum fuerit introductum per Decretalem saepe citatam... Verum, quidquid sit de hac controversia, quemadmodum certum esse videtur, uti supra dictum est, numquam Episcopos potuisse veras peragere Canonizationes: praecipere etenim, ut aliquis tanquam Sanctus publico cultu colatur in universa Ecclesia, nec potest, nec potuit unquam ad eum pertinere, qui limitatam obtinet iurisdictionem in una dioecesi, aut provincia, sed ad eum tantummodo, qui ius obtinet in universa Ecclesia: ita perspicuum apparet, Primates, Archiepiscopos, aut Episcopos olim potuisse cultum publicum indulgere erga Martyres, aut Confessores in sua provincia, aut dioecesi, quod est idem ac dicere, Beatificationis honores concedere, aut advocata summi Pontificis auctoritate, aut etiam iure suo, absque eo quod ab illa dependerent, sicut ex supradictis facile colligi potest ».

Propterea non sine causa *can. 2125* sic redactus est, ut § *1* incipiat. *Pro Servis Dei*, sive confessoribus sive martyribus, *qui* a) *post pontificatum Alexandri III* ob praedictam decretalem, qui mortuus est 30 Aug. 1181, *et* b) *ante tempus a constitutione Urbaniana praefixum*, videlicet: tempus 100 annorum ante datam illius Brevis « Caelestis Hyerusalem » (5 Jul. 1634) qua confirmata sunt Decreta generalia anno 1625 edita, seu inter annos 1181 et 1534, *ex tolerantia*, quatenus scilicet comprehenduntur sub finali clausula declarationis, quam edidit Urb. VIII his verbis: « per supradicta (decreta) praeiudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sancto-

[1] Cap. 1 « de reliquiis et veneratione sanctorum » (III, 45) X. — [2] De hoc verbo (publice) reddito, vide Bened. XIV in eius Opere, L. II, C. 7, n. 3 et 4. — [3] L. I, C. 10 num. 4, 5, 6.

rum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii coluntur » seu *cultum habuerunt* publicum, quia privatim colere Servos Dei etiam post Urbaniana decreta et nunc plene licet, *peti potest* vi huius canonis praxim praecedentem ac ius confirmantis, *positiva* per Decretum *approbatio Romani Pontificis* nondum prius assecuta.

§ 2 statuit *Ad hoc autem* sub determinationibus § 1, *requiritur* iure Codicis retinentis legislationem praecedentem, quae fuit ripristinata Decreto Pii PP. X relato sub inscriptione tituli, *processus* « ordinis iudicialis », idest: complexus actuum sub iudiciali forma *ad normam* taxative *canonum qui sequuntur*, in his etiam quibus differant forsan ab illo Decreto.

718. De Ordinarii competentia est specialis pro his casibus regula, quam dat *can. 2126. Ordinarius* loci, cum limitatione can. 2002, *competens* « iure proprio » *ad hunc processum* declaratum in § 2 canonis praec. *instruendum*, quoad « ea tantum quae eidem expresse demandentur » (can. 1999, § 3), *est Ordinarius loci* unusquisque, ut antea definitus, a) *ubi*, idest: in cuius dioecesi, *cultus praestatur* ille, seu publicus, *vel* b) *documenta cultus* praestiti, seu per illa probati, *reperiuntur*, unde patet hac norma posse plures Ordinarios comprehendi pro singulari casu, et similibus providet legislator subdens: *salvo iure praeventionis*, quod sic definit can. 1568 agens de iudiciis: « cum duo vel plures iudices aeque competentes sunt, ei ius est causam cognoscendi (vel in canone praesenti: processum instruendi) qui prius citatione reum legitime convenit », vel in canone, qui ad preces Postulatoris prius incepit processum, *si istiusmodi* nempe: « competentes » in casu Servi Dei *Ordinarii plures sint* vi canonis.

719. Lineae generales huius processus perbelle docentur in Codice pro Postulatoribus (pag. 207, n. 4). Ecce verba: « Primum igitur Processiculus diligentiarum conficiendus est, quique peragitur eodem modo ac diximus de Causis per viam ordinariam nota cultus procedentibus. Tum fiet processus Informativus, ex quo colligi debent et non interrupta fama ac persuasio circa Servi Dei sanctitatem vel martyrium, et cultus signa quae illi in praesentiarum tribuuntur. Uti patet, pro demonstranda sanctitatis fama constanti Postulator ad testes et ad documenta recurret, pro cultu vero sufficit testes inducere, qui de statu praesenti testari valeant. Expleto hoc Processu, si S. Rituum Congregatio Commissionem signaverit, petuntur Litterae Remissoriales ut conficiatur Processus Apostolicus super casu excepto *exclusive;* in quo Processu Judex Delegatus sententiam suam proferet tum

de initio tum de non interrupta cultus continuatione. Processu Romam transmisso, si confirmatur sententia Judicis Delegati, petuntur a Postulatore aliae Litterae Remissoriales ad instruendum Processum Apostolicum super virtutibus vel super martyrio eiusque causa. Deinde disputatur ad consuetam normam de validitate Processuum; qua adprobata, in Congregatione Antepraeparatoria, Praeparatoria ac Generali agitur de Dubio: — *An constet de Virtutibus*, etc.; et si omnia bene cedant, editur Decretum, et tunc Dei Servus habendus est *aequipollenter* beatificatus, ac venerari potest ut ii Servi Dei qui fuerint *formaliter beatificati*, quin opus sit miraculis ac Decreto *super Tuto* ».

Igitur per singula est inspiciendum quid ss. canones iubeant.

720. Peragenda iure Ordinarii proprio. - Pius PP. X in Decreto « Cum in agendis » statuit sub n.° « 1. In omnibus et singulis causis procedentibus per viam casus excepti, (notetur bene) abrogato penitus quovis alio iudiciali ordine, ante omnia, more solito, perquirantur diligenterque recognoscantur scripta Servi Dei ». Huic praescripto consonat *can. 2127* sic incipiens: *Ad preces* solummodo *postulatoris* huius causae, qui sit rite constitutus ad normam canonum capitis I, tituli XXII, et qui, « si ex alius mandato causam agat, debet mandatum tribunali exhibere » (can. 2006, § 1), *Ordinarius* competens in can. praec. declaratus, cui sunt « preces » porrigendae, *debet* vi huius canonis:

1° *Scripta* huius *Servi Dei*, pro cuius causa sunt preces, *perquirere*, quae clausula fuit ad can. 2038, § 2, 1° declarata; servatis vero ss. canonibus sub art. I, cap. I. tit. XXIV;

2° *Processum* informativum *instruere super fama sanctitatis, virtutum* in genere *vel martyrii*, causae martyrii *et miraculorum*, sicut fuit declaratus in can. 2038, § 2, 2°, et de quo instruendo sunt consulendi ac in praxim etiam huc deducendi canones 2049-2056. Nam talis sit processus, prosequitur canon, *quo respondeatur*, quin detur ab Ordinario sententia, idest: probationum adductarum medio, *quaestionibus* duabus sequentibus, quae constant diversis partibus: *an in loco*, praesertim « ubi Servo Dei praestatur cultus vel documenta cultus reperiuntur » *sit constans* seu per traditionem accepta *et communis* plurimorum *fama* ex loquendi usu *et persuasio* a) *de sancta* illius *Servi Dei* veluti emicante virtutibus exercitis, *in terris conversatione* seu vita, si *confessor fuerit*, *vel de eius martyrio et martyrii causa* b) *necnon* illiusmodi « fama et persuasio » *de miraculis* fortassis *ad eius intercessionem patratis;* et altera quaestio sit: *an ibidem de praesenti* tempore tantum *vigeat*, seu exerceatur *ipsius Servi Dei*

cultus publicus et ecclesiasticus, atque hoc cum determinatione expressa circa ipsos actus, addente canone *et quibus obsequiis Servus Dei* sic, ut dictum est, *honoretur* cultu equidem duliae.

Porro « quoniam signa cultus etiam in sepulchro vel in templo inveniri possunt, Tribunal, completo testium examine, et receptis a Postulatore documentis, illa loca externe visitabit, et Acta perficiet, prout declaratum est ad can. 2058; animadvertitur tamen, quod dum illic absentia cuiuscumque cultus asseritur et sententia definitiva profertur vi can. 2060, in praesenti Processu et referentur signa cultus, quae forte inventa sunt, et nulla pronuntiatur sententia » [1].

« Ad probationes vero quod attinet, testes adhibendi sunt octo saltem, et « praeter inductos a postulatore, duos alios ex officio Tribunal inducat » (can. 2057). Si fieri potest, testes seligendi sunt, inter seniores ac magis eruditos, qui Servi Dei gesta valeant illustrare. Quod, si e testibus haberi nequeat plena de constanti fama sanctitatis vel martyrii probatio, haec fulciri poterit legitimis et authenticis documentis, quae Postulator Tribunali exhibebit, expleto omnium testium examine ».

Verba canonis sunt ad litteram excerpta ex Decreto Piano, sub n. 1, qui sic prosequitur: « eoque (processu ad S. Congregationem transmisso et ad normam iuris aperto, proponatur in congregatione ordinaria dubium: *An signanda sit Commissio introductionis*, exquisito in scriptis voto trium consultorum, quorum sententiam S. Rituum Congregationis Secretarius in ipsa congregatione ordinaria referet ».

721. De signanda Commissione introductionis agit *can. 2128* congruens tum iuri praeexistenti, tum normis iam declaratis ex Codice. *His omnibus* videlicet: a) « scriptis Servi Dei », atque « notarius diligenter describat tum scriptorum numerum et qualitatem, tum acta omnia perquisitionis ipsorum; quae acta debent praeterea ab Ordinario vel ab eius delegato et promotore fidei subscribi ac Ordinarii sigillo muniri » (can. 2016), b) « processu » informativo super fama sanctitatis et martyrii, atque de cultu vigenti, *ad Sacram Congregationem* competentem *transmissis* per causae postulatorem, vel vice-postulatorem *ad normam can. 2061-2063* ibi explicatorum, *dubium*: « *An signanda sit commissio introductionis causae* » *in congregatione ordinaria discussioni Patrum Cardinalium subiicitur, referente Cardinali Ponente.* Hoc praescriptum est idem iam declaratum sub can. 2082,

[1] **Codex pro Postulatoribus, pag. 209.**

et cuius dubii responsum aequipollet, seu exprimit iudicium eorum Emorum Patrum circa valorem ipsius processus et circa absentiam cuiuslibet obstaculi peremptorii. Propterea ipsi discussioni praemittenda sunt, quae de revisione scriptorum et de discussione processus informativi pro aliis causis per viam non cultus praescripta fuerunt in art. I et II, cap. II, tit. praec., ibique declarata.

722. De processu apostolico primo *can. 2129* utitur verbis ipsius Decreti Piani. *Signata commissione* « introductionis causae » ob contextum per Sanctissimum, quae supponit « Patrum Cardinalium iudicium fuisse favorabile », (can. 2083, § 1), *expediantur* a S. Congregatione, post petitionem postulatoris causae *litterae remissoriales* iam declaratae ad can. 2087, § 1, *ad viros* « in ecclesiastica dignitate, si fieri potest, constitutos » (can. 2088), tanquam iudices *ab ipsa Sacra Congregatione* delegante *designatos*, quae clausula innuit tribunal hoc futurum esse collegiale, *ut ad tramitem iuris*, quoad formalitates iudiciales, tum in genere, tum peculiares « de huiusmodi processu apostolico instruendo », sive in cap. III, tit. praec. sive in hac Parte, quae ad rem faciunt praesentem, a) *processus apostolicus* probationibus legitimus *instruatur* tanquam de obiecto *super casu excepto* propter cultum a centum circiter annis ante Breve Urbani VIII praestitum Servo Dei usque nunc, *et* b) *sententia* de hoc *a iudice delegato*, qui est tribunal collegiale *feratur* iuxta allegata et probata in hoc processu.

723. Valde notanda in hoc processu censentur, quae ex Decreto saepius laudato transfert *can. 2130* sic praescribens. *Ex processu*, seu ex actis causae contentis in eo quae sunt primo testes ex auditu ab audientibus et ex publica fama, praesertim custodum ecclesiae, aediculi vel coemeterii, ubi asservatur sepulchrum Servi Dei, secundo documenta successiva ac praecipue coaeva morti illius, ac tertio monumenta v. gr. imagines Servi Dei cum radiis, aureola, vel titulo Beati, sive depictae sive sculptae, elogia, et alia signa cultus publici et ecclesiastici, quae sint antiqua et diversis annis a morte illius facta, et de hac antiquitate per peritos recognita, ut authentica esse constet. Haec signa diversa, documenta, et alia cultus argumenta, necnon qualitates peritorum et horum exquisita solertia videri atque utiliter consuli possunt, quia per extensum pertractantur in Codice pro Postulatoribus, pagg. 211-217.

His ergo *probari debet*, ac memoria dignum « probationes debent esse omnino plenae » (can. 2019), quantum possibile sit,

a) *tum cultus initium*, quod est maxime attendendum, ad hoc ut casus exceptus evidens fiat, quamvis non desint exempla dispensationis concessae a Summo Pontifice quoad cultum incoeptum infra centum annos ante Urbanum VIII, b) *tum non interrupta*, per prohibitionem cultus ab auctoritate ecclesiastica intra quoddam temporis spatium, vel per cessationem ipsius cultus, quae constet, *eius* cultus publici et ecclesiastici *continuatio* etiam in praesentiarum, seu *usque ad sententiam delegati iudicis*. Recte monet Codex pro Postulatoribus: « Non autem opus est, ut singula (ibi recensita) praesto sint argumenta eiusmodi, neque pro singulis annis, sed tot afferantur oportet, quot moralem ingerere valeant certitudinem de cultus continuatione, at vero cultus initium quod attinet, perspicua sint oportet argumenta ».

Nec omittendum, quod animadvertit Decretum Pianum sub n. 3. « Documenta historica manu scripta, authographa tamen et impressa, cultus antiquitatem eiusque iugem continuationem comprobantia, transmittantur (in processu) ad Sacram Congregationem, ut a viris peritis examinentur: in casu vero quo ad S. C. transmitti nequeant, a peritis (quoque) S. C. recognosci debent ubi asservantur ». Haec tamen non obstant, quominus a Tribunali delegato exigantur quaecumque quoad transcriptionem documentorum et iudicium peritorum de ipsorum antiquitate, atque de fideli transcriptionis fide facienda, inveniuntur praescripta supra « de peritis et de documentis processui inserendis » sub Titulo XXIII.

724. De confirmatione sententiae per Sacram Congregationem agit *can. 2131*. Ex ipsius verbis, quae sunt eadem Decreti Piani sub n. 1, eruitur servandos esse quoad hunc processum canones, qui similes actus moderantur in causis per viam non cultus procedentibus. Ait enim: *Processu* apostolico de cultu Servo Dei, qui ab initio temporis supra dicto fuerit praestitus et cum iugi continuatione usque ad sententiam *ad Sacram Congregationem* a) *transmisso*, qui actus supponit transcriptionem originalis et collationem transcripti processus cum originali, prout can. 2097, seu can. 2054-2056 iubent illos peragendos esse, *et* b) *aperto*, qui actus supponit exhibitionem processus transcripti, necnon novam transcriptionem faciendas ad normam can. 2073-2075, c) *paratoque a causae advocato* unica *positione* ad normam can. 2099 pro iudicanda validitate processus, d) *cum animadversionibus Promotoris generalis fidei et* e) *responsionibus ipsius patroni* causae positioni inserendis his et illis, prouti haec fuerunt ad can. 2099 declarata, et circa illam positionem *in ordinaria* S.

Congregationis Rituum *congregatione* PP. Cardinalium sub Praefecto, *proponatur*, referente Cardinali Ponente, *dubium* discutiendum ac maioritate votorum solvendum: « *An confirmanda sit sententia iudicis delegati*, seu ratione obiecti circa quod est instructus processus examini subiectus: *an ita constet* per ipsius probationes *de casu excepto* a Decretis Urbani VIII, *ut* hac via cultus *ad ulteriora* requisita ad beatificationem perficienda *procedi* legitime *possit* ».

725. Vis illius confirmationis iuridica nobis patefit *can. 2132. Confirmatio sententiae iudicis delegati ex parte Romani Pontificis*, quia nempe: « post discussionem, Patres Cardinales iudicium favorabile tulerunt, et a Summo Pontifice confirmatum, decretum de processus validitate factum fuit », iuxta declarationem ad can. 2100, § 3 datam, *eam solam*, cum exclusione cuiuslibet concessionis sive de extensione sive de roboratione cultus, *vim habet, ut probet factum* nudum a) *immemorabilis cultus Servo Dei praestiti et* b) *usque ad sententiam perseverantis* prout nex processu probari debuit » (can. 2130).

726. De litteris remissorialibus ulterioribus Sacrae Congregationis his in causis agit *can. 2133* aiens. *Si sententia* vere iudicialis *super casu excepto* cultus immemorabilis a) *favorabilis* eidem, prout de iure, *fuerit* ad normam can. 2129, pronuncianda, *et* b) *a Summo Pontifice approbata* iuxta can. 2131, 2132, *expediantur* vi huius canonis, petente Postulatore causae, *litterae remissoriales* alias declaratae in hunc finem conferentes facultatem *ad conficiendum processum* quidem « apostolicum », cuius obiectum sit a) *super virtutibus* theologalibus et cardinalibus aliisque quoad confessores, virgines, etc. *vel super martyrio eiusque causa*, quando illud Servus Dei subiit, seu ut ait canon *secundum diversitatem causarum* ratione subiecti; *et serventur* tam in litteris ipsis, quam in processu atque in servandis occasione ipsius *praescripta can. 2087-2115*, qui agunt « De processu apostolico instruendo, II. De processus apostolici validitate diiudicanda, et III. De iudicio super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio eiusque causa », omisso « IV De iudicio super Servi Dei miraculis in specie » in his causis non necessario.

Sic enim habetur in S. Congr. Rituum instructione « Cum in agendis » [1] n. 4: « Quo (processu) item ad S. C. transmisso et aperto, eiusque validitate adprobata, in tribus Congregationibus, nempe antepraeparatoria, praeparatoria et generali, proponatur

[1] 11 Nov. 1912. CO. IV, 706.

dubium super virtutibus vel super martyrio eiusque causa, prout fit in causis procedentibus per viam non cultus », ad quem Codicis locum, haec omnia fuerunt secundum ius hodiernum declarata.

727. De requisitis decretis ad huiusmodi beatificationem agit *can. 2134* referens ius praecedens. *Edito* idem ac publicato *decreto* duplici a) *de facto cultus immemorabilis*, per quod fit « confirmatio sententiae iudicis delegati ex parte Romani Pontificis » (can. 2132), *et* altero b) *de heroicitate virtutum vel de martyrio* ad normam can. 2115, *Servus Dei* subiectum Decretorum *habendus est* ex obligatione huius praescripti *aequipollenter* ad alias causas per viam non cultus *beatificatus* secundum notionem huius vocabuli, *si eiusdem cultus* antea rite praestiti *confirmatio* formalis seu quoad actus cultus liturgice consideratos *per* tertium *decretum Romani Pontificis accesserit* ad factum rite existentem vi potestatis ordinariae in Episcopis.

Non aliter habetur in praecitata Instructione. « 5. Post editum Decretum, si Ss.mo placuerit, de heroicitate virtutum vel de martyrio, et de cultu immemorabili, Servus Dei dicitur aequipollenter beatificatus, et tunc tantum locus fit Officio et Missae, quae concedi non possint nisi iis Servis Dei, qui beatificationis vel formalis vel aequipollentis, uti vocant, honore decorati sunt ».

728. De actibus cultus publici liciti supra dictum retinet *can. 2135. Servis Dei*, martyribus vel non, *aequipollenter beatificatis* iuxta denominationem authenticam can. praec. *iidem* absque ulla distinctione vel limitatione *concedi possunt* per illud confirmationis cultus decretum, vel subsequens, *actus publici cultus*, in specie communiter Officium et Missa, *quibus honorari consueverunt* legitime *formaliter beatificati*. Unde quoad hunc effectum nulla superest distinctio, nisi quam de facto eruatur ex Decreto concessionis huiusmodi seu edicentis talem cultum.

TITULUS XXVI.

De Beatorum canonizatione.

Can. 2136. - Nemo potest alicuius canonizationem petere aut in eius honorem certos actus cultus a Sacra Congregatione impetrare nisi prius constiterit Servum Dei, de quo agitur, inter Beatos vel formaliter vel aequipollenter relatum esse.

Can. 2137. - § 1. Ut Sacrae Congregationi de formali aut aequipolluti beatificatione in casu constet, authenticum documentum exhibendum est.

§ 2. Si documentum huiusmodi non habeatur, legitimus processus

est instituendus ad probandum factum positivae permissionis cultus ex parte Romani Pontificis.

§ 3. Processu absoluto, edatur in ordinaria congregatione sententia approbationi Romani Pontificis subiicienda.

Can. 2138. - § 1. Ad canonizationem Beatorum qui formaliter beatificati sunt, requiritur approbatio duorum miraculorum, quae supervenerint post formalem beatificationem.

§ 2. Ad canonizationem vero Beatorum, qui aequipollenter fuerunt beatificati, requiritur approbatio trium miraculorum, quae post aequipollentem beatificationem patrata sint.

Can. 2139. - § 1. Cum aliquod miraculum ad intercessionem alicuius Beati patratum dicitur, Sacra Congregatio ad instantiam postulatoris decretum edit, si id Sanctissimo placuerit, de resumenda causa et de novis processibus instruendis secundum normas in superioribus canonibus traditas.

§ 2. Probata validitate processuum, discussio de novis miraculis regitur iisdem legibus quae superius statutae sunt can. 2116-2124.

Can. 2140. - Post haec omnia, Romanus Pontifex, auditis votis Patrum Cardinalium et consultorum, si et quando opportunum iudicaverit, decretum fert, quo decernit tuto procedi posse ad sollemnem Beati canonizationem.

Can. 2141. - Sollemnis Beatorum canonizatio, postquam in Consistorio decreta fuerit, fit servatis ritibus et sollemnitatibus in Romana Curia receptis.

729. Inscriptio Tituli et ordo canonum in eo. — Sequitur postremus huius Secundae Partis *Titulus XXVI* agens *De Beatorum*, eorum nempe qui formaliter vel aequipollenter tales fuerunt renuntiati, *Canonizatione*, quia illam omnino praerequirit et in qua « Summos Pontifices nihil aliud agere dicimus, quam declarare hos vel illos Dei servos virtutibus, insigni morte, eximiisque miraculis praefulgentes, et sic in coelo triumphantes, esse in Ecclesia colendos » [1].

De differentiis inter ipsas Beatificationem et Canonizationem, praescindendo ab actibus cultus, quos Servi Dei iure consequuntur, haec teneri videntur cum Benedicto XIV [2]. « Si loquimur de antiquiori Ecclesiae disciplina, in hoc rerum themate nemo est qui non videat, differentiam constitutam fuisse in primordiali Episcopi praecepto de cultu coarctato, et in eius extensione ad universam Ecclesiam, accedente tacito, aut expresso Romani Pontificis assensu.

Maior difficultas habetur quoad differentiam inter Beatificationem, et Canonizationem, si porro de eadem differentia loquamur post delatum tum Beatificationis, tum Canonizationis iudicium ad Sedem Apostolicam ». Et postquam perpendit opiniones Doctorum eis adiungens proprias animadversiones, innixus Diplomatibus Pontificum ex quibus verba seligit ad rem facientia, sic

[1] Bened. XIV. De Beatificatione et Canonizatione Servorum Dei, Lib. I, Cap. XII, n. 8. — [2] Op. cit. Lib. I, Cap. XXXIX, nn. 3, 4, 12, 13, 14.

concludit Caput: « Omnia igitur in unum colligentes ratum habemus primo (ex regula loquendo) Beatificationem esse cultus permissionem, et aliquando etiam posse importare cultus praeceptum, constitutum tamen per actum directum ad sententiam definitivam non adhuc prolatam, sed, accedentibus novis circumstantiis, proferendam, et in nonnullis particularibus locis coercitum.

Compertum habemus secundo (ad regulam item loquendo) Beatorum cultum coarctari sane intra aliquam provinciam, dioecesim, civitatem, aut religiosam Familiam; at aliquando tamen posse ad universam Ecclesiam extendi, citra tamen legem praecepti, sed per modum simplicis facultatis, et per actum minime extremum, nec ultimo definitivum.

Tertio denique comprobatum est, Canonizationem esse summi Pontificis sententiam ultimo definitivam, qua cultus praecipitur in universa Ecclesia. Idcirco ultima differentia inter Beatificationem et Canonizationem minime quidem constituenda erit vel in permissione cultus, vel in eius coarctatione ad personas, aut locos particulares, quae in Beatificatione habeatur, secus ac in Canonizatione; sed in extrema et definitiva de sanctitate sententia cultum aliis Sanctis debitum in universa Ecclesia per Canonizationem, nequaquam vero per Beatificationem praecipiente ».

Sex tantum canones hanc totam materiam summarie complectuntur. Praerequisitum moderantur can. 2136, 2137 cum initio prosequutionis causae. Numerus miraculorum diversus iuxta Beatificationis modum statuitur in can. 2138, cui adnectitur can. 2139 de processibus conficiendis. Denique tum Decretum tum sollemnia Canonizationis normam obtinent ex can. 2140, 2141.

730. Ad quid praerequiratur Beatificatio ostendit *can. 2136* generalius quam inscriptio Tituli loquetur. *Nemo* in Ecclesia etiam « legitimus Christi fidelium coetus » (can. 2003) *potest* valide iure a) *alicuius* personae defunctae *canonizationem petere*, ut « postulator, sive proprio sive alieno nomine agat » (can. 2004, § 3), *aut* b) *in eius honorem* religiosum *certos*, quia designandi sunt, *actus cultus* liturgici, *a Sacra Congregatione* Rituum quae in hac re unice competens est, *impetrare* cum effectu, *nisi prius constiterit* eidem *Servum Dei, de quo* sic honorando *agitur, inter Beatos* proprie dictos *vel formaliter*, sententia videlicet per viam non cultus, *vel aequipollenter* decreto cultum confirmante, *relatum esse* per Sedem Apostolicam.

731. Modus servandus ad hoc praerequisitum est, quem decernit *can. 2137*. Sic enim ait § *1. Ut Sacrae* Rituum *Congrega-*

tioni de formali aut aequipollenti beatificatione in unoquoque *casu constet* iuxta praec. can. praescriptum, *authenticum* propter fidem publicam *documentum* de illa re, nempe: decretum beatificationis vel confirmationis cultus rite transumptum, *exhibendum est* illi.

§ 2. *Si documentum huiusmodi non habeatur*, quia v. gr. periit exemplar, quo S. Sedes permisit antiquitus cultum eidem Servo Dei praestandum, *legitimus* propter canones servatos *processus est instituendus ad probandum* per testes aut documenta *factum positivae* seu aliquo actu *permissionis*, nam ut videtur tolerantia cultus non sufficit, *cultus ex parte Romani Pontificis*, quin sufficiat antiqua permissio vel iussio alicuius Episcopi.

§ 3. *Processu absoluto* per legitimum iudicem, *edatur in ordinaria* SS. Rituum *congregatione*, *sententia* circa praedictam permissionem *approbationi Romani Pontificis subiicienda*. Quae tunc suppleret vel geret vices decreti sub can. 2137 requisiti.

732. De numero miraculorum necessario statuit *can. 2138* concors antiquo iuri cum quadam mitigatione. Etenim Bened. XIV in Dec. « Cum ex relatione » [1] ait: « Decretum Generale a Nobis editum die 23 Aprilis 1741 etiam nunc confirmamus, tum quoad numerum Miraculorum, tum etiam quoad cetera, quae in dicto Decreto continentur, et in quibus statuitur, Miracula semper esse comprobanda per Testes et contestes de visu, sive agatur de causis procedentibus per viam ordinariam de non Cultu, sive per viam extraordinariam de casu excepto, et sive res sit de Miraculis pro obtinenda Beatificatione, sive de aliis, quae proponuntur pro Canonizatione obtinenda ».

In tali Decreto Generali quoad numerum Miraculorum adhibetur sic causarum distinctio: « In causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non cultus servetur quidem qui iampridem invaluit mos, ut probatis ex testibus de visu virtutibus, et duobus deinde miraculis ad Beatificationem procedatur. At ubi virtutes aut martyrium ex testibus de auditu (ut supra) fuerint probatae, non duo, ut hactenus, sed quatuor omnino ad Beatificationem, ac deinde duo alia post illam facta, ut moris est, ad eorum Canonizationem ex testibus pariter de visu debeant approbari ».

Retento igitur numero miraculorum distincto, secundum probationes causarum in can. 2117, fuit aequum ut retineret ius idipsum *can. 2138*, quando loquitur de his causis § *1. Ad canonizationem Beatorum qui formaliter beatificati sunt*, seu per viam

[1] 17 Iul. 1754. Manuale Postulatorum. Appendix V, pag. 278.

non cultus, *requiritur* qualibet in causa *approbatio duorum miraculorum*, sub conditione: *quae supervenerint post formalem beatificationem*, quae perficitur per « decretum hac de re conficiendum et promulgandum » (can. 2124, § 2).

In supra laudato Decreto Generali legitur: « Deinde vero cum in causis Beatorum per viam cultus immemorabilis, aut indulti procedêntibus, de stylo praesenti sit, ut approbato iam ex testibus de auditu (ut supra dictum est) admíniculatis martyrio aut virtutibus in gradu heroico, ex duobus deinde miraculis ad solemnem eorum Canonizationem deveniatur; in posterum non duo, ut hactenus, sed quatuor ad eorum Canonizationem probari debeant miracula, et quidem (ut dictum est) ex testibus de visu ». Et hoc videmus confirmatum in n. 7 Instructiónis S. Congregationis, quae incipit « Cum in agendis » [1].

Huic iuri derogat § 2. *Ad canonizationem vero Beatorum, qui aequipollenter* fuerunt beatificati, *requiritur approbatio trium miraculorum, quae post acquipollentem beatificationem*, quando « eiusdem cultus confirmatio per decretum Romani Pontificis accesserit » (can. 2134), ad eorum intercessionem seu invocationem *patrata sint* a Deo.

733. De processibus conficiendis ac discutiendis tractat *can. 2139*, § *1. Cum aliquod* saltem *miraculum* vere tale *ad intercessionem alicuius Beati* formaliter vel aequipollenter *patratum dicitur* cum certo fundamento, *Sacra Congregatio* saepius dicta *ad instantiam postulatoris* legitime designati *decretum edit, si id Sanctissimo placuerit* a) *de resumenda causa* illius Servi Dei *et* b) *de novis processibus* apostolicis *instruendis* super singulis miraculis *secundum normas in superioribus canonibus* de hac re *traditas*, scilicet: in can. 2118, 2119 et aliis v. gr. atque « de testibus et peritis », qui ad rem pertineant.

Ad praxim quod attinet consulatur Manuale Postulatorum ad Tít. II. Partis VII, nn. 4 et 5.

§ 2. *Probata* per S. Congregationem de more *validitate processuum* confectorum a delegatis, *discussio de novis* respectu ad Beatificationem *miraculis* duobus vel tribus *regitur iisdem legibus quae superius statutae sunt can. 2116-2124*, videlicet: quoad miracula pro Beatificatione requisita.

734. Decretum de tuto solet vocari, de quo loquitur *can. 2140. Post haec omnia*, quae attigerunt summis labris canones praec., *Romanus Pontifex*, a) *auditis votis Patrum Cardinalium et consul-*

[1] 11 Nov. 1912. CO. IV, 707.

lorum Sacrae Congregationis Rituum in hac sectione, *si et quando opportunum iudicaverit*, nam quaestio est potius de solemnitate usitata, quae numquam omittitur, etsi non necessaria, *decretum fert* per S. Congr.ⁿ Secretarium, *quo decernit tuto procedi posse ad sollemnem Beati canonizationem*, quae in Basilica Vaticana locum habet, ex antiquissima traditione roborata per Const. « Ad Sepulchra » Bened. XIV. (23 Nov. 1741).

735. De sollemni canonizatione potius memoriam agit, quam regit, *can. 2141. Sollemnis* propter externum concomitantem apparatum, *Beatorum canonizatio*, *postquam in Consistorio* semipublico, ubi consultores in scripto dant votum suum, atque S. R. E. Cardinales legunt proprium, *decreta fuerit* a Papa, ut in can. praec., *fit* per formulam a Romano Pontifice prolatam *servatis ritibus* quoad formulas precum et ceremonias liturgicas *et sollemnitatibus* externi apparatus et comitatus Curiae aliisque *in Romana Curia* idest: Summi Pontificis *receptis* ab antiquo.

FINIS PARTIS SECUNDAE.

PARS TERTIA

DE MODO PROCEDENDI IN NONNULLIS EXPEDIENDIS NEGOTIIS VEL SANCTIONIBUS POENALIBUS APPLICANDIS

CAN. 2142. - In processibus de quibus infra, adhibeatur semper notarius, qui scripto consignet acta quae ab omnibus subscribi debent et in archivo servari.

CAN. 2143. - § 1. Quoties monitiones praescribuntur, hae fieri debent vel oretenus coram cancellario aliove officiali Curiae aut duobus testibus, vel per epistolam ad normam can. 1719.

§ 2. Peractae monitionis eiusque tenoris documentum authenticum in actis servetur.

§ 3. Qui impedit quominus monitio ad se perveniat, habeatur pro monito.

CAN. 2144. - § 1. Examinatores et consultores ac notarius debent, interposito ab initio processus iureiurando, servare secretum circa omnia quae ratione sui muneris noverint ac psaesertim circa documenta occulta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum ac motiva.

§ 2. Si huic praescripto minime paruerint, non solum a munere amoveri debent, sed alia etiam condigna poena ab Ordinario, servatis servandis, plecti poterunt ac praeterea damna, si qua inde secuta sint, sarcire tenentur.

CAN. 2145. - § 1. In iis processibus summarie procedendum est; at duo vel tres testes sive ex officio arcessiti sive a parte inducti audiri non prohibentur, nisi Ordinarius, auditis parochis consultoribus seu examinatoribus, existimaverit partes eos inducere ad moras nectendas.

§ 2. Testes et periti, nisi iurati, ne admittantur.

CAN. 2146. - § 1. A definitivo decreto unicum datur iuris remedium, idest recursus ad Sedem Apostolicam.

§ 2. Quo in casu ad Sanctam Sedem omnia acta processus transmittenda sunt.

§ 3. Pendente recursu, Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii stabiliter conferre valide nequit.

736. Inscriptio Partis tertiae et canones praeliminares. — Secundum ea quae diximus ad inscriptionem huius Libri Quarti, remanet tractanda *Pars* eius *tertia*. Cum processus innuat iure complexum actuum iure praescriptorum ad aliquod negotium auctoritative perficiendum, in hac parte agitur *De modo procedendi*, qui actus et quo modo sint iuxta leges perficiendi, *in nonnullis*, tribus specie, *expediendis negotiis*, quae sub administratione dioecesium continentur, *vel sanctionibus poenalibus* proprie dictis, eo quod rationem verae poenae habeant, sed *applicandis* extraiudicialiter, idest: non servatis accurate normis iudiciorum, nisi quan-

tum hac praescribantur vel permittantur in hac parte, vel iure naturali exigantur observandae.

Hac de causa praecedunt canones generales, qui aliquas formalitates huiusmodi salvas edicunt. Et primus can. 2142 de notario, de modo vero faciendi monitiones can. 2143, de iuramento interponendo cui additur sanctio, agit can. 2144, ac de procedendi modo servando loquitur can. 2145. Denique remedium competens ad tuitionem proprii iuris salvum ponit can. 2146.

737. De notario adhibendo est *can. 2142.* Revera necessitas huius praescripti non urget vi iuris naturalis, quamvis rationes, quas affert Innoc. III in Conc. Gen. [1] instituens notarium in processibus iudicialibus, sint valde conducentes ad iustitiam tutandam, et ius naturae suadeat uti valde conveniens, illud quod ex Dec.° « Maxima cura » [2] est transcriptum in hoc canone, sed generaliter. Sic enim incipit: *In processibus* singulis *de quibus* agitur *infra*, in hac tertia Parte omnibus, *adhibeatur* vi huius canonis ac *semper* idest: pro omnibus actibus, qui illos integrant, *notarius* equidem ad actus extraiudiciales, de quo fuerunt lati can. 372-374, *qui* iuxta « notariorum officium » (can. 374) *scripto consignet* vi huius praescripti *acta*, sive relatio eorum, quae fiunt in processu, sive alia praecepta, monitiones, citationes, etc., *quae ab omnibus*, qui habent partem in singulis actibus, comprehenso eodem notario, a) *subscribi debent et* b) *in archivo servari.* Cum igitur hae formalitates, praesertim de notario, sint omnino necessariae ad fidem publicam faciendam, prout necessarium est in processibus ad forum externum pertinentibus, sequitur institutum de notario esse ad validitatem actorum non minus, quam in iudiciis propter can. 1585 § 1.

738. De monitionibus forsan praescriptis servandus est *can. 2143.* In Dec. « Maxima cura » sub can. 1 invehitur: « Monitio, de qua superius..., ut peremptoria sit et proximae amotionis praenuntia, fieri ab Ordinario debet, non paterno dumtaxat more, verbotenus et clam omnibus; sed ita ut de eadem in actis Curiae legitime constet ».

Hoc praescriptum reddit § *1* generale, aiens: *Quoties monitiones* supple « in processibus, de quibus infra » (can. 2142) *praescribuntur* » *hae fieri debent* in eorum adimplementum, « non paterno dumtaxat more », sed *vel oretenus* a Superiore ecclesiastico per se vel per alium a) *coram cancellario* qui « est eo

[1] Cap. II « de probationibus » (II, 19) X. — [2] 20 Aug. 1910, can. 10, § 1.

ipso notarius » (can. 372, § 3) *aliove officiali* quolibet *Curiae* dioecesanae vel religiosae cognoscendo ex can. 363, § 2, tanquam persona qualificata propter officium, b) *aut duobus testibus*, quibus illa quoad fidem faciendam aequipollere censetur, et quibus sufficiant conditiones naturales ad ferendum testimonium de ipsa monitione, *vel* c) *per epistolam* Superioris monentis *ad normam can. 1719*, quae nempe « per cursorem Curiae tradatur monendo, vel si ob distantiam vel aliam causam difficulter per eum tradi possit, iussu eiusdem Superioris transmittatur per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et conditiones tutissimus sit ». Quoad hoc triplex membrum memoranda est reg. iuris 70 in 6°: « In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri ». Hinc ad legitimam praescripti conditionem seligit Superior pro lubitu modum in monitione servandum.

Attamen § 2 non praetermittendus est. *Peractae monitionis* quoad actum circumstantiis temporis, loci atque modi unius ex tribus cum designatione personarum interessentium, *eiusque tenoris* quoad verba adhibita vel contenta in epistola *documentum authenticum*, quod videlicet utpote exaratum a notario ex can. 2142 fidem faciat publicam *in actis* idest: complexu scriptorum ad processum pertinentium *servetur*. Nec inde sequitur notarium adfuturum semper eidem monitioni, nam potest rem cognoscere certo ex his, qui interfuerunt.

De monitione, utrum effectum iuridicum indubie obtineat, sic statuit § 3. *Qui impedit* qualitercumque *quominus monitio* « per epistolam » *ad se perveniat*, v. gr. ei, qui se obligavit ad tradendam, dicens: ut epistolam destruat loco tradendi, *habeatur* iuridice *pro monito*, quia « nemini fraus et dolus patrocinari debent ». Exemplum authentice [1] solutum est: « An sufficiat ad effectum amotionis invitatio publica ad renunciationem per edictum vel ephemeridem facta ad instar citationis de qua in canone 1720, quando Parochus non comparet, et plane ignotum manet ubi degit eo ipso quod Parochus invitationem praedictam effugere intendit. Resp. Provisum in canone 2143, § 3 », seu affirmative.

739. De iureiurando interponendo translatum fuit in Codicem praescriptum quod integrat canonem 7 Dec.[1] « Maxima cura » [2], cum additione trium verborum. *Can. 2144. § 1. Examinatores et consultores*, qui necessarii sunt in processu remotionis parocho-

[1] 24 Nov. 1920. De remotione parochorum. CO. XII, 577. — [2] 20 Aug. 1910. CO. II. 640. — [3] 15 Febr. 1912. CO. IV, 114, 142.

rum, *ac notarius* adhibendus « in omnibus processibus de quibus infra » (can. 2142), *debent*, quoad modum a) *interposito ab initio processus* cuiuslibet *iureiurando*, seu ut dicitur in Dec.° S. C. Consistorialis [3]: « singulis vicibus, in prima sessione, iusiurandum prout in formula (ibi) adiuncta » pro illis, *servare* « sub gravi » *secretum circa omnia quae* praecise *ratione sui muneris noverint*, non de his quae aliunde ipsis constent, dummodo taliter exprimerent, ut absit probabilitas de laedendo secreto, *ac praesertim*, quin alia praedicto modo nota excludantur, a) *circa documenta*, seu ad perpetuam rei memoriam conscripta, *occulta*, quia pluribus ignota, b) *disceptationes in consilio habitas*, quamvis substantia non potefiat, b) *suffragiorum* pro et contra *numerum* in definitione processu, *ac* c) *motiva* ibidem expressa.

Textus canonis, ut mihi videtur, excludit interpretationem sub 3 Octobris 1910 datam de can. 7 Dec.[1] « Maxima cura » non continente verba « ab initio processus », et qua responsum fuit ad 12: « Sufficit iusiurandum semel emissum, durante munere, dummodo pro omnibus causis fuerit emissum. Potest tamen Ordinarius exigere ab examinatoribus et consultoribus ut illud renovent in casibus particularibus, si id expediens iudicaverit ».

§ 2 edicit sanctionem. *Si huic* § 1[ae] *praescripto* servandi secretum *minime paruerint*, idem est ac « si contra secretum fecerint », a) *non solum a munere* respectivo *amoveri debent* vi huius canonis, *sed* b) *alia etiam condigna*, seu pro gravitate transgressionis, *poena ab Ordinario* ad normam can. 198 § 1 intelligendo, cui subiiciantur illi, non tamen intelligitur Vicarius generalis, quia « sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas » (can. 2220, § 1), ac propterea, *servatis servandis* circa poenas infligendas iuxta Lib. V, v. gr. in can. 2218, *plecti poterunt*, unde « lex facultativis verbis utitur », (can. 2223); *ac praeterea* c) *damna*, *si qua inde* seu ex culpabili revelatione *secuta sint*, *sarcire* semper *tenentur*, et hac clausula confirmatur ius naturae.

740. De modo servando cavet *can. 2145. § 1. In iis* omnibus supra declaratis *processibus summarie procedendum est*, videlicet: ad cavendum brevitati servando, quae ius naturae requirit vel expresse iubebitur, ad aequam solutionem casus; *at duo vel tres* taxative *testes* a) *sive ex officio arcessiti*, v. gr. ut dit Dec. « Maxima cura » can. 15, § 4. « Quod si, allegationibus exhibitis, dubium exoriatur quod diluere oporteat ut tuto procedi liceat, Ordinarii erit cum examinatorum consilio, etiam parocho non postulante, testes qui necessarii videantur inducere »... b) *sive a*

parte inducti contra quam fit processus, *audiri non prohibentur*, unde semper hoc fieri poterit, *nisi Ordinarius* loci ex contextu, et in processibus sequentibus praeter ultimum, nam subditur: *auditis* solum *parochis consultoribus seu examinatoribus*, prout hi vel illi interveniant, *existimaverit partes eos* testes *inducere ad moras nectendas*: v. gr. « si causa amotionis liqueat et testium examen inutile appareat » Dec. Maxima cura, can. 15, § 3).

De his cavet § 2. *Testes et periti*, quandocumque adhibere oporteat, *nisi iurati*, *ne admittantur* ad testimonium ferendum, vel peritiam excendam.

741. Remedium a decreto huiusmodi processuum. — Ut iniquitati, si quae per Superiorem committatur, occursum iuris pateat, in Codice adiungitur *can. 2146*. Et § *1* retinens disciplinam Dec.[1] « Maxima cura » et confirmatam circa clericos concubinarios in const. « Ad militantis » Bened. XIV [1], statuit: *A definitivo*, quo processus clauditur apud Ordinarium, *decreto unicum* ad exclusionem cuiuslibet remedii iudicialis *datur iuris remedium* damno forsan indebite illato, *idest recursus ad Sedem Apostolicam* ad normam can. 7 intelligendam de S. Congregatione competenti.

§ 2. *Quo in casu* recursus semel admissi ab ea *ad Sanctam Sedem* hac petente, ut assolet, *omnia acta processus*, quin aliquid celetur, *transmittenda sunt*, vel originalia, vel, quod tutius est, in transcripto authentico.

§ 3. *Pendente recursu*, nempe: a notificatione recursus interpositi infra decemdium usquequo S. Sedes respondeat confirmando, revocando vel corrigendo Decretum, vel horum quodcumque iubendo, *Ordinarius* loci ex contextu a) *paroeciam vel* b) *beneficium quo* alterutro *clericus privatus sit* quolibet processu ex dictis supra, saltem per translationem, *alii* clerico *stabiliter*, seu per canonicam provisionem *conferre valide nequit*. Unde precario erit deserviendum per aliquem substitutum.

« De fatalibus ad recurrendum » S. Congr. Conc. dedit solutionem in [2] Romana et aliarum, quae ob rationes ibidem propositas patet ac est omnino servanda, sequentis tenoris: Proposito dubio: « Quale temporis spatium concedatur ad recursum interponendum a definitivo decreto remotionis, ad effectum can. 2146, § 3 Codicis Iuris canonici, in casu », respondendum censuerunt: « Tempus utile ad recursum interponendum a definitivo decreto remotionis, ad effectum § 3, can. 2146 Codicis, esse decemdium ab intimatione eiusdem decreti, supputandum ad normam can. 34,

[1] 30 Mart. 1742, § 23. — [2] 12 Ian. 1924. CO. XVI, 165.

§ 3, 3°, et can. 35: certiore facto Ordinario loci ab ipso recurrente de legitime interposito recursu ad Apostolicam Sedem ».

742. Divisio huius Partis in Titulos. — S. Congr. Consistorialis ante Codicis promulgationem edidit iussu Pii PP. X Decretum sic incipiens: « Maxima cura semper Ecclesiae fuit, ut christiano populo praeessent et animarum saluti prospicerent selecti e sacerdotum numero viri, qui vitae integritate niterent et cum fructu suis muniis fungerentur ». Et infra adiunxit: « Quod si, vi canonici iuris, criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus: parochus autem hac illave de causa, aut forte sua ibi praesentia noxius evadat; alia suppetunt remedia ad animarum saluti consulendum. In his potissimum est parochi amotio, quae oeconomica seu disciplinaris vulgo dicitur, et nullo iudiciali apparatu, sed administrativo modo decernitur, nec parochi poenam propositam habet, sed utilitatem fidelium. Salus enim populi suprema lex est: et parochi ministerium fuit in Ecclesia institutum, non in commodum eius cui committitur, sed in eorum salutem pro quibus confertur ».

Hinc sequitur canones ibidem praescriptos ad decernendam hanc remotionem parochorum sibi locum vindicare in hac tertia parte, quia sunt aliquando servandi « etiam culpa remota », et propterea sunt negotia expedienda, aliquando in praxi per translationem providetur utilitati fidelium, quando videlicet « forte sua praesentia (in hac illave paroecia) noxius evadat » parochus, atque denique culpa parochi aderit forsitan, vel delictum, quamvis « criminali iudicio ac poenali destitutioni non sit locus. Propter has ratione in hac tertia parte potiorem situm obtinuerunt Titulus XXVII, XXVIII et XXIX, sub quibus recensentur modificati canones praelaudati Decreti.

Post haec de sanctionibus poenalibus infligendis agendum erat, quae ex Decretalibus et Decretis Concilii Tridentini iniungendae sunt ab Ordinariis, ut sacerdotes ac clerici contineantur in diversis officiis vel adigantur ad ea, quae maxime sunt custodienda b) vel propter fidelium scandalum ex transgressione sequutum, a) vel propter frequentem in eis disciplinae relaxationem, c) vel ob damnum inde fidelibus subsequens, vel demum d) propter specialem procedendi modum a Conc. Trid. inductum et qui vocatur a Doctoribus « ex informata conscientia ». His rationibus relativi sunt Tituli XXX, XXXI, XXXII et XXXIII.

TITULUS XXVII.

De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilium.

CAN. 2147. - § 1. Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.

§ 2. Hae causae sunt praesertim quae sequuntur:

1.° Imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, quae parochum suis muneribus rite obeundis imparem reddit, si, iudicio Ordinarii, per vicarium adiutorem bono animarum provideri nequeat ad normam can. 475;

2.° Odium plebis, quamvis iniustum et non universale, dummodo tale sit, quod utile parochi ministerium impediat, nec brevi cessaturum praevideatur;

3.° Bonae existimationis amissio penes probos et graves viros, sive haec oriatur ex levi vivendi ratione parochi, sive ex antiquo eius crimine quod nuper detectum eximatur iam poena ob praescriptionem, sive ex facto familiarium et consanguineorum quibuscum parochus vivit nisi per eorum discessum bonae parochi famae sit satis provisum;

4.° Probabile crimen occultum, parocho imputatum, ex quo Ordinarius prudenter praevidet magnam in posterum oriri posse fidelium offensionem;

5.° Mala rerum temporalium administratio cum gravi ecclesiae aut beneficii damno, quoties huic malo remedium afferri nequeat sive auferendo administrationem parocho, sive alio modo, quamvis aliunde parochus spirituale ministerium utiliter exerceat.

CAN. 2148. - § 1. Quoties, prudenti Ordinarii iudicio, in unam ex causis de quibus in can. 2147 parochus incidisse videatur, ipsemet Ordinarius, auditis duobus examinatoribus et veritate gravitateque causae cum eis discussa, parochum scripto vel oretenus ad paroeciae renuntiationem intra certum tempus faciendam invitet, nisi agatur de parocho vitio mentis laborante.

§ 2. Invitatio, ut acta valeant, continere debet causam quae Ordinarium movet et argumenta quibus ipsa innititur.

CAN. 2149. - § 1. Si parochus intra praestitutos dies nec renuntiet nec dilationem postulet neque causas ad amotionem invocatas oppugnet, Ordinarius, postquam constiterit et invitationem ad renuntiandum, rite factam, parocho innotuisse et ipsum quominus responderet legitime impeditum non fuisse, eum statim a paroecia amoveat, quin teneatur praescripto can. 2154.

§ 2. Quod si non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat aut iterando invitationem ad renuntiandum aut prorogando tempus utile ad respondendum.

CAN. 2150. - § 1. Si parochus paroeciae renuntiet, Ordinarius paroeciam ex renuntiatione vacantem declaret.

§ 2. Potest vero parochus, loco causae ab Ordinario invocatae, aliam ad renuntiandum afferre sibi minus molestam vel minus gravem dummodo vera et honesta sit, ex. gr., ut obsequatur Ordinarii desideriis.

§ 3. Renuntiatio fieri potest non solum pure et simpliciter, sed etiam sub conditione, dummodo haec ab Ordinario legitime acceptari possit et reapse acceptetur, et firmo praescripto can. 186.

CAN. 2151. - Parochus, si oppugnare velit causam adductam in invitatione, potest dilationem ad

probationes afferendas postulare, quam Ordinarius pro suo prudenti arbitrio concedere potest, dummodo ne sit cessura in detrimentum animarum.

Can. 2152. - § 1. Rationes a parocho contra invitationem adductas Ordinarius, ut valide agat, auditis iisdem examinatoribus de quibus in can. 2148, § 1, perpendat, approbet aut reiiciat.

§ 2. Decisio, sive affirmativa fuerit sive negativa, parocho significetur decreto.

Can. 2153. - § 1. Contra decretum amotionis potest parochus intra decem dies recursum interponere apud eundem Ordinarium, qui, ne invalide agat, debet, auditis duobus parochis consultoribus, novas allegationes ab eodem parocho intra decem dies ab interposito recursu producendas, simul cum rationibus primo allatis, examinare, approbare aut reiicere.

§ 2. Parochus potest eos testes inducere ad normam can. 2145, § 1, quos prima vice se inducere non potuisse probaverit.

§ 3. Decisio decreto nota parocho fiat.

Can. 2154. - § 1. Amoto parocho Ordinarius, examinatoribus vel parochis consultoribus, qui partem habuerunt in amotione decernenda, in consilium adscitis, pro viribus consulat sive translatione ad aliam paroeciam vel assignatione alius officii aut beneficii, si ad haec idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adiuncta permittant.

§ 2. Ceteris paribus, in provisione favendum magis renuntianti quam amoto.

Can. 2155. - Negotium novae provisionis parochi amoti potest Ordinarius sive ipso amotionis decreto sive postea, quamprimum tamen, expedire.

Can. 2156. - § 1. Sacerdos a paroecia amotus debet quam primum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere.

§ 2. Si autem de infirmo agatur qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri, Ordinarius eidem relinquat eius usum etiam exclusivum eadem necessitate durante.



743. Inscriptio Tituli. — Nunc prius considerandus est *Titulus XXVII* tractans *De modo procedendi*, sicut declaratum est ad inscriptionem huius Partis, *in remotione*, eo quod involuntaria est

vel saltem inflicta quadantenus ab ecclesiastica auctoritate, *parochorum*, quo nomine veniunt ut in Dec. (can. 30) « qui paroeciam, quovis titulo, ut proprii eius rectores obtinent, sive nuncupentur Vicarii perpetui, sive desservantes, sive alio quolibet nomine, locus vero non est his regulis, quoties paroecia committatur curae alicuius sacerdotis qua oeconomi temporalis vel Vicarii ad tempus, sive ob infirmitatem parochi, sive ob vacationem beneficii, sive ob aliam similem causam ».

Nec obiiciatur can. 451 in § 2 aiens: « Parochis aequiparantur cum omnibus iuribus et obligationibus et parochorum iure in nomine veniunt » qui ibidem enumerantur fortassis in canone Decreti non comprehensi; nam primo hic paragraphus loquitur taxative « de iuribus et obligationibus » quibus officium parochi constat, sed in hoc Titulo XXVII agitur de remotione *parochorum inamovibilium*, *nempe*: « qui maiore gaudent stabilitate » § 2 seq. can.) et sunt ex can. 454: « qui paroecia administrandae praeficiuntur qua proprii eiusdem rectores, et stabiles in ea esse debent, quod tamen non impedit quominus omnes ab ea removeri queant ad normam iuris », videlicet: huius Tituli et duorum sequentium.

744. Ordo canonum.— Can. 2147 enumerat causas ad sic procedendum. Processus incipit cum examine causae ac subsequente invitatione ad renunciandum, prout iubet can. 2148, atque sequens can. 2149 respicit incassum huius invitationis. Diversum alium agendi modum in parocho sequentes canones considerant, atque primo renunciationem can. 2150, postulationem dilationis ad impugnandam remotionem can. 2151, rationes ad hoc adductas can. 2152, et recursum contra decretum remotionis can. 2153. Pro omnibus fere casibus can. 2154 aequitatem sectans praescribit modum, et huius tempus urget can. 2155, dum can. 2156 parocho adloquitur quoad praestandam obedientiam in hac re.

745. Causae legitimae. - In Dec.° « Maxima cura » dicitur: « Quamvis autem, ut hi rectores quae paroeciae utilia aut necessaria esse iudicarent alacriore possent animo suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, praescriptum generatim fuerit, ut stabiles in suo officio permanerent; nihilominus, quia stabilitas haec in salutem est inducta fidelium, ideirco sapienti consilio cautum est, ut eadem non sic urgeatur, ut in perniciem potius ipsorum cedat » vel ut infra scriptum est « utile ministerium in paroecia non gerat » parochus.

His cohaeret *can. 2147* in eius § 1ª. *Parochus*, secundum significationem datam sub inscriptione, *inamovibilis* ad normam can. 454, § 3, unde praesenti canone et sequentibus huius tituli exclu-

duntur quasi-parochi, quia ex § 4 « quasi-paroeciae sunt omnes amovibiles », et « parochi ad religiosam familiam pertinentes », imo hi « sunt semper, ratione personae, amovibiles ad notum » (§ 5), *a sua paroecia*, qua proprio beneficio, *amoveri* a legitimo Superiore, ut infra, *potest* iure *ob causam* in genere, *quae* in particulari *ipsius* de quo agitur *ministerium* paroeciale, *etiam citra gravem suam culpam*, quia ut ait Conc. Trid. [1] illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, etiamsi alias honestae vitae sint », a) *noxium* parochianis *aut saltem* b) *inefficax* ad eorum salutem *reddit*.

§ 2. *Hae causae* in specie *sunt praesertim*, quod verbum innuit alias dari posse sufficientes, ac legitimae dummodo sub § 1ª comprehendantur, *quae sequuntur* statim:

1° *Imperitia*, quae respicit non solum scientiam theologicam dogmaticam et practicam, sed etiam alias cognitiones relative necessarias in tali loco, a) *vel permanens* ex natura sua iudicio medici *infirmitas mentis* ex debilitate vel laesione, v. gr. insania, *aut corporis* diversa, v. gr. surditas, coecitas, b) *quae parochum suis muneribus* ratione talis officii *rite* seu iuxta sacras leges *obeundis* per se *imparem* ex deficientia *reddit*, *si*, seu verificata conditione *iudicio Ordinarii* loci ex contextu, *per vicarium adiutorem* de quo est can. 475, *bono animarium* in parochia promovendo *provideri nequeat ad normam can. 475* in suis omnibus paragraphis;

2° *Odium*, etsi in affectu tantum, *plebis*, sive fidelium, sive aliorum, *quamvis* a) *iniustum*, carens motivo sufficienti ex parte parochi, *et* b) *non universale* fere omnium in parochia, *dummodo tale sit* in re, a) *quod utile parochi ministerium erga* parochianos de facto *impediat*, b) *nec brevi* tempore *cessaturum* mediis adhibitis seu tantum decursu temporis *praevideatur*, quin experimentum praevium exigatur, si non cessatio futura certa moraliter sit;

3° *Bonae existimationis amissio* vera *penes probos et graves* ob iudicium *viros*, quamvis non acciderit apud alios de paroecia, a) *sive haec* amissio *oriatur* qua fundamento *ex levi*, quia sacerdotali gravitati non convenit, *vivendi ratione* ipsius *parochi*, v. gr. familiariter tractandi cum quibuslibet puellis, b) *sive ex antiquo eius crimine* idest delicto *quod nuper detectum*, quoad cognitionem saltem auctoris, *eximatur iam poena* tali delicto infligenda *ob praescriptionem* ad normam can. 1703, c) *sive ex facto familiarium* propter servitium vel affinitatem *et consanguineorum quibuscum parochus vivit*, etsi diu tantum, *nisi* quoad hoc fundamentum *per*

[1] Sess. XXI, cap. 9.

eorum, qui causa sint amissae bonae existimationis, *bonae parochi famae sit satis provisum*, nam poterat sic tempestive non amitti famam, ita et nunc recuperari;

4° *Probabile*, quatenus in eius probatione excluditur moralis certitudo, et a fortiori certum *crimen occultum* eo quod « nec divulgatum est, nec talibus cognitum seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et deberet facile divulgatum iri » (can. 2197, §, 1°, 4°), *parocho imputatum*, *ex quo* vero vel non *Ordinarius* loci ex contextu *prudenter* ob circumstantias *praevidet magnam in posterum* fortassis ob divulgationem imputationis vel ob supervenientem veri criminis cognitionem, *oriri posse*, quia de re futura agitur, *fidelium offensionem* iustam.

Cum paroeciale ministerium comprehendat non solum iura et obligationes quoad spiritualia sed etiam quoad temporalia, est additum, ut causa specialis, 5°. *Mala rerum temporalium* parocho commissarum *administratio*, quae proinde in deterius vergunt vel amittuntur, *cum gravi ecclesiae* ad cuius reparationem vel cultum *aut beneficii*, cuius dotem illae constituunt *damno*, sub conditione *quoties huic malo* administrationis *remedium* pro futuro *afferri nequeat*, a) *sive auferendo* solam *administrationem parocho* b) *sive alio modo* v. gr. per normas ab eodem servandas, inter quas consilium quarumdam personarum requirendum, et causa sic explicata valet, *quamvis aliunde* propter suas qualitates ac diligentiam *parochus* ipse *spirituale ministerium* sui officii *utiliter* in paroecia *exerceat*, nullo modo reprehendendus.

746. Invitatio ad renunciandum. — Dec. « Maxima cura » in can. 2, § 2, statuit. « In quo procedendi gradu regulae infra statutae ita servandae sunt, ut, si violentur in iis quae substantiam attingunt, amotio ipsa nulla et irrita evadat ». Magis provisum est certitudini per Codicem, dum expresse continet formalitates substantiales actuum processus, quae proinde si omittantur, actu caret necessario ipse processus et consequens decretum evadit nullum et irritum.

In canone autem 8 dicitur: « Quoties itaque, pro prudenti Ordinarii iudicio, videatur parochus incidisse in unam ex causis superius... recensitis, ipse Ordinarius duos examinatores a iure statutos convocabit, omnia eis patefaciet, de veritate et gravitate causae cum eis disceptabit, ut statuatur sitne locus formali invitationi parochi ad renunciandum ».

Huic concors est *can. 2148. § 1. Quoties, prudenti Ordinarii iudicio* ex informationibus a se habitis, *in unam ex causis de quibus* sive in genere sub § 1, sive in specie sub § 2 agitur *in can. 1247*

nuncnunc declarato *parochus* eius territorii *incidisse videatur*, *ipsemet* de quo supra *Ordinarius* loci ex contextu, *auditis* ad normam can. 105, et proinde servato can. 8 supra relato de convocatione, patefaciendis omnibus ac disceptatione cum eis *duobus examinatoribus* « synodalibus » (can. 389, § 1) de quibus agitur in can. 385-390, pro libitu delectis inter constitutos, *et* a) *veritate* iuxta probationes b) *gravitateque causae* ipsius ex prudenti iudicio *cum eis discussa*, et hoc sufficit ad sequens praescriptum, revocata can.s 9, § 2a: « Decernenda autem est (formalis invitatio) de examinatorum consensu », *parochum* illum *scripto vel oretenus* pro libitu prudenti *ad paroeciae* suae *renuntiationem intra certum tempus* ab Ordinario exprimendum, v gr. intra decem dies rite *faciendam* solum *invitet*, *nisi agatur*, utpote de re inutili ob can. 184, *de parocho vitio mentis laborante* propter insaniam.

De modo huius invitationis est regula prudens, quam tradit can. 10 Dec.[1] « Maxima cura »: « § 1. Invitatio scripto facienda generatim est. Potest tamen aliquando, si tutius et expeditius videatur, verbis fieri ab ipso Ordinario, vel ab eius delegato, adsistente aliquo Sacerdote, qui actuarii munere fungatur, ac de ipsa invitatione documentum redigat in actis curiae servandum ». Quod de actuario dicitur, viget ex can. 2142 supra declarato.

Item non erit alienum a prudentia, quamvis non urgeat, normam servare § 4 sic enunciatam: « Denique sive scripto sive voce invitatio fiat, admonendus parochus est, nisi intra certum tempus (ut supra) ab accepta invitatione aut renunciationem exhibuerit, aut efficacibus argumentis causas ad amotionem invocatas falsas esse demonstraverit, ad amotionis decretum esse deveniendum ».

Etenim § 2 in can. 2148 praescribit: *Invitatio*, *ut acta valeant*, seu ne decretum sequens irritum sit, *continere debet* a) *causam quae Ordinarium movet*, b) *et argumenta quibus* uti probationibus *ipsa innititur*, « servatis tamen debitis cautelis de quibus in can. 11 » Dec.[1] « Maxima cura », quin opus sit asseri « examinatorum suffragium postulatum et impetratum ».

Circa causam patefaciendam, prae oculis habeatur regula can. 10, § 3 in Dec. saepius citato: « Si agatur de occulto delicto, et invitatio ad renunciandum scripto fiat, causa aliqua dumtaxat generalis nuncianda est; ratio autem in specie cum argumentis quibus delicti veritas comprobatur, ab Ordinario verbis dumtaxat est explicanda, adsistente uno examinatorum qui actuarii munere fungatur, et cum cautelis ut supra in § 1 eiusdem can. 10.

Can. vero 11 in declaratione Commentarii citatus est sequen-

tis tenoris. « § 1. In communicandis argumentis quibus comprobatur veritas causae ad renunciationem obtinendam adductae, caveatur ne nomina patefiant recurrentium vel testium, si ii secretum petierint, aut, etiamsi secretum non petierint, si ex adiunctis praevideatur eos vexationibus facile expositum iri. — § 2. Item relationes ac documenta quae sine periculo magnae populi offensionis, rixarum vel querelarum palam proferri non possunt, scripto ne patefiant; imo ne verbis quidem, nisi cauto omnino ne memorata incommoda eveniant ».

747. Effectus invitationis iuridicos enuntiat *can. 2149* omnino conformes canoni 14. Dec.[1] « Maxima cura ». En § *1. Si parochus* de quo in hoc Titulo *intra praestitutos* ab Ordinario in invitatione *dies*, seu « intra utile tempus » a) *nec renuntiet* b) *nec dilationem* temporis *postulet* « ad deliberandum vel defensionem parandam » (can. 12), quam Ordinarius potest iusta de causa,... et modo non cedat in detrimentum animarum, ad alios decem vel viginti dies concedere c) *neque causas ad amotionem invocatas* sub invitatione *oppugnet*, « scripto deducendo iura sua, allegationibus ad hoc unum directis, ut causam ob quam renunciatio petitur impugnat et evertat », *Ordinarius* idem, *postquam constiterit* aliquo documento vel probatione in actis a) *et invitationem ad renunciandum, rite* iuxta can. 2148 *factam, parocho* revera *innotuisse*, b) *et ipsum quominus responderet* uno ex tribus modis praefatis *legitime* seu iuxta motiva, quae secundum leges excusant *impeditum non fuisse, eum statim* post utile tempus *a paroecia* illius *amoveat* « per decretum », *quin teneatur* hoc in casu *praescripto can. 2151* « pro viribus consulendi » parocho amoto.

§ 2. *Quod si non constet* modo declarato ad § 1[m] *de superius indicatis* ac declaratis *duobus* copulative *adiunctis, Ordinarius opportune* ad illam certitudinem obtinendam *provideat* pro defectu adiunctorum a) *aut iterando invitationem* ad normam can. 2148, § 2, *ad renuntiandum*, b) *aut prorogando* proprio motu *tempus utile* prius determinatum in hunc finem *ad respondendum.*

748. De ipsa renunciatione est *can. 2150*, incipiens considerare diversas responsiones, quas parochus dare potest post invitationem. § *1. Si parochus* secundum hanc *paroeciae* suae rite *renuntiet*, *Ordinarius* consequenter acceptans renunciationem *paroeciam* eamdem *ex renunciatione vacantem declaret* in scriptis actorum.

§ 2 continet § 2[m] canonis 13 in Dec.° « Maxima cura ». *Potest vero parochus* concessione iuris, *loco causae ab Ordinario invo-*

catae, quae daret locum amotioni oeconomicae, *aliam ad renuntiandum afferre* in renunciationis actu *sibi minus molestam*, quia inter causas amotionis non comprehensa, *vel minus gravem*, quam expostulat can. 2147, *dummodo vera et honesta sit*, *ex. gr.* celans motivum, *ut obsequatur Ordinarii desideriis*, quod semper asseri posset.

Pariter concordat §° 1ae can. 13 Dec.[1] § 3 praescribens. *Renunciatio* haec *fieri potest non solum pure et simpliciter*, seu nihil conditionis, modi, adiiciens, *sed etiam sub conditione* parocho bene visa, *dummodo haec ab Ordinario* a) *legitime* seu iuxta ss. canones *acceptari possit et* b) *reapse accepletur*, *et* c) *firmo praescripto can. 186* « ut renunciatio valida sit ».

Casus particularis ad hunc paragraphum pertinens est de quo fuit interrogata Commissio Pont. ad canones authentice interpretandos. Videlicet [1]: « Utrum loci Ordinarius possit admittere renunciationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio parocciali in favorem parochi renunciantis. Resp.: Affirmative, firmo praescripto can. 1429, § 2 ». Praescriptum est: « quae tamen ne excedat tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus ».

749. De dilatione parocho concedenda, quam Dec. « Maxima cura » moderavit, aliter loquitur *can. 2151. Parochus* invitatus ad renunciandum, *si oppugnare velit causam adductam in invitatione*, sicut declaratum est ad can. 2148, *potest* iure *dilationem* utilis temporis in invitatione designati *ad probationes*, quas forsan non habet paratas, *afferendas postulare* respondendo ad invitationem iuxta can. 2149, § 1, *quam Ordinarius* supradictus *pro suo prudenti arbitrio*, etiam quoad terminum prorogationis, quin examinatorum consensus vel consilium exquiratur, *concedere potest*, quin obligatus sit *dummodo ne sit cessura* dilatio *in detrimentum animarum*, propter hoc enim « concedere illam non potest ».

750. De oppugnatione parochi haec statuit *can.!. 2152* § *1* differt aliquantum a can. 19 Decreti. *Rationes a parocho contra invitationem* renunciandi, quae ut vidimus causam refert et fundamenta, quibus haec innititur, *adductas* omnes *Ordinarius*, *ut valide agat* in sequentibus, *auditis* tantum ad normam can. 105 *iisdem* « duobus » *examinatoribus de quibus* fuit sermo ac declaratio *in can. 2148*, § *1*, pro invitatione perficienda, a) *perpendat*,

[1] 20 Maii 1923, CO. XVI, 116.

b) *approbet* admittendo earum vim, *aut reiiciat* cum remotione parochi.

Viget ex can. 15, § 2 Decreti. « Potest etiam ad aliquod factum vel assertum quod sua intersit comprobandum, duos vel tres testes proponere, et ut examinentur postulare ». Quod patebit ex tenore can. 2153, § 2, et constat ex can. 2145, § 1.

§ 2. *Decisio* Ordinarii, *sive affirmativa fuerit sive negativa* videlicet: sive approbet rationes et cesset in processu, sive reiiciat rationes et amotionem statuat, *parocho* eidem *significetur decreto* alterutrum exprimente.

751. De recursu contra decretum praescribit *can. 2153.* Diversitatem a praescriptis Dec.[i] Maxima cura » habet § *1. Contra decretum amotionis* significatae parocho *potest* iure *parochus* ipse a) *intra decem dies* fatalium a receptione decreti b) *recursum* « dumtaxat » *interponere* « pro revisione actorum » c) *apud eundem Ordinarium, qui, ne invalide agat* in tali revisione, *debet, auditis* ad normam can. 105 *duobus* tantum *parochis consultoribus,* de quibus agit Codex in can. 385-390, a) *novas allegationes* in sui defensionem *ab eodem parocho intra decem dies* computandos ad normam can. 4, § 3, n. 3° *ab interposito* forsan in ultimo fatalium die *recursu producendas, simul cum* b) *rationibus primo* post invitationem renunciandi *allatis,* a) *examinare* iterum, b) *approbare* eas cessando etiam a processu *aut reiicere* confirmando decretum amotionis.

Recursus iste non est confundendus cum altero « iuris remedio, quod est recursus ad Sedem Apostolicam » (can. 2146, § 1), et qui poni potest post reiectionem recursus ab Ordinario peractam definitiva sententia.

§ 2. *Parochus* recurrens ad Ordinarium *potest* iure *eos testes* nempe in totum « duos vel tres » *inducere,* quia *ad normam can. 2145,* § *1, quos prima vice* oppugnando causam invitationis ad renunciandum *se inducere non potuisse* forsitan ob ignorantiam *probaverit,* ut requiritur.

§ *3. Decisio* huius novi examinis rationum et allegationum cum testibus, sive favorabilis sive adversa recursui *decreto nota parocho fiat* ex canonis praescripto, de qua in actis constare debet.

752. De provisione parochi amoti est idem ac in Dec.° sub can. 26, 27, praescriptum. *Can. 2154.* § *1. Amoto parocho* « ex facta sibi invitatione renunciante, aut administrativo modo » declarato (can. 26, § 1), *Ordinarius* idem, a) *examinatoribus vel* b) *parochis consultoribus,* « si usque ad eos causa pervenerit »

can. 26, § 2), iidem *qui partem habuerunt* consilio *in amotione* saltem per invitationem renunciandi *decernenda* ab Ordinario, *in consilium* etiam ad sequens *adscitis* (can. 150), *pro viribus consulat* a) *sive translatione ad aliam paroeciam* « *paris*, inferioris aut etiam superioris ordinis, prout aequitas et prudentia videantur exigere, dummodo dignus idoneusque ad eam regendam sit sacerdos » (can. 27, § 1), *vel* b) *assignatione alius officii aut beneficii, si ad haec*, nempe sibi concedendum ex illis, *idoneus sit, sive* c) *pensione* « servatis de iure servandis » (can. 27, § 2), *prout* a) *casus* in eius circumstantiis *ferat et adiuncta* extrinseca *permittant.*

« In canone 459, § 3, 3° Codicis praescribitur ut loci Ordinarius clericum, quem magis idoneum iudicat ad paroeciam vacantem, examini super doctrina subiiciat coram se et examinatoribus synodalibus. Quaeritur :

2° Utrum examini subiiciendus sit parochus remotus a paroecia qui, ad tramitem canonis 2154, transfertur ad aliam paroeciam ».

[1] Resp. Ad 2[um]. Negative.

Admonet § 2 cum can. 27, § 3. Decreti, *Ceteris paribus* conditionibus, *in provisione* iuxta § 1 *favendum magis renuntianti*, hac de causa, *quam amoto* per decretum, sive recurrat sive non ad Ordinarium.

753. De tempore huius provisionis faciendae solummodo cavet *can. 2155. Negotium novae provisionis parochi amoti*, ut supra declaratum est, *potest Ordinarius* pro eius libitu ac prudentia a) *sive ipso amotionis decreto sive postea*, vel facta renuncitatione post invitationem, *quamprimum tamen*, veluti de re connexa, *expedire* finaliter.

Huic praescripto non obstat regula nunc directiva can. 28, in eius § 2. « Sed potest etiam in ipsa invitatione ad renunciandum vel separatis litteris, pendente amotionis negotio, vel in ipso amotionis decreto provisionem hanc proponere vel indicare, si expediens iudicaverit.

§ 3. In quolibet casu quaestio de provisione futura sacerdotis non debet commisceri cum quaestione praesenti de amotione a paroecia; neque illa hanc impedire aut remorari, si bonum animarum exigat ut expediatur ».

[1] Commissio Pont. ad Cod. canones authent. interpretandos. 24 Nov. 1920. CO. XII, 574.

754. Effectus amotionis recenset eosdem, ac can. 29 Dec.[1] *can. 2156. § 1. Sacerdos*, quatenus *a paroecia amotus*, etiam qui ob invitationem renuntiavit, *debet quamprimum* post decretum firmum ex parte Ordinarii vel acceptationem renunciationis notificatam a) *liberam* ut ab alio inhabitari queat, *relinquere paroecialem*, quia ad beneficium pertinens, *domum, et* b) *omnia quae ad paroeciam pertinent* qualitercumque *novo parocho* forsan instituto *vel oeconomo ab Ordinario interim*, dum providetur paroecia, vel recursus ad Sedem Apostolicam pendet, *deputato tradere.* « Et si moras illegitimas nectat, potest ecclesiasticis sanctionibus ad id cogi ». (can. 29, § 1).

Exceptionem addit § 2. *Si autem de* parocho amoto, sed *infirmo agatur qui e paroeciali domo sine incommodo*, etiam non gravi, ut caritas exposcit, *nequit alio transferri, Ordinarius eidem relinquat* positivo actu *eius* domus *usum etiam exclusivum*, si placeat, vel necesse sit, *eadem* solum *necessitate durante.* Nam « interim novus parocciae rector aliquam aliam temporariam habitationem in paroecia sibi comparari curet ».

TITULUS XXVIII.

De modo procedendi in remotione parochorum amovibilium.

CAN. 2157. - § 1. Parochus quoque amovibilis a sua paroecia amoveri potest ex iuxta et gravi causa ad normam can. 2147.

§ 2. Ad parochos religiosos quod attinet, servetur praescriptum can. 454, § 5.

CAN. 2158. - Si Ordinarius aliquam ex his causis adesse existimaverit, parochum paterne moneat atque hortetur ut paroeciae renuntiet, causam indicans, quae paroeciale ipsius ministerium fidelibus noxium aut saltem inefficax reddit.

CAN. 2159. - Firmo praescripto can. 2149, si parochus renuat, rationes in scriptis reddat, quas Ordinarius, ut valide procedat, perpendere debet una cum duobus examinatoribus.

CAN. 2160. - Si, auditis examinatoribus, Ordinarius allatas rationes legitimas non iudicaverit, paternas iteret hortationes ad parochum, comminata amotione, si intra congruum definitum tempus paroeciam sponte non dimittat.

CAN. 2161. - § 1. Expleto praefinito tempore, quod pro sua prudentia prorogare potest, Ordinarius decretum amotionis emittat.

§ 2. Parocho autem renuntianti aut amoto providere tenetur ad normam can. 2154-2156.

755. Inscriptio tituli et huius canones. — Deinde considerandus est *Titulus XXVIII* nempe: *De modo procedendi* seu norma iuris sequenda *in remotione* rite peragenda modo administrativo *parochorum* ad normam can. 545, § 1, sicut explicatum est in Tituli praec. inscriptione, *amovibilium* simpliciter, eo quod « sta-

bilitate minore gaudent » (can. 454, § 2), ac propterea faciliori modo removentur, quamvis non « ad nutum » seu ex causa rationabili quacumque ac sine processu iuris.

Can. 2157 causas huius amotionis assignat. Similem praecedenti modum procedendi adiungitur, sed faciliorem. Proinde can. 2153 loquitur de invitatione ad renunciandum, quam si parochus oppugnet, eius rationes perpendendas iubet can. 2159, et si non sint attendendae iteranda est adhortatio ad normam can. 2160, quem postea sequitur decretum efficax iuxta can. 2161.

756. De causis huius amotionis agit *can. 2157. § 1. Parochus quoque amovibilis* et patet ex vocabulo *a sua paroecia* rite obtenta *amoveri potest* modo oeconomico tantum *ex iusta et gravi causa ad normam can. 2147* in eius alterutro paragrapho contenta, et hinc non ad nutum Ordinarii. Quoad causam ergo nulla est distinctio cum Titulo praecedenti.

Declarationem confirmat § 2 admonens. *Ad* vero *parochos religiosos*, eo quod in aliqua religione vota emiserunt adhuc vigentia, *quod attinet* removendos, quia « sunt semper ratione personae, amovibiles (sed) ad nutum » *servetur praescriptum* speciale *can. 454*, § 5. Econtra quasi-parochi ex eiusdem canonis § 4 sunt amovibiles nec excipiuntur ab hoc Titulo, saltem ubi « etsi hierarchia constituta sit, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt » illae regiones. (Can. 252, § 3).

Ad confirmationem afferri potest seq. decisio S. C. de P. F. [1]: « E' necessaria l'istituzione del processo canonico per la validità dell'atto con cui il Vescovo trasferisce, rimuove o trasloca un rettore missionario (amovibile) dall'officio di parroco a quello di vicario, ausiliare, o ad un officio inferiore di grado e dignità? — R. In casibus remotionis peragendae in poenam criminis vel reatus disciplinaris, affirmative; in reliquis negative... ».

757. De invitando parocho ad renuntiandum statuit *can. 2158. Si Ordinarius* loci ex contextu *aliquam ex his causis* in can. 2147 positis vel enumeratis *adesse* in parocho amovibili *existimaverit* ex prudenti habita informatione, *parochum* illum *paterne* quoad modum, sed « adhibeatur notarius » ad normam can. 2142, *moneat atque hortetur ut paroeciae* possessae *renuntiet, causam* scripto vel oretenus *indicans, quae* in specie *paroeciale ipsius ministerium* quoad obligationes et iura exercenda *fidelibus* parochianis a) *noxium aut* b) *saltem inefficax* graviter *reddit* propter determinationem illarum causarum.

[1] Collectanea S. C. de P. F. n. 1669. - 28 Martii 1887.

758. De rationum examine, quas fortassis obiicit parochus, loquitur *can. 2159. Firmo* seu etiam ad hunc parochum extenso, *praescripto can. 2149*, pro casu, quo « parochus intra praestitutos (in hortatione) dies » nihil respondeat, *si parochus renuat*, dare renunciationem, *rationes in scriptis reddat*, *quas Ordinarius*, ut supra, *ut valide procedat* ad ulteriora, *perpendere debet una cum duobus* tantum *examinatoribus*, quos respicit can. 389, § .

759. Iterandae hortationes. — *Can. 2160* exponit casum procedendi ulterius, aiens: « *Si, auditis* solummodo ad normam can. 105 *examinatoribus* duobus, ut supra, *Ordinarius allatas* a parocho *rationes* « in scriptis » *legitimas* ad infirmandum remotionis fundamentum *non iudicaverit*, a) *paternas*, ut supra declaratae sunt, *iteret hortationes ad parochum* in actis referendas, b) *comminata* simul *amotione* sequutura, *si intra congruum* iudicio Episcopi prudenti definitum in comminatione *tempus paroeciam* de qua agitur *sponte* renuntiando eam *non dimittat.*

760. De amotione ac provisione parochi cavet *can. 2161. Expleto praefinito tempore*, cuius terminus expectandus est, *quod pro sua prudentia* concedens *prorogare potest*, *Ordinarius decretum amotionis emittat* parocho notificandum.

§ 2. *Parocho autem* amovibili a) *renuntianti* ex praedicta hortatione prima vel iterata, *aut* b) *amoto* per decretum *providere* Ordinarius *tenetur* non aliter ac inamovibili seu *ad normam can. 2154-2156*, in quo ultimo agitur de parocho « infirmo qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri », ac propterea supponitur teneri ad servandum praescriptum eiusdem canonis § 1.

TITULUS XXIX.

De modo procedendi in translatione parochorum.

CAN. 2162. - Si bonum animarum postulet ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam transferatur, Ordinarius eidem translationem proponat ac suadeat ut eidem pro Dei atque animarum amore consentiat.

CAN. 2163. - § 1. Parochum inamovibilem Ordinarius invitum transferre nequit, nisi speciales facultates a Sede Apostolica obtinuerit.

§ 2. Parochus vero amovibilis, si paroecia *ad quam* non sit ordinis nimio inferioris, etiam invitus transferri potest, servatis tamen praescriptis canonum qui sequuntur.

CAN. 2164. - Si parochus consilio ac suasionibus Ordinarii non obsequatur, rationes in scriptis exponat.

CAN. 2165. - Ordinarius, si, non obstantibus allatis causis, iudicet a proposito non esse recedendum, debet, ut valide agat, super eisdem causis audire duos parochos consultores, et cum eisdem perpendere

adiuncta in quibus versatur tum paroecia *a qua*, tum paroecia *ad quam*, et rationes quae translationis utilitatem aut necessitatem suadent.

CAN. 2166. - Si, auditis parochis, Ordinarius translationem peragendam censeat, paternas exhortationes iteret ut parochus voluntati sui Superioris morem gerat.

CAN. 2167. - § 1. His peractis, si parochus adhuc renuat et Ordinarius adhuc putet translationem esse faciendam, parocho praecipiat ut intra certum tempus ad novam se conferat paroeciam, eidem in scriptis significans, elapso praefinito tempore, paroeciam, quam in praesens obtinet, ipso facto vacaturam esse.

§ 2. Hoc tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declaret.

761. Inscriptio tituli et canones. — Semper fuit retentum in Ecclesia, quod Urbanus III [1] respondet in eius Decretali, quae incipit: « Quaesitum est ex parte tua, si commutationes fieri valeant praebendarum, cum commutatio dignitatum in Turon. Concilio fuerit interdicta ». Et infra inquit: « Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere ».

Ad hoc vero, ut quando agitur de parochis eorum stabilitati prospiciatur., additus est *Titulus XXIX. De modo procedendi* ad normam iuris *in translatione parochorum* quorumlibet, iuxta declarationem datam ad inscriptionem Tituli XXVII, quia in translatione habetur implicita quaedam remotio a paroecia possessa.

Quo modo incipiat Ordinario in hunc finem agere proponit can. 2162, et subditur statim can. 2163 de facultate, quam habent Ordinarii ad hunc actum. Responsio parochi negativa regitur can. 2164, et rationum examen can. 2165 moderatur. Processus ad ulteriora fiat secundum can. 2166, 2167.

762. Initium huius processus. — *Can. 2162* quoad causam translationis applicat Decretalem Urbanianam hoc modo. *Si bonum animarum* unius alteriusve paroeciae *postulet ut parochus* quilibet *a sua, quam utiliter regit*, ac proinde a qua removeri nequit iuxta praecedentes titulos, *ad aliam paroeciam* eiusdem dioecesis *transferatur*, *Ordinarius* loci ex contextu *eidem translationem* hanc a) *proponat ac* b) rationibus *suadeat* in hunc finem *ut eidem* translationi ab Ordinario facienda *pro Dei atque animarum amore consentiat.*

In casu autem consentiendi, applicanda est decisio Commiss. Pont. [2] sequens: « In canone 459, § 3, 3° Codicis praescribitur ut loci Ordinarius clericum, quam magis idoneum iudicat ad pa-

[1] Cap. 5, tit. « de rerum permutatione » (III, 19) X. — [2] 24 Nov. 1920. CO. XII, 574.

roeciam vacantem, examini super doctrina subiiciat coram se et examinatoribus synodalibus. Quaeritur: — 1° Utrum huic examini subiici debeat clericus iam de una paroecia provisus, *toties quoties* de nova paroecia providendus erit; an vero sufficiat periculum semel factum pro prima paroecia. — Resp. ad 1um: Ad 1am partem providebitur in 2a. Ad 2am partem, *affirmative*, si translatio fiat *proponente ac suadente* Ordinario; negative si fiat *ad instantiam* parochi, nisi Ordinarius cum examinatoribus synodalibus iudicet idoneitatem adhuc perdurare, eamque esse sufficientem ad novam parochiam ».

Imo huc memorari oportet aliud dubium solutum sub n° 3°. Utrum pariter examini subiiciendus sit parochus qui ex officio transfertur ad aliam paroeciam, ad tramitem tituli XXIX, libri IV, canonum 2162-2167. — Resp. Ad 3um negative. Et huic praeiverat resolutio S. C. C. sequenti dubio data [1]: « An requiratur concursus vel saltem examen in parochorum translatione de qua in can. 2162 et seq. Codicis Iuris Canonici. — Emi. Patres respondendum censuere: Negative ad utrumque ».

763. De necessario parochi consensu in quampluribus casibus extat *can. 2163. § 1. Parochum inamovibilem* ad normam can. 454, § 3, *Ordinarius* loci ex contextu *invitum transferre nequit, nisi speciales* ad hoc *facultates* pro uno vel pluribus casibus vel ad tempus *a Sede Apostolica* per S. C. Concilii *obtinuerit*. Obstat enim ius quaesitum a parocho in ea paroecia, quam possidet inamovibiliter.

§ 2. *Parochus vero amovibilis* ad normam can. 454, §§ 3, 4, hoc ipso, *si paroecia ad quam* transferatur *non sit ordinis nimio inferioris* etsi quoad temporalia, hoc enim in casu obstat ex aequitate saltem ius quaesitum, *etiam invitus transferri potest* ab Ordinario, *servatis tamen* ob positivum ius *praescriptis canonum qui* sub hoc Titulo *sequuntur*.

764. Renisus parochi *can. 2164* regitur. *Si parochus* de quo in can. 2162, inamovibilis vel amovibilis *consilio ac suasionibus Ordinarii*, ut translationi libere consentat, ad quod propterea non est obligatus, *non obsequatur*, praescripto huius canonis *rationes in scriptis exponat* tradendis Ordinario.

765. Perpensio rationum est moderanda *can. 2165. Ordinarius* loci ex contextu, *si, non obstantibus allatis* a parocho *causis* renisus, *iudicet a proposito* suo *non esse recedendum, debet* vi huius canonis, *ut valide agat* in hoc actu, a) *super eisdem causis*

[1] 21 Iun. 1919. CO. XI, 321.

supra declaratis, *audire* ad normam can. 105 *duos* solum *parochos consultores*, de quibus agunt can. 385-390, *et* b) *cum eisdem perpendere adiuncta in quibus versantur tum paroecia « a qua » tum paroecia « ad quam »*, termini translationis, *et rationes quae translationis* in seipsa *utilitatem aut necessitatem suadent* saltem ipsi Ordinario.

766. De iteratione suasionis praescribit *can. 2166. Si, audidit* solum *parochis* ad normam can. praec., *Ordinarius* ille *translationem* hanc *peragendam censeat* in eius prudenti conscientia, *paternas exhortationes*, quae in actis constent, *iteret ut parochus* inamovibilis vel amovibilis transferendus *voluntati* expressae *sui Superioris morem gerat*, recedendo a propria voluntate.

767. De praecepto imponendo est postremus *can. 2167. § 1. His*, quae hucusque iussa sunt, rite *peractis sine effectu*, a) seu *si parochus* transferendus *adhuc renuat et* b) *Ordinarius adhuc putet translationem* hanc personae *esse faciendam*, *parocho* tali *praecipiat*, atque adhibeatur notarius, qui scripto consignet actum (can. 2142), a) *ut intra certum tempus ad novam* sibi designatam *se conferat* de facto *paroeciam*, *eidem* b) *in scriptis significans* simul, *elapso praefinito tempore*, *paroeciam*, *quam in praesens obtinet*, *ipso facto vacaturam esse*, vel propter translationem peractam, vel propter sanctionem inobedientiae.

Consequenter statuit § 2. *Hoc tempore*, quod determinatum fuit, *inutiliter* ob renisum parochi, *transacto*, *paroeciam*, a qua translatio fienda erat, *vacantem*, ut revera est, *declaret*.

TITULUS XXX.

De modo procedendi contra clericos non residentes.

Can. 2168. - Parochum, canonicum aliumve clericum, qui residentiae legem, qua ratione beneficii tenetur, negligat, Ordinarius moneat, et interim, si agatur de parocho, eiusdem impensis provideat ne salus animarum detrimentum patiatur.

§ 2. In monitione Ordinarius recolat poenas quas incurrunt clerici non residentes itemque praescriptum can. 188, n. 8, et clerico significet ut intra congruum tempus ab eodem Ordinario definiendum residentiam instauret.

Can. 2169. - Si intra praestitutum terminum clericus nec residentiam instauret nec absentiae causas afferat Ordinarius, servato praescripto can. 2149, declaret paroeciam aliudve beneficium vacare.

Can. 2170. - Si clericus residentiam instauret, Ordinarius, non modo debet, si absentia illegitima fuerit, ei infligere privationem fructuum pro tempore absentiae, de qua in can. 2381, sed potest etiam, si casus ferat, pro gravitate culpae eum congrue punire.

Can. 2171. - Si clericus residen-

tiam non instauret, sed absentiae causas afferat, Ordinarius, accitis duobus examinatoribus synodalibus et institutis, si opus fuerit, opportunis investigationibus, videre debet num causae sint legitimae.

Can. 2172. - Si, auditis examinatoribus, Ordinarius censeat adductas causas non esse legitimas, rursus clerico praefigat terminum intra quem redire debet, salva semper privatione fructuum pro tempore absentiae.

Can. 2173. - Si parochus amovibilis intra praescriptum tempus non redierit, Ordinarius statim procedere potest ad paroeciae privationem ; si redierit, Ordinarius det ei praeceptum ne rursus discedat sine scripta sua licentia sub poena privationis paroeciae ipso facto incurrenda.

Can. 2174. - § 1. Si clericus, qui beneficium inamovibile obtinet, residentiam non instauret, sed novas alleget deductiones, Ordinarius eas eisdem examinatoribus ad examen revocet ad normam can. 2171.

§ 2. Si nec ipsae legitimae habitae fuerint, posthabitis quibusvis aliis deductionibus , Ordinarius clerico praecipiat ut intra tempus praescriptum vel iterum praescribendum redeat sub poena privationis beneficii ipso facto incurrenda.

§ 3. Si non redeat, Ordinarius eum beneficio privatum declaret ; si redeat, Ordinarius idem det praeceptum de quo in can. 2173.

Can. 2175. - Neutro in casu Ordinarius beneficium vacare declaret, nisi postquam, perpensis una cum examinatoribus discessus rationibus quas clericus forte allegaverit, eiusdem Ordinarii licentiam in scriptis ab eodem clerico peti potuisse constiterit.

768. Inscriptio tituli ac ordo canonum. — Deinde considerandus est *Titulus XXX*. Etenim de residentia clericorum agitur in can. 188, 2149, 2381, sub quibus diversa ponuntur praescripta. Eorum adimplementum, quia clericis non residentibus erunt invisa, oportet ut Praelati suam exerceant auctoritatem ad hoc, ut clerici pareant iuri constituto. Et en causa inscriptionis. *De modo procedendi*, quem rite servat Ordinarius in canonum adimplementum *contra clericos* saltem de facto *non residentes* in loco, ad quem obligantur ratione beneficiorum. Has leges residentiae observari Ecclesia curavit semper, ut patet ex Decretalibus et ex Conc.[1] Trid.[1] decretis, quae in lucem posita sunt per diversas declarationes S. C. C. authenticas.

Modus nunc servandus initium sumit monitione, quam regit can. 2168, quem sequitur quandoque vacantia beneficii, ut disponit can. 2171, 2172 normas agendi praescribunt. Postea ulteriora considerat can. 2173, si parochus sit amovibilis, et can. 2174, si ille sit inamovibilis, addente can. 2175 norma prae oculis habenda pro utriusque beneficii vacatione inde procedente.

769. Principium in hoc processu sit resp. S. C. C. [1] sequenti dubio : « VI Utrum absentiae (a choro) tempus sit per dies an per horas canonicas supputandum, et quoties dies illegitimae absentiae requirantur ut quis irresidens censeatur, ac contra

[1] 9 Mart. 1920. CO. XII, 364.

eum procedi possit ad normam can. 2168-2175. — Emmi. Patres respondendum censuere: ... Ad VI. Esse supputandum per dies integras et tempus illegitimae absentiae computari statim a tempore transacto trium mensium, seu alio, illegitimae vacationis ». Quod ad primam partem iam haec S. Congregatio in Aquilana [1] censuit: « Ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii, qui novem punctaturarum ex duodecim, quae ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint; sed ipsos dies residentiae et servitii, sive continui fuerint sive interpolati, numerandos esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium ».

770. Initium processus fit per monitionem, quam respicit *can. 2168.*

Alex. III [2] inquit: « Pervenit ad nos: quod cum G. Ecclesiae tuae canonicum, ut in ea residentiam faceret, monuisses in appellationem prorupit: et infra. Cum autem frustatoriae dilationis causa videatur dictus canonicus appellasse. Mandamus, quatenus eum studiose moneas, ut in eadem ecclesia residentiam faciat: vel infra terminum eam prosecuturus, iter ad nos arripiat veniendi. Interim vero alicui honestae personae, vices eius in ecclesia praetaxata committat, et ei de beneficiis illius assignes, unde possit congrue sustentari ».

Huic et aliis iuris textibus congruit in eius prima parte § *1. Parochum* ad normam can. 451, § 2, agitur enim de obligatione parochorum, b) *canonicum*, quorum nempe « collegium ideo institutum est ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeat », (can. 391, § e) c), *aliumve clericum*, quia hi « soli possunt beneficia ecclesiastica obtinere » (can. 118), *qui*, unusquisque illorum *residentiae* tum materialis in loco sui beneficii tum formalis seu cum adimplemento obligationum beneficialium, *legem*, in can. 465, 414, 418, 1475, § 1, *qua ratione beneficii* proprie dicti ad normam can. 1409 et 1410, *tenetur*, ac proinde excludantur ab hoc canone, ceteri vicarii paroeciales etsi « plena potestate paroeciali sint praediti », (can. 451, § 2, 3°), quia solus personae moralis « vicarius, qui actualem curam gerit animarum », habet suum beneficium: quicumque ergo praedictorum iuxta declarationem *neglígat* graviter illam legem, *Ordinarius* loci ex contextu a) *moneat* eumdem ex canonis praescripto, *et* b) *interim*, seu usquequo ite-

[1] 17 Iun. 1594. CO. XII, 362. — [2] Cap. 28 « De appellationibus » (II, 28) X.

rum resideat, sub conditione *si agatur de parocho*, ut est declaratus, *eiusdem* beneficii *impensis* substituto assignandis *provideat ne salus animarum* in paroecia *detrimentum patiatur*, sicuti Conc. Trid. decreverat [1]: « quibus casibus nihilominus officium sit Episcoporum (potestate tunc delegata), providere, ut per deputationem idoneorum vicariorum et congruae portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur ».

Tenorem monitionis respicit § 2. *In monitione* praedicta *Ordinarius recolat* expresse a) *poenas quas incurrunt clerici non residentes*, nempe: « eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitimae absentiae, eosque tradere debet Ordinario » (can. 2381), b) *itemque praescriptum can. 188, n. 8*, quo officium vacat ipso facto et sine ulla declaratione, si « receptae Ordinarii monitioni, legitimo impedimento non detentus, intra congruum tempus ab Ordinario praefinitum, nec paruerit nec responderit », quapropter additur in canone: *et* c) *clerico significet* in monitione § 1^ae^, *ut intra congruum* iuxta circumstantias casus *tempus ab eodem Ordinario* ibidem *definiendum residentiam* debitam *instauret* reapse.

771. Declaratio vacationis beneficii potest ac debet fieri, ut iubet can. 2169.

Etenim sic legitur in cap. 4 « de clericis non residentibus » (III, 4) X: « Relatum est nobis, quod cum in Lateranensi Concilio statutum sit, ut personae tali ecclesia vel beneficium ecclesiasticum conferatur, quae residere in loco, et curam eius per se valeat exercere: nonnulli ad ecclesias praesentati hoc se posse affirmant, sed efficere contradicunt: et infra. Cum igitur verba accipienda sint cum effectu, tales si praesentati fuerint, ... et admissi poterunt amoveri: nisi forte de licentia suorum praelatorum, vel studio litterarum, vel pro aliis honestis causis contigerit eos abesse ».

Et in cap. 10 eiusdem tituli ait Innoc. III Constantinopolitano patriarchae: « hoc tibi duximus respondendum: quod postquam congruo tempore fuerint expectati (qui ecclesias vel praebendas sibi concessas, sine iusta et necessaria causa deserunt), nisi redierint ad illas, possunt eis iuste privari: dummodo non sint iusto impedimento detenti ».

Haec omnia praevidens praescriptum canonis iuxta novam disciplinam, statuit: *Si intra praestitutum* in monitione canonis praec. *terminum clericus* peccans contra residentiae legem si-

[1] Sess. VI, cap. III in fine.

mul a) *nec residentiam* iuxta factam ipsi significationem *instauret* b) *nec absentiae* a loco residendi *causas afferat* scriptis respondens Ordinario, idem *Ordinarius*, *servato praescripto can. 2149* ad hunc casum extensi in eiusdem utroque paragrapho, et illo aptando, videlicet: « postquam constiterit et monitionem praedictam clerico illegitime absenti innotuisse (ad normam can. 2143), et ipsum quominus responderet legitime impeditum non fuisse », *declaret* aliquo decreto *paroeciam* specialiter nominatam ob iurisdictionis et officii sequelas erga populum fidelem, *aliudve*, etsi canonicatus, *beneficium* residentiale *vacare*, sicut revera evenit « ob tacitam renunciationem ab ipso iure admissam... ipso facto (can. 188, 8°) et sine ulla declaratione » quoad inducendam vacationem ipsam.

§ 2 canonis 2149 sic aptandus erit. « Quod si non constet de superius indicatis duobus adiunctis, Ordinarius opportune provideat aut iterando monitionem aut prorogando tempus utile ad respondendum » vel instaurandam residentiam.

772. Punitio redeunti debita est, quam decernit *can. 2170. Si clericus* « parochus, canonicus, aliusve » iuxta declarationem can. 2168, § 1, secundum monitionem eidem intimatam *residentiam instauret* ad quam tenetur, *Ordinarius* loci beneficii, *non modo* a) *debet* vi huius canonis, *si absentia illegitima fuerit* quod probandum est extraiudicialiter, *ei infligere* per decretum *privationem fructuum pro tempore absentiae*, idest: omnium pro rata illegitimae absentiae, seu *de qua in can. 2381*, videlicet: in effectum urgere « privationem eo ipso » incursam, *sed* b) *potest etiam*, « verbis facultativis lex utitur » (can. 2223, § 2), *si casus ferat*, nempe: attentis circumstantiis, *pro gravitate culpae*, quae semper in poenis infligendis est consideranda, *eum* clericum praedictum *congrue* poena sic indeterminata *punire* servatis normis circa poenam, quam inferat.

773. Altera hypothesis est quam considerat *can. 2171. Si clericus* declaratus ad can. praec. a) *residentiam non instauret*, b) *sed absentiae* suae *causas* « intra praestitutum in monitione tempus » (can. 2169) *afferat* equidem in scriptis, *Ordinarius* qui monuit, a) *accitis duobus* pro libitu *examinatoribus* synodalibus *et* b) *institutis*, *si opus fuerit* ad elucidationem *opportunis investigationibus* de illis causis, *videre debet* de consilio illorum *num causae* a clerico allatae *sint legitimae*, videlicet: extent et sufficientes sint ad excusandum a residentia saltem ex consensu Praelati.

774. Hypothesis consequens erit, quam examinat *can. 2172. Si*, a) *auditis examinatoribus*, de quibus factum est verbum in can. praec. et hinc confirmatur interpretatio « de consilio illorum » secundum can. 105, 1°, *Ordinarius* b) *censeat* iuxta propriam sententiam sic efformatam *adductas* a clerico non residente *causas non esse legitimas* iuxta declarationem can. praec., *rursus praefigat* ei scribens *terminum intra quem* indilate *redire* de facto *debet* ille ad locum residentiae, *salva semper*, quocumque facto interveniente, *privatione fructuum* ipso facto incursa et infligenda iuxta declarationem can. 2170, *pro* toto *tempore absentiae*, quia haec ut in hypothesi est illegitima ad normam can. 2381.

775. De parocho amovibili quoad prosecutionem processus statuit *can. 2173. Si parochus amovibilis* ad normam can. 454, §§, 3, 4, *intra praescriptum* vi can. 2172 *tempus non redierit*, *Ordinarius statim* ac illud plene transactum fuerit *procedere potest*, quia est in eius potestate expectare amplius, *ad paroeciae* illius *privationem* per decretum ex motivo non servatae residentiae; *si* e contra *redierit* « intra praescriptum tempus », *Ordinarius det* ex praescripto canonis *ei* parocho amovibili *praeceptum*, servato can. 2142, a) *ne rursus discedat* ad quodcumque tempus et qualibet ex causa b) *sine scripta sua licentia* c) *sub poena privationis paroeciae* illius *ipso facto* transgressionis praecepti *incurrenda*.

776. De parocho inamovibili simul ac de aliis beneficiariis decernit *can. 2174. § 1. Si clericus*, tum parochus inamovibilis, tum canonicus vel alius, de quibus sub initio can. 2168, *qui beneficium inamovibile obtinet*, prout sunt « omnia beneficia saecularia, nisi aliud ferat vel lex fundationis, vel consuetudo immemorabilis vel peculiare indultum » (can. 1438), a) *residentiam non instauret* post servatum can. 2172, b) *sed novas* respectu priorum *allegel deductiones*, ut se excuset a residendo, *Ordinarius eas* « novas » *cum eisdem examinatoribus* « duobus accitis » prius (can. 2177) *ad examen* legitimitatis earum *revocet* seu *ad normam can. 2171.*

§ 2. *Si nec ipsae* « novae allegatae deductiones » *legitimae habitae fuerint* ab Ordinario post illud examen, a) *posthabitis* seu non amplius perpensis *quibusvis aliis*, quas fortassis congerat absens, vel aliunde petitis, *deductionibus*, b) *Ordinarius clerico* cuilibet sub §° 1ª comprehenso, *praecipiat* c) *ut intra tempus praescriptum*, si non plene effluxerit et adhuc censeatur congruum ut redire possit, *vel* alias *iterum praescribendum* in

tenore praeceepti *redeat* de facto d) *sub poena privationis beneficii* illius inamovibilis *ipso facto* transgrediendi praeceptum *incurrenda*. Est consonum decreto [1] Conc. Trid.: « Quod si, per edictum citati etiam non personaliter contumaces fuerint; liberum esse vult Ordinariis (Sacra Synodus) per ... alia iuris remedia, etiam usque ad privationem, compellere ».

§ 3. *Si* clericus contra praeceptum sibi intimatum *non redeat* in residentiae locum, *Ordinarius eum beneficio privatum* vi poenae precepto additae *declaret* aliquo decreto; *si* e contra parens praecepto *redeat*, *Ordinarius idem det praeceptum* iam declaratum *de quo in can. 2173*. Videlicet: « ne rursus discedat sine scripta sua licentia sub poena privationis (beneficii inamovibilis) ipso facto incurrenda ».

777. Conditio declarationis praevia est, quam decernit *can. 2175*. *Neutro in casu*, nempe: « parochi amovibilis » (can. 2173) aut « clerici, qui beneficium inamovibile obtinet » (can. 2174); *Ordinarius beneficium*, etsi amovibilis paroeciae, *vacare declaret* iuxta praescripta illorum canonum, *nisi*, hoc duplici requisito adimpleto, *postquam*, a) *perpensis una cum examinatoribus*, sub poena nullitatis actus ex can. 105, 1°, *discessus rationibus quas clericus forte allegaverit* semel pro parocho inamovibili, vel iterum quoque pro clerico beneficiario inamovibili, *eiusdem Ordinarii* loci ex contextu *licentiam in scriptis ab eodem clerico peti potuisse constiterit* in actis processus.

TITULUS XXXI.

De modo procedendi contra clericos concubinarios.

Can. 2176. - Ordinarius clericum qui contra praescriptum can. 133 mulierem suspectam secum habeat aut quoquo modo frequentet, moneat, ut eam dimittat vel ab eadem frequentanda sese abstineat, comminatis poenis in clericos concubinarios can. 2359 statutis.

Can. 2177. - Si clericus neque praecepto pareat, neque respondeat, Ordinarius, postquam sibi constiterit id clericum praestare potuisse:

1.° Eum suspendat a divinis;

2.° Parochum praeterea statim paroecia privet;

3.° Clericum vero qui aliud beneficium sine animarum cura habet, si, exacto bimestri tempore a suspensione, sese non emendaverit, privet dimidia parte fructuum beneficii; post alios tres menses, omnibus beneficii fructibus; post alios tres menses, ipsomet beneficio.

Can. 2178. - Si clericus non obediat, sed causas excusationis adducat, Ordinarius debet super eisdem audire duos examinatores.

[1] Sess.. XXIII, cap. 1.

Can. 2179. - Si auditis examinatoribus, Ordinarius existimaverit allatas causas non esse legitimas, id clerico quamprimum significet eique det formale praeceptum ut intra breve tempus a se definiendum pareat.

Can. 2180. - Parochum amovibilem inobedientem Ordinarius statim ad normam can. 2177 coercere potest; si vero agatur de clerico qui, beneficium inamovibile obtinens, non paret, sed novas allegat deductiones, Ordinarius eas ad examen revocet ad normam can. 2178.

Can. 2181. - Si ne eae quidem iudicentur legitimae, Ordinarius clerico rursus praecipiat ut intra congruum tempus mandato obtemperet; quo tempore inutiliter transacto, procedat ad normam can. 2677.

778. Inscriptio tituli.—Deinde considerandus est *Titulus XXXI* inscriptus *De modo* extraiudiciali *procedendi* contra *clericos*, sive parochialium ecclesiarum rectores, sive beneficia ecclesiastica possidentes, sive paroecias aut beneficia praedicta non habentes, *concubinarios*, sic dictos propter frequentiam huius peccati cum muliere. De his enim Conc. Trid. [1] decrevit: « supradictorum omnium cognitio ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura iudicii, et sola facti veritate inspecta, procedere possint ».

Delictum vero sic reprobatur ibidem. « Quam turpe ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque clericalis militiae dedecore, testatur. Ut igitur ad eam quam decet, continentiam ac vitae integritatem ministri Ecclesiae revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet S. Synodus quibuscumque clericis ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis, puniantur ».

779. Ordo canonum exponit ordinate diversos actus ad clericos concubinarios coercendos, servatis quoad substantiam mente ac sententia Patrum Tridentinorum. Can. 2176 omnes respicit huiusmodi clericos et monendos statuit. Can. 2177 poenas diversis infligendas enuntiat in determinatis casibus. Pro his, qui excusationes suae conversationis afferant, dantur alii canones. Videlicet illas esse examinandas statuit can. 2178, et examinis exitum considerat can. 2179, addito can. 2180 contra clericos, qui non pareant, sed distinctionem adhibens: aliasque deductiones examinare et consequens praeceptum dare iubet can. 2181.

780. Monitio praemittenda est, prout iubet *can. 2176. Ordinarius* loci ex contextu *clericum* praesertim constitutum in sa-

[2] Sess. XXV, cap. 14.

cris, *qui contra praescriptum can. 133* in suis primis tribus paragraphis, ibidemque declaratum, *mulierem suspectam* de facto respectu eiusdem clerici, a) *secum* idest: habitantem sub eodem tecto *habeat*, *aut* b) *quoquo modo frequentet*, quod verificari « in peculiari aliquo casu circa illas in quas communiter suspicio non cadit », ex Ordinarii loci prohibitione constaret, *moneat* formaliter ad normam can. 2143 *ut* pro casus diversitate a) *eam dimittat vel* b) *ab eadem frequentanda sese abstineat*, *comminatis* simul *poenis in* diversos *clericos concubinarios*, prout esse huiusmodi « contumaces praesumuntur » (can. 133, § 4), *can. 2359 statutis*, et quae recensentur et infligendae explicantur in can. sequenti, dum erant graviores, quae in Decretalibus decernuntur, nam ibidem excommunicatio infligenda invenitur.

781. Poenae infligendae sic enumerantur *can. 2177. Si clericus*, prout fuit in can. praec. declaratus, admonitus, a) *neque praecepto* canonis *pareat*, b) *neque respondeat*, excusando se de modo operandi, *Ordinarius* loci ex contextu, *postquam sibi constiterit* positivis probationibus extraiudicialibus, quae virum prudentem suadeant, *id* nempe: alterutrum, *clericum* illum *praestare potuisse*, quia et monitionem recepit atque sufficiens tempus fuisse transactum ut adimpleret debitum:

1° *Eum*, quicumque ille sit, *suspendat* ex verbo canonis praeceptivo *a divinis;* quae suspensio vetat « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet » (can. 2279, § 2, 2°), et in casu est censura. Sic determinatum est, quod habetur in Conc. Trid. [1]: « Clerici vero, beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes, iuxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros canones puniantur ».

2° *Parochum* sive amovibilem sive inamovibilem *praeterea* idest: ultra suspensionem ut in n° 1°, *statim*, unde cumulate ad illam, *paroecia* per decretum *privet*. Ita nunc rigorosior facta est in hoc puncto disciplina Conc.[1] Trid.[1] [2]: « Quia... parochialium ecclesiarum rectores... alii propter eorum vitae turpitudinem potius destruunt quam aedificant; ... Eos qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, (Episcopi) coerceant ac castigent; et si adhuc incorregibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptio-

[1] Sess. XXV, cap. 14. — [2] Sess. XXI, cap. 6.

ne et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant ».

3° *Clericum vero*, sive in minoribus sive in sacris constitutus, *qui aliud beneficium* in can. 1409 definitum, *sine animarum cura*, etiam canonicatum *habet*, a) *si, exacto bimestri a suspensione* incursa propter intimationem, *sese non emendaverit, privet* decreto, quin alia monitio requiratur, *dimidia parte fructuum* ratione beneficii ipsi obvenientium; b) *post alios tres menses* a fine bimestri praecedentis, et supposita conditione supra posita, « privet » ut declaratum est, *omnibus beneficii fructibus* post hoc novum decretum percipiendis; c) *post alios tres menses* ab hac secunda privatione, privet ob praeceptum canonis *ipsomet beneficio* equidem oeconomico processu, quem exponimus.

Sic enim practicam nacta est applicationem [3] Dec. Conc. Trid., cuius tenor talis est: « Quod si, a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur.

Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia foemina perseverantes, secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius... arbitrabitur, suspendantur; et, si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur, etc. »

782. Altera hypothesis est, quam considerat *can. 2178. Si clericus*, ut in can. praec. fuit declaratus *non obediat* « praecepto », ut in praec. can., *sed causas excusationis* pro muliere determinata secum retinenda, aut frequentanda, *adducat* in suae conversationis defensionem, *Ordinarius debet* ad valide procedendum iuxta can. 105, 1° *super eisdem* causis in specie *audire* tantum *duos examinatores* synodales ex contextu.

783. De praecepto imponendo agit *can. 2179. Si*, a) *auditis examinatoribus* in adimplementum can. praec., b) *Ordinarius* iuxta prudentiam suam *existimaverit allatas* a praefato clerico *causas* pro sua excusatione *non esse legitimas*, idest: iuxta ss. canones non cohonestare factum, a) *id clerico* illo *quamprimum*,

[3] Sess. XXV, cap. 14.

quod recte interpretatur intra tres dies *significet*, seu notum faciat directo b) *eique det formale praeceptum* « per legitimum documentum aut coram duobus testibus » (can. 24) et « adhibeatur notarius » ad normam can. 2142, obiectumque sit: *ut intra breve tempus* fortassis quindecim dies vel mensem *a se*, Ordinario *definiendum* in praecepti tenore *pareat* praescripto can. 133 quoad casum determinandum.

784. Effectus praecepti formalis est, quem describit *can. 2180. Parochum amovibilem* ad normam can. 454, §§ 3, 4, *inobedientem* « praecepto formali » sub can. 2179, *Ordinarius statim* post transactum « breve tempus a se definitum » (can. 2179) *ad normam can. 2177* ibi declaratam *coercere* infligendo poenas *potest*, quod verbum est facultativum; *si vero agatur de clerico* alio *qui*, *beneficium* cum animarum cura vel sine ipsa, sed *inamovibile obtinens*, a) *non paret* praecepto formali can. 2179, *sed* b) *novas allegat deductiones* non considerandas iure in parocho amovibili, et si haec deductio non iterat, incideret sub can. 2177, *Ordinarius eas* « novas deductiones » *ad examen revocet ad normam can. 2178*, idest: pro actus validitate subsequentis « debet super eisdem audire duos examinatores », ut videtur, eosdem ac vi illius canonis iam audivit.

785. Decretum definitivum statuit *can. 2181. Si*, pro parocho inamovibili, vel clerico simile possidente beneficium sine cura, *ne eae quidem* novae deductiones *iudicentur* ab Ordinario post examen can. praec. *legitimae*, ut declaratum fuit hoc in can. 2179, *Ordinarius clerico* eidem, proinde *rursus praecipiat* formaliter *ut intra congruum* iudicio Ordinarii *tempus mandato* sibi prius facto *obtemperet; quo tempore inutiliter* seu absque effectu desiderato *transacto*, *procedat* Ordinarius ad *normam can. 2177* ibi declaratam.

TITULUS XXXII.

De modo procedendi contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem.

Can. 2182. - Parochum qui officia paroecalia de quibus in can. 467, § 1, 468, § 1, 1178, 1330-1332, 1344, graviter neglexerit aut violaverit, Episcopus moneat, in memoriam eius revocans et strictam obligationem qua eius conscientia oneratur et poenas in haec delicta iure statutas.

Can. 2183. - Si parochus sese non emendaverit, Episcopus eum corripiat et aliqua congrua poena pro gravitate culpae puniat, postquam, auditis duobus examinato-

ribus et facta parocho sese defendendi facultate, probatum iudicaverit praedicta paroecialia officia etiam atque etiam per notabile tempus in re gravis momenti praetermissa aut violata fuisse et eorundem omissiones aut violationes nulla iusta causa excusari.

CAN. 2184. - Si et correptio et punitio in irritum cesserint, Ordinarius, probata, ad normam can. 2183, perseverante ac culpabili officiorum paroecialium omissione vel violatione in re gravi, parochum amovibilem sua paroecia statim privare potest; parochum vero inamovibilem beneficii fructibus, pauperibus ab Ordinario distribuendis, pro gravitate culpae in totum vel ex parte privet.

CAN. 2185. - Mala voluntate persistente ac probata, ut supra, Ordinarius etiam parochum inamovibilem e sua paroecia removeat.

786. Inscriptio tituli huiusque canones. — Dec. « Maxima cura » in can. 1 recenset inter causas, ob quas parochus administrativo modo amoveri potest: « 8° Neglectionem officiorum parochialium post unam et alteram monitionem perseverans et in re gravis momenti, ut in sacramentorum administratione, in necessaria infirmorum adsistentia, in catechismi et evangelii explicatione, in residentiae observantia » [1].

De hac ultima obligatione sufficienter actum est de parocho simul cum aliis beneficiariis in titulo XXX. Coeterae negligentiae fuerunt omissae in titulis de remotione atque translatione parochorum. Attamen Codex voluit servatam disciplinam, atque additur *Titulus XXXII* specialis: *De modo procedendi* extraiudicialiter *contra parochum* quemlibet, sic dictum ob propriam animaru curam, saltem actualem, *in adimplendis* « maioris momenti » *paroecialibus* positivis *officiis* sub tractatu de parochis ipsi iniunctis *negligentem* frequenter.

Canones quatuor sic disponuntur. Monitionem faciendam statuit can. 2182, et correptionem punitionemque subsecuturam decernit sub conditione can. 2183. His inutiliter adhibitis providet amotionem can. 2184, 2185.

787. Monitio praevia in huius processus inceptione praescribit *can. 2182. Parochum* propter tale proprium officium, *qui officia paroecialia* tantummodo *de quibus* agitur *in can. 467, § 1*, quoad « officia divina celebranda, et administranda Sacramenta fidelibus, quoties legitime petant », aliaque erga diversos parochianos munia, *468, § 1*, circa aegrotos et moribundos, *1178*, de munditia in ecclesiis et arcendis omnibus, quae a sanctitate loci aliena sint, *1330-1332*, « de catechetica institutione » puerorum et adultorum, *1344*, « de consueta homilia » tenenda, *graviter* vel per continuitatem *neglexerit aut* ex rei natura *violaverit* semel

[1] 20 Aug. 1910. CO. II, 638.

vel iterum, *Episcopus* praecise, quo nomine « venit in iure Abbas vel Praelatus nullius » (can. 215, § 2), ac « Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus gaudent » (can. 294, § 1), *moneat* « parochum » vel quasi-parochum, *in memoriam eius revocans* cum illa monitione ad normam can. 2143, a) *et strictam* iuris *obligationem qua eius conscientia* in casu graviter *oneratur* b) *et poenas in haec* diversa *delicta iure* can. 2382 *statutas* ferendae sententiae ac indeterminatas.

788. De correptione ac punitione infligendis servandum est praescriptum *can. 2183. Si parochus* in praec. can. declaratus *sese* post monitionem *non emendaverit*, Episcopus ut in can. praec. intelligendus *eum* a) *corripiat*, quod remedium poenale declaravimus ad can. 2308, *et* b) simul *aliqua congrua* illi *poena* vindicativa *pro gravitate culpae* praesumptae in transgressione *puniat*, sed praevie ad haec duo sit: *postquam*, a) *auditis* pro validitate actus ex can. 105, 1° *duobus* pro libitu *examinatoribus* synodalibus, *et* b) *facta parocho* illi *sese defendendi facultate*, tum notificando processum, tum expectando per aliquod tempus deductiones forsan afferendas, *probatum* ex his *iudicaverit* « Episcopus » *praedicta* a) *paroecialia officia*, etsi unum vel alterum, b) *etiam atque etiam*, quoad repetitas transgressiones c) *per notabile* a prudenti *tempus* d) *in re gravis momenti praetermissa*, si positivo actu complenda, *aut violata*, etiamsi ad omissionem pertineant, *fuisse* ab eodem, *et eorundem* « officiorum » cuiuslibet *omissione aut violationes* singulas requisitas iuxta clausulas *nulla iusta*, proportionata obligationi *causa* sufficienter *excusari*.

789. Posterior privatio statuenda sic proponitur. *Can. 2184 Si et correptio et punitio* simul vel successive inflictae *in irritum cesserint*, ulterius procedat sic *Ordinarius* ad normam can. 198, § 1, *probata*, iudicio ipsius *ad normam can. 2183*, idest: « auditis duobus examinatoribus », quin oporteat, etsi convenit, ut sint iidem ac prius adhibiti, a) *perseverante* per novos actus post dictas correptionem et punitionem *ac* b) *culpabili* c) *officiorum paroecialium*, uniuscuiusque ex designatis sub can. 2182 *omissione vel violatione* declaratis sub can. praec. d) *in re gravi*, a) *parochum amovibilem* et consequenter quasi-parochum ad normam can. 454, § 4, *sua paroecia statim privare* decreto administrativo *potest*, verbis facultativis lex exprimitur; b) *parochum vero inamovibilem beneficii* ipsius *fructibus*, qui nempe « dotem beneficii constituunt » (can. 1410), *pauperibus* taxative *ab Ordinario* eodem *distribuendis* per se vel per alium, *pro gravitate culpae in totum vel ex parte* maiore aut minore *privet* ex canonis

praecepto. Igitur idem posset decernere erga parochum amovibilem loco privationis paroeciae.

790. Privatio parochi inamovibilis per administrativum decretum est admissa per *can. 2185. Mala* parochi *voluntate* supradicta quoad effectum a) *persistente ac* b) *probata, ut supra* in can. praec. fuit declaratum, *Ordinarius etiam parochum inamovibilem*, ac proinde amovibilem, si aequaliter ac illum tractaverit hunc, *a sua paroecia removeat* ex canonis iussu.

TITULUS XXXIII.

De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda.

CAN. 2186. - § 1. Ordinariis licet ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio sive ex parte sive etiam in totum.

§ 2. Extraordinarium hoc remedium adhibere non licet, si Ordinarius potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere.

CAN. 2187. - Ad ferendam hanc suspensionem neque formae iudiciales neque canonicae monitiones requiruntur; sed satis est si Ordinarius, versato praescripto canonum qui sequuntur, simplici decreto declaret se suspensionem indicere.

CAN. 2188. Huiusmodi decretum detur in scriptis, nisi adiuncta aliud exigant, designato die, mense et anno; in eoque:

1.° Expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia seu ex causis ipsi Ordinario notis;

2.° Indicetur tempus durationis poenae; abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda in perpetuum. Potest vero infligi etiam tanquam censura, dummodo hoc in casu clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur;

3.° Clare indicentur actus qui prohibentur, si suspensio non in totum sed ex parte infligatur.

CAN. 2189. - § 1. Si clericus suspensus sit ab officio in quo alius in eius locum substituendus est, ut, ex. gr., oeconomus in cura animarum, qui substituitur mercedem ex fructibus beneficii percipiat secundum prudens Ordinarii iudicium determinandam.

§ 2. Clericus suspensus, si se gravatum senserit, potest imminutionem pensionis petere ab immediato Superiore qui in via iudiciaria esset iudex appellationis.

CAN. 2190. - Ordinarius, qui fert suspensionem ex informata conscientia, debet ex peractis investigationibus tales collegisse probationes, quae eum certum reddant clericum delictum revera perpetrasse et quidem adeo grave ut eiusmodi poena coercendus sit.

CAN. 2191. - § 1. Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet delictum occultum ad normam can. 2197, n. 4.

§ 2. Ob notorium delictum suspensio ex informata conscientia nunquam ferri potest.

§ 3. Ut delictum publicum suspensione ex informata conscientia plecti possit, occurrat necesse est aliquod ex adiunctis quae sequuntur:

1° Si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint ut de eo testimonium in iudicio ferant, neque aliis probationibus delictum iudiciali processu evinci possit;

2.° Si ipsemet clericus minis aut aliis adhibitis mediis impediat ne processus iudiciarius instituatur aut inceptus perficiatur;

3.° Si processui iudiciali conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta exoriantur ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo.

Can. 2192. - Suspensio ex informata conscientia valet si ex pluribus delictis unum tantum fuerit occultum.

Can. 2193. - Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere, pastorali tamen adhibita sollicitudine et caritate, ut, si delictum clerico manifestare censuerit, poena, ex paternis quae interposuerit monitis, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis et ad occasionem peccati eliminandam inserviat.

Can. 2194. - Si clericus recursum a suspensione sibi inflicta interponat, Ordinarius ad Sedem Apostolicam mittere debet probationes quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod extraordinaria hac poena puniri queat.

Titulus XXXIII De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda
- quibusdam limitate competente — Can. 2186
- per decretum
  - simplex — » 2187
  - quodam sub tenore — » 2188
  - alio substituto cum mercede — » 2189
- legitimo
  - quoad probationes — » 2190
  - ob quaedam tantum delicta — » 2191
- etiam ob unum occultum delictum — » 2192
- cum libertate
  - manifestandi causam — » 2193
  - recursus in clerico suspenso — » 2194

791. Inscriptio tituli. — Eiusdem explicationi deserviant verba Instr. S. C. de P. F. [1], quibus eadem circa rem hanc classica incipit: « Omni tempore sollicita fuit Ecclesia ut non solum ascensus ad sacros Ordines interdiceretur indignis, verum etiam ab eorumdem exercitio criminosi suspensi manerent.

Cum autem occultorum quoque criminum quaeque prodere non expediret, facilis ac prompta, nempe a iudiciariis formis libera, coercitio aliquando necessaria sit ad sacri ministerii dignitatem, et fidelium utilitatem tuendam, hinc sapientissimo consilio Tridentini Patres Sess. XXIV, cap. I de Ref. decreverunt: « Ei cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus vel gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut

[1] 20 Oct. 1884. Collectanea S. C. de P. F. n. 1628.

ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur ».

Ex hoc provido decreto, in eo quod refertur ad clericorum crimina, quae extraiudicialem suspensionem ab ecclesiasticis officiis merentur, iamdudum in usu fuit suspensionis poena ex causis Praelato notis; quae nempe audit supensio ex informata conscientia ». Patet ergo fundamentum iuridicum huius processus, atque verba canonica usu invecta per Doctores, atque adprobata in foro ecclesiastico. Et quidem iam ab antiquo secundum propositionem Syn. Pistoriensis 49 damnatam [1], quae talis est: « Item, quae damnat ut nullas et invalidas suspensiones ex informata conscientia: — falsa, perniciosa, in Tridentinum iniuriosa ».

Igitur *Titulus XXXIII* et ultimus huius Libri IV inscribitur *De modo procedendi* extraiudicialiter ac nunc servando *in suspensione* quacumque, nam de prohibitione ascendendi ad sacros ordines alibi provisum est a Codice, *ex informata conscientia*, quia ex motivis Praelato notis per sufficientes viro prudenti probationes ipse dirigitur in ea *infligenda* clericis, qui sunt in sacris constituti.

Talis modus fuit per plures decisiones ac declarationes tum Congr. EE. et RR. tum praesertim S. Congr. C. explicatus, et num ordinate sub hoc Titulo digestus.

792. Canones sic coordinantur, ut facultas procedendi circumscribatur per can. 2186. Postea formalitates, tum praecedentes, tum comitantes decretum, tum in speciali casu servandas praescribant can. 2187-2189. Probationes respicit can. 2190 et causam suspensionis can. 2191. Demum tres postremi canones favent primo validitati suspensionis, secundo libertati manifestandi suspenso causam, et huius clerici ad interponendum recursum.

793. De facultate sic procedendi retinet praecedentem disciplinam *can. 2186. § 1* determinat Praelatos competentes. *Ordinarius licet* iure, nempe: tum « locorum », tum « pro suis subditis possunt quoque Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis ». Etenim S. Congr. EE. et RR. [2]: « censuit, Generalem Theatinorum posse suos subditos ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter a confessionibus audiendis suspendere »; atque in una [3] Ordinis Praedi-

[1] « Auctorem fidei » Pii VI, 28 Aug. 1794. — [2] 2 Iul. 1627. Collectanea in usum S. Congregationis, Bizzarri, pag. 24. — [3] 2 Mart. 1866. Ibidem, pag. 755.

catorum generaliter sic rescripserunt EE. PP.: « 2. An Superiores Regulares iurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium etiam ex informata conscientia? — ad 2 affirmative, ita tamen ut Religiosus suspensus illicite, non tamen invalide confessiones excipiat ».

Ad Episcopos quod attinet fuit damnata prop. 50 Synodi Pistoriensis [3]: « Item, in eo, quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum, suspensionis ex informata conscientia legitime infligendae: iurisdictionis Praelatorum Ecclesiae laesiva ». Demum, quamvis Vicarius generalis non excipiatur expresse in praesenti Codicis canone, « sine mandato speciali non habet potestatem infligendi hanc suspensionem » vi can. 2220, § 2.

Obiectum facultatis est *ex informata* Praelati *conscientia*, ut declaratum fuit sub inscriptione, et magis potebit « ex praescripto canonum qui sequuntur » (can. 2187) atque ex can. 2190: *clericos*, quia poena haec « clericis tantum applicatur » (can. 2298, 2° et 2227, § 1), *suos subditos* ratione incardinationis vel domicilii aut quasi-domicilii, quoad saeculares, iuxta constitutiones quoad religiosos exemptos, *suspendere* praecise *ab officio* « stricto sensu », sicut definitur in can. 145, § 1, non « a beneficio » (can. 2278, § 2), a) *sive ex parte* v. gr. « a iurisdictione, a divinis, ab ordinibus, a sacris ordinibus, a certo et definito ordine exercendo, a certo et definito ministerio », prout unaquaeque harum suspensionum declaratur in can. 2279, § 2, b) *sive etiam in totum*, quae suspensio « vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam meae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii ».

§ 2. *Extraordinarium*, utpote quod est concessum ad continendos in suis officiis clericos non auditos in propria defensione, *hoc remedium* iuris *adhibere non licet*, nec adhibitum sustinetur, *si Ordinarius* sic procedens *potest* a) *sine gravi incommodo*, undecumque illud proveniat et fortassis ex delinquente, b) *ad iuris normam* idest: iudicialiter vel speciali processu huius tertiae partis c) *in subditum* illum *procedere*.

794. Modus legitimus ferendi eam suspensionem est exceptionaliter, quam describit *can. 2187. Ad ferendam* rite *hanc* « ex informata conscientia » *suspensionem* quamlibet ex dictis a) *neque formae iudiciales*, scilicet: quae describuntur in parte prima huius Libri, et Titulo XIX, quia infligitur « per modum

[3] B. « Auctorem fidei » Pii VI. 28 Aug. 1794.

praecepti » (can. 1933, § 4), b) *neque canonicae monitiones*, etiam « si agatur de infligenda censura » suspensionis huiusmodi (can. 2233, § 2), *requiruntur*, atque valet reg. iuris in 6°: « Generi per speciem derogatur »: *sed satis est* iure *si Ordinarius* declaratus in can. praec., a) *servato praescripto* ad rem faciente *canonum qui sequuntur*, b) *simplici* absque iudicialibus formis et unico auctoritatis actu, seu *decreto declaret* clerico *se suspensionem indicere* ipso facto inflictam.

795. Formalitates decreti praescribit *can. 2188. Huiusmodi* sub can. praec. *decretum* ex canonis praecepto a) *detur in scriptis* subsignatis a competenti Ordinario, *nisi adiuncta* personae suspendendae vel extrinseca ei *aliud exigant*, v. gr. verbotenus dari, non praetermisso praescripto can. 2142, b) *designato* in illis *die, mense et anno* subscripti Decreti; *in eoque* sunt continenda:

1° *Expresse dicatur suspensionem* hanc *ferri* a) *ex informata conscientia* iuxta phrasim in usu ecclesiastico *seu* b) vulgari sensu *ex causis ipsi Ordinario*, cuius decretum est, *notis;*

2° *Indicetur* liquido *tempus durationis poenae* subeundae; unde sit « ad tempus praefinitum » (can. 2298, 2°); ex canonis prohibitione: *abstineat autem Ordinarius ab ipsa* suspensione hac *infligenda in perpetuum* (ib.). « Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, (quod canoni non adverseatur), tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis » [1]. *Potest vero infligi etiam tanquam censura*, ita ut absolvendus sit ex iustitia ab eadem clericus recedens a contumacia in delicto « ad normam can. 2242, § 3 », (can. 2243, § 2), propter quod additur: *dummodo hoc in casu clerico* sic suspenso *patefiat causa* ab eodem removenda *propter quam suspensio* eadem sic *irrogatur;*

3° *Clare indicentur*, ne ob ambiguitatem verborum dubium emergat, *actus qui prohibentur* iuxta can. 2279, § 2, v. gr. cuius ordinis quoad n. 5, cuius ministerii quoad n. 7, sed hoc tantummodo *si suspensio non in totum*, quia haec est bene definita, ut vidimus ad can. 2186, § 2, *sed ex parte*, ut ibidem patet, *infligatur.*

796. De substituto officii agit *can. 2189. § 1. Si clericus suspensus sit* « ex informata conscientia » *ab officio in quo* ad exercendum actum illi vetitum ex tali suspensione *alius* clericus *in cius* suspensi *locum* iure *substituendus est, ut, ex. gr., oeconomus*

[1] Inst. S. C. de P. F. 20 Oct. 1884, n. 5. Collectanea S. C. de P. F. n. 1628.

in cura animarum vi can. 472 semper gerenda, *qui substitutur mercedem* qua stipendium sui laboris, seu partem *ex fructibus beneficii*, a quo non est clericus suspensus, *percipiat* de facto ex canonis praescripto *secundum prudens Ordinarii iudicium determinandam* quoad quantitatem.

§ 2. *Clericus* talis *suspensus, si se gravatum* ultra debitum *senserit*, eo quod v. gr. suae substentationi necessariae detrahitur, *potest* iure *imminutionem pensionis* determinatae *petere ab immediato Superiore* ratione iurisdictionis, *qui in via iudiciaria* idest: iuxta canonem 1594 *esset iudex appellationis.*

797. De probationibus extraiudicialibus necessariis cavet *can. 2190. Ordinarius, qui fert suspensionem* quamlibet *ex informata conscientia, debet* praecepto canonis *ex peractis investigationibus tales collegisse probationes*, quae constent sufficienter in actis, et *quae eum certum* morali prudentia *reddant* a) *clericum* talem *delictum* proprie dictum ad normam can. 2195, § 1, *revera perpetrasse* ad normam can. 2233, § 1, *et quidem* b) *adeo grave ut eiusmodi* inflictae suspensionis magis vel minus gravis *poena coercendus sit* prudenti ponderatione iuxta can. 2218, § 1.

798. Causa sufficiens ac necessaria est invenienda ad normam *can. 2191*, § *1. Suspensioni* cuilibet *ex informata conscientia iustam* seu proportionatam *ac legitimam* idest: iuxta sacras leges *causam praebet delictum occultum ad normam can. 2197, n. 4*, ubi sic definitur: « quod non est publicum », videlicet: « ut neque in iudicium, neque in rumores vulgi deductum sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognitum sit », (Instr. cit. n. 7) « ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, n. 1).

§ 2. *Ob notorium delictum* sive « notorietate iuris » sive « notorietate facti » (can. 2197 nn. 2°, 3°) *suspensio* quaelibet *ex informata conscientia nunquam ferri valide potest*, cum deficiat legitima causa.

§ 3. *Ut delictum* a) *publicum*, nempe: « si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, 1°), *suspensione* legitima qualibet *ex informata conscientia plecti* iure *possit, occurrat necesse est* b) *aliquod*, saltem unum, *ex adiunctis quae sequuntur.*

1° *Si* a) *testes probi* quoad mores *et graves* quoad personales qualitates *delictum quidem illud* publicum *Ordinario patefaciant, sed* b) *nulla ratione* ipsis proposita necessitatis, iustitiae, charitatis, *induci possint ut de eo* delicto *testimonium* secundum

formalitates *in iudicio* adhibendas *ferant, neque* c) *aliis probationibus* legitimis *delictum* illud *iudiciali processu* criminali « sub quo cadit » (can. 1933, § 1), *evinci possit*, prout « requiritur in iudicis animo moralis certitudo ex actis et probatis » (can. 1869, §§ 1, 2). Unde si de his prudenter constet, poterit adhiberi suspensio ex informata conscientia.

2°. *Si ipsemet clericus* publice delinquens, *minis aut aliis* de facto *adhibitis mediis* v. gr. seditionibus, recursu ad potestatem laicalem, *impediat* a) *ne processus* ecclesiasticus *iudiciarius instituatur* sine gravi incommodo vitando *aut* b) *inceptus perficiatur* usque ad sententiam definitivam.

3°. *Si processui iudiciali* praefato *conficiendo ferendaeque* in illo *sententiae impedimenta*, non ab ipsomet clerico promota, sed quae *exoriantur* a) *ex adversis* potestati ecclesiasticae saltem in materia huiusmodi iudiciali *civilibus legibus aut* b) aliunde ex *gravi scandali periculo* quolibet. Exempla videri queunt in diversis S. C. C. decisionibus apud Fontes Codicis pro hoc canone.

799. Animadversio praec. canoni relativa est, quam praescribit *can. 2192. Suspensio* quaelibet *ex informata conscientia* inflicta *valet*, ac proinde servanda est, *si ex pluribus delictis commissis* et forsan motivis *unum tantum fuerit occultum* iuxta declarationem can. praec. §^{m} 1^{m}, dummodo verificentur in eo solo conditiones positae sub can. 2190.

800. Facultas Ordinario relinquitur sequens. *Can. 2193* continet praescriptum fere ad verbum transcriptum ex Instr. cit. S. C. de P. Fide n. 9: *Prudenti Ordinarii arbitrio relinquitur* omnibus in casibus huius processus *suspensionis* « ex informata conscientia » *causam seu delictum clerico* punito a) *patefacere aut* b) *reticere, pastorali tamen adhibita sollicitudine*, qua bonum curet ovis pereuntis, *et caritate* in expressionibus quibus utetur, *ut, si delictum* seu causam *clerico*, ut permissum est, *manifestare censuerit, poena* suspensionis semper amara, *ex paternis quae interposuerit* seu manifestationi addiderit, *monitis, nedum* a) *ad expiationem culpae*, quod est proprium poenae vindicativae, *verum etiam*, prout est intentio Ecclesiae infligentis poenas, b) *ad emendationem delinquentis* secundum Salvatoris spiritum semper exoptandam, *et* c) *ad occasionem peccati*, prout huius natura exposcit *eliminandam inserviat.*

801. De remedio contra huiusmodi decretum sic loquitur Instr. cit. sub n. 11: « A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco clericus intimationem suspensionis habuerit, si ni-

hilominus appellationem interponere, eiusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum Ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

12. Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem; et in casu quo clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena mulctatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis usque dum ab ipso Pontifice, vel a Sacra Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum ».

Haec omnia sunt practici momenti, quatenus eadem supponit *can. 2194* et ultimus huius Partis quartae. *Si clericus*, ut ita hoc Titulo, *recursum a suspensione* qualibet ex informata conscientia *sibi inflicta interponat* equidem ad S. Congr. Concilii, vel de Propaganda Fide pro diversitate regionum contra Ordinarios locorum eam infligentes, ad S. Congr. de Religiosis adversus Ordinarios religiosorum, *Ordinarius* respectivus *ad Sedem Apostolicam*, ex can. 7 determinatam ex illis Congregationibus pro casu, *mittere debet* ad earum expostulationem *probationes* extraiudiciales *quibus constet* viro prudenti *clericum* recurrentem *delictum* proprie dictum a) *revera perpetrasse quod* b) *extraordinaria* ob modum procedendi *hac* inflicta *poena* suspensionis *puniri queat* ad normam can. 2191.

« Consultum idcirco erit, (ut monet Instr. cit. n. 10), ut antequam haec poena infligatur, probationes illius, quamvis extraiudicialiter et secreto, colligantur; ita ut, eo ipso quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae ut plurimum occurrunt in istiusmodi iudiciis ».

Denique sic explicit praefata saepius Instr. S. C. de P. F.: « prae oculis habeant Praelati id quod sapientissime admonet Summus Pontifex s. m. Bened. XIV in suo tractatu de Synodo Dioecesana L. XII, cap. 8, n. 6, quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua Synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia cum poena suspensionis a divinis animadversurum in clericos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere ».

Laus Deo et gratiae semper. Amen.

Explicit die 9 Sept. 1926.

Fr. A. Blat, O. P.

INDEX

CANONUM ET COMMENTARII

LIBER QUARTUS.

De Processibus.

PARS PRIMA.

De iudiciis.

	Can.	Pag.
Canones 1552-1555		1
Inscriptio Libri		»
Libri divisio in partes		2
Partis primae inscriptio		3
Canones Praeliminares		»
Judiciorum significatio canonica	1552	»
Limitatio ac distinctio potestatis iudicandi	1553	5
Defensio canonica iudicandi	1554	8
Quaenam personae publicae obligentur sequentibus normis	1555	9

SECTIO I.

De iudiciis in genere.

TITULUS I.

De foro competenti.

Canones 1556-1568		10-13
Schema: — Titulus I. De foro competenti		11
Divisio Partis in Sectiones et inscriptio primae		13
Divisio Primae Sectionis in titulos		»
Inscriptio Tituli I et ordo canonum		14
Quoad Summum Pontificem	1556	15

	Can.	Pag.
Quoad personas in dignitate constitutas et morales	1557	16
Inhabilitans lex	1558	19
Forum ordinarie competens	1559	20
Forum competens ratione causae	1560	21
Forum competens ratione domicilii	1561	22
De quibusdam peregrinis	1562	23
De vagis et religiosis	1563	24
Forum competens ratione rei sitae	1564	25
Forum competens ratione contractus	1565	»
De foro competente ratione delicti	1566	27
Accidentalis extensio competentiae fori	1567	28
Ultima fori competentis designatio	1568	29

TITULUS II.

De variis tribunalium gradibus et speciebus.

Canones 1569-1571		30
Inscriptio tituli et canones praeliminares		»
Privilegium primatus quoad iudicia illiusque effectus	1569	31
Principium coordinationis tribunalium	1570	33
26-*bis* (Prohibitio specialis)	1571	34
Distributio tituli in capita		35

Caput. I. — De tribunali ordinario primae instantiae.

Art. I. — *De judice.*

Canones 1572-1579		36-38
Schema: — Caput. I. De tribunali ordinario primae instantiae		37
Inscriptio Capitis I eiusque in articulos divisio		38
Inscriptio Articuli I		39
Ordo canonum		»
Judex primae instantiae pro singulis Ecclesiae territoriis	1572	40
De iudice ordinario praeter Episcopum	1573	41
De iudicibus synodalibus et pro-synodalibus	1574	43
De assessoribus	1575	46
Tribunalis collegialis obligatorium institutum	1576	47
Tribunalis collegialis norma procedendi et praeses	1577	49
De praeside Episcopo	1578	51
Judex ordinarius primae instantiae in causis religiosorum	1579	52

ART. II. — *De auditoribus et relatoribus.*

	CAN.	PAG.
Canones 1580-1584		53
Inscriptio articuli canonumque coordinatio		»
Quis possit auditores constituere	1580	54
Auditorum qualitas	1581	»
Auditorum munus	1582	55
Illius muneris terminus	1583	56
De Ponente	1584	»

ART. III. — *De Notario, Promotore iustitiae, vinculi Defensore.*

Canones 1585-1590		57
Inscriptio articuli et canones eiusdem		»
De Notario seu Actuario	1585	58
De promotore iustitiae et defensore vinculi	1586	59
De illorum interventu in actis	1587	61
De horum munerum compatibilitate ac tempore	1588	62
De qualitatibus earumdem personarum	1589	»
De horum munerum cessatione	1590	63

ART. IV. — *De cursoribus et apparitoribus.*

Canones 1591-1593		63
Inscriptio articuli ac ordo canonum		64
Munera cursoris et apparitoris	1591	»
Qualitas eorum ac muneris stabilitas	1592	65
Iuridicus munerum exercitii effectus	1593	»

CAPUT II. — **De tribunali ordinario secundae instantiae.**

Canones 1594-1596		66
Inscriptio Capitis ordoque canonum		»
Distinctio et competentia horum tribunalium	1594	67
Tribunalis secundae instantiae constitutio ac modus procedendi	1595	69
Praescriptum tribunalis collegialis	1596	71

CAPUT III. — **De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus.**

	CAN.	PAG.
Canon 1597		71
Inscriptio Capitis		»
Quadruplex supremum tribunal in Ecclesia	1597	»
Distinctio capitis in articulos		72

ART. I. — *De Sacra Romana Rota.*

Canones 1598-1601		72
Inscriptio articuli ordoque canonum		73
Tribunalis S. Romanae Rotae constitutio	1598	»
De instantia Sacrae Rotae propria	1599	75
S. Rotae incompetentia absoluta	1600	76
Limitatio competentiae S. Rotae in Curia Romana	1601	77

ART. II. — *De Signatura Apostolica.*

Canones 1602-1605		78-79
Inscriptio articuli ac ordo canonum		79
Signaturae Apostolicae constitutio	1602	»
De competentia Signaturae Apostolicae	1603	80
Accuratior competentiae determinatio	1604	85
De forma intrinseca sententiarum	1605	87

CAPUT IV. — **De tribunali delegato.**

Canones 1606, 1607		87
Inscriptio capitis eiusque duo canones		88
De tribunalis delegati iudicibus	1606	»
De tribunalis delegati ministris	1607	»

TITULUS III.

De disciplina in tribunalibus servanda.

Canones 1608-1626		89-92
Schema: — Caput. I. De officio iudicum et tribunalis ministrorum		91
Inscriptio Tituli ac huius divisio		92
Inscriptio Capitis I eiusdemque coordinati canones		93
Judicis in causa primum debitum	1608	»
Judicis obligatio duplex causae praevia	1609	94
Decisio exceptionis de iudicis incompetentia	1610	95

	Can.	Pag.
Decisio de absoluta iudicis incompetentia	1611	95
Judex de controversia competentiae inter iudices	1612	96
Prohibitiones a iudice, iustitiae promotore et defensore vinculi servandae	1613	»
De suspicionis exceptione	1614	98
Effectus probatae recusationis	1615	100
De modo solvendi hanc quaestionem	1616	101
De tempore seu parte iudicii (ad proponendam duplicem exceptionem)	1617	»
Duplex iudicis officium	1618	»
Judicis officium circa probationes	1619	102
De tempore intra quod iudicium perficiatur	1620	103
Jusiurandum de officio rite et fideliter implendo	1621	104
De modo iuramentum emittendi coram tribunali	1622	105
Obligatio secreti servandi	1623	106
Ut gratis administretur iustitia in Ecclesia	1624	107
Sanctiones praecedentium canonum	1625	109
De cautione praestanda pro sententiae futurae observantia	1626	111

Caput II. — **De ordine cognitionum.**

Canones 1627-1633		111, 112
Inscriptio Capitis ordoque canonum		112
De ordine diversarum causarum principalium	1627	113
De exceptionibus iudicii dilatoriis	1628	»
De exceptionibus peremptoriis	1629	115
De actionibus reconventionalibus	1630	116
De aliis quaestionibus accidentalibus	1631	118
De quaestionibus praeiudicialibus	1632	»
De quaestionibus incidentibus	1633	119
Ordo cognitionum		121

Caput III. — **De dilationum terminis et fatalibus.**

Canones 1634, 1635		122
Inscriptio capitis eiusque duo canones		»
Dilationum distinctio et prorogatio	1634	123
Prorogatio termini iudicialis	1635	125

Caput IV. — **De tempore et loco iudicii.**

	Can.	Pag.
Canones 1636-1639		125
Inscriptio Capitis et ordo canonum		126
Legitimus iudiciorum locus	1636	»
Judiciorum locus per exceptionem	1637	127
Dies et horae iudiciorum	1638	129
Judiciorum vacatio ex iure	1639	130

Caput V. — **De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo confectionis et conservationis actorum.**

Canones 1640-1645	131,	132
Inscriptio capitis ac distributio canonum		132
Schema: — Caput V. De personis ad disceptationem iudicialem... etc.		»
Personae admittendae earumque disciplina	1640	133
De usu interpretis licito	1641	134
De actorum conscriptione	1642	135
De signis authenticitatis actorum iudicialium	1643	137
De missione actorum	1644	138
De conservatione actorum	1645	140

TITULUS IV.

De partibus in causa.

Canones 1646-1654	141,	142
Schema. — Caput I. De actore et reo convento		142
Inscriptio tituli et divisio in capita		»
Inscriptio capitis I et ordo canonum		»
Norma generalis	1646	144
Facultas partium se repraesentandi per alium	1647	»
De minoribus et rationis usu carentibus	1648	145
De personis moralibus in genere	1649	147
Interdictorum bonis et aliorum mentis non firmae (conditio iuridica)	1650	148
De curatoris admissione	1651	148
De religiosis	1652	149
De personis moralibus in specie	1653	150
Prohibitio singularum personarum	1654	154

CAPUT II. — **De procuratoribus ad lites et advocatis.**

	CAN.	PAG.
Canones 1655-1666		156
Schema. — Caput II. De procuratoribus ad lites et advocatis		157
Inscriptio capitis		»
Canonum coordinatio		159
Necessitas advocati vel procuratoris	1655	»
De numero procuratorum et advocatorum	1656	161
De idoneitate personae ad alterutrum munus	1657	163
Approbatio necessaria	1658	165
De mandato procuratoris ad lites	1659	166
De tali mandato servando	1660	168
De commissione advocato danda	1661	»
Limitationes mandati procuratoris	1662	»
De reiectione procuratoris et advocati	1663	149
De revocatione procuratoris et advocati	1664	170
De pactis partes inter et advocatos ac procuratores	1665	171
De horum munerum proditione	1666	173

TITULUS V.

De actionibus et exceptionibus.

Canones 1667-1671		173
Inscriptio Tituli et distributio in capita		174
Canones praeambuli		175
Generalitas actionis et exceptionis	1667	»
De Generica divisione actionum	1668	176
De cumulatione actionum et exceptionum	1669	177
De speciali cumulatione	1670	178
De regressu a petitorio ad possessorium et de sententia utriusque causae	1671	181

CAPUT I. — **De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris.**

Canones 1672-1675		183
Inscriptio capitis		184
Canones huius capitis		»
De iure petendi atque decernendi sequestrationem vel inhibitionem	1672	185

	Can.	Pag.
Aliud iuridicum sequestrationis motivum	1673	187
Quandonam sequestratio aut inhibitio decerni nequeant	1674	188
De persona, quae sequester dicitur	1675	189

Caput II. — **De actionibus ex novi operis nunciatione et damno infecto.**

Canones 1676-1678		190
Inscriptio capitis et huius canones		»
Partes in hoc iudicio propter novum opus	1676	191
Ampliatio praecedentis canonis	1677	193
Actio de damno infecto	1678	194

Caput III. — **De actionibus ob nullitatem actorum.**

Canones 1679-1683		194
Inscriptio capitis ordoque canonum		»
Cuinam competit actio illa	1679	195
De nullitate actorum	1680	»
De iuridico nullitatis actus effectu	1681	196
De iudicis officio relate ad hanc actionem	1682	»
De nullitate confirmationis	1683	197

Caput IV. — **De actionibus rescissoriis et de restitutione in integrum.**

Canones 1684-1689		199
Inscriptio Capitis		200
Ordo canonum		201
Definitio et fundamentum	1684	»
Diversi huius actionis rei	1685	203
Dubium		»
Actioni rescissoriae correlativa exceptio	1686	204
Quibus conceditur beneficium restitutionis in integrum	1687	»
Tres quaestiones (resolutae)	1688	206
Effectus iuris ex tali beneficio	1689	207
Notio restitutionis in integrum		208

Caput V. — **De mutuis petitionibus seu de actionibus reconventionalibus.**

Canones 1690-1692		208
Inscriptio capitis et canonum ordo		»

	Can.	Pag.
Notio reconventionis	1690	209
Extensio reconventionis adhibendae	1691	210
Competentia iudicis circa reconventionem	1692	»

Caput VI. — **De actionibus seu remediis possessoriis.**

Canones 1693-1700		211
Inscriptio capitis et canonum coordinatio		212
Ordo canonum		213
De actione possessionis acquirendae	1693	214
Significatio iuridica verbi possessionis	1694	»
De actione retinendae possessionis	1695	216
De actione eadem	1696	»
De possessione pro indiviso	1697	217
Interdictum unde vi	1698	218
Effectus interdicti unde vi	1699	219
Personae citandae pro remediis possessoriis	1700	221

Caput VII. — **De extinctione actionum.**

Canones 1701-1705		222
Inscriptio Capitis et ordo canonum		»
Exstinctio actionum	1701	223
Exstinctio multiplex	1702	224
Tempus utile	1703	»
Limitatio illius praescriptionis	1704	227
Initium praescriptionis quoad actiones	1705	228

TITULUS VI.

De causae introductione.

Inscriptio Tituli et ipsius in capita duo distributio		229

Caput I. — **De libello litis introductorio.**

Canones 1706-1710		229
Inscriptio Capitis et ordo canonum		230
Necessitas exhibendi libellum	1706	»
Casus excepti et modus suppletorius	1707	231
Sollemnitates libelli	1708	232
Obligatio iudicis quoad libellum	1709	»
Remedia contra iudicis negligentiam	1710	234

CAPUT II. — **De citatione et denunciatione actorum iudicialium.**

	CAN.	PAG
Canones 1711-1725		234-236
Schema: — Caput II. De citatione et denunciatione, etc.		235
Inscriptio Capitis		236
Canonum coordinatio		237
Citationis necessitas	1711	»
Citationis pronunciatio et denunciatio	1712	238
Cuinam facienda sit denunciatio	1713	239
Effectus denunciationis	1714	»
Tenor citationis denunciandae	1715	»
Duplex citationis exemplar	1716	240
Transmissio citationis	1717	»
De recusatione citationis	1718	241
Transmissio citationis extraordinaria	1718	»
Citatio edictalis	1720	242
Cursoris obligationes in denuncianda citatione	1721	243
Obligatio altera cursoris	1722	»
Canon irritans	1723	»
Ampliatio praescriptorum	1724	244
Effectus legitimae citationis	1725	»

TITULUS VII.

De litis contestatione.

Canones 1726-1731		246
Inscriptio Tituli et huius canones		247
Notio contestationis litis	1727	249
Concordatio dubiorum	1728	»
De methodo iuridico ad dubia concordanda	1729	250
Actus iudiciales prohibiti ante litis contestationem	1730	251
Contestationis litis effectus	1731	252

TITULUS VIII.

De litis instantia.

Canones 1732-1741		254
Schema: — Titulus VIII. De litis instantia		255
Inscriptio huius tituli atque canones		»
Perduratio instantiae litis	1732	»
Instantiae interruptio	1733	256

	Can.	Pag.
De causa beneficiali inter clericos	1734	256
Alii casus interruptionis instantiae	1735	257
Instantiae peremptio	1736	»
Quo modo peremptio vim obtineat	1737	258
Effectus peremptionis instantiae	1738	»
Alius eiusdem peremptionis effectus	1739	259
Actorum iudicialium renunciatio	1740	»
Effectus renunciationis	1741	»

TITULUS IX.

De interrogationibus partibus in iudicio faciendis.

Canones 1742-1746		260
Inscriptio tituli et ipsius canones		»
Potestas iudicis ad interrogandas partes	1742	261
Obligatio partium correlativa	1743	262
De iuramento a partibus emittendo	1744	263
De articulis seu quaesitis	1745	264
Ad quid partes personaliter intersint	1746	»

TITULUS X.

De probationibus.

Canones 1747-1749		265
Inscriptio tituli et canones praeliminares		»
Facta in iudicio simpliciter admittenda	1747	266
De obligatione probandi	1748	267
Quae probationes et quando non sunt admittendae	1749	268
Distributio Tituli in Capita		»

Caput I. — De confessione partium.

Canones 1750-1753		270
Inscriptio Capitis ordoque canonum		»
Notio confessionis iudicialis	1750	271
Effectus iuridicus talis confessionis	1751	»
Firmitas confessionis iudicialis	1752	272
De confessione extraiudiciali	1753	»

Caput II. — De textibus et attestationibus.

Canones 1754, 1755		273
Inscriptio capitis et canones praeambuli		»

	CAN.	PAG.
Legitimitas probationis per testes	1754	274
Testium obligatio	1755	275
Distributio capitis in articulos		277

ART. I. — *Qui testes esse possint.*

Canones 1756-1758		278
Inscriptio articuli eiusque canones		»
Testes iudiciales in genere	1756	279
Juris prohibitiones	1757	»
Quando, quomodo et cum quo effectu admittantur	1758	281

ART. II. — *A quibus, quomodo, et quot testes induci, et qui excludi possunt.*

Canones 1759-1766		282
Inscriptio articuli et canones sub eo		283
A quibus testes induci possint	1759	284
Testis qui ultro se offert	1760	285
Modus legitimus testes inducendi	1761	286
Officium iudicis ad moderandam testium inductionem	1762	»
Necessaria testium notificatio	1763	287
De testis exclusione ae reprobatione	1764	»
De citatione testium	1765	290
Obligationes citati testis	1766	»

ART. III. — *De iureiurando testium.*

Canones 1767-1769		291
Inscriptio articuli eiusque canones		291
De necessitate iurandi a testibus	1767	»
Juramentum de veritate dictorum	1768	293
De iureiurando secreti servandi	1769	»

ART. IV. — *De testium examine.*

Canones 1770-1781		294
Schema: — Art. IV. — De testium examine		295
Inscriptio articuli ac eius canones		296
Locus ad examen testium	1770	»
De partium adsistentia huic examini	1771	299
De praesentia testium aliorum	1772	»
De examine ipso ex parte iudicis	1773	300

	Can.	Pag.
Interrogationum ordo et qualitates	1774	301
Interrogationum qualitates	1775	302
Interrogationes non communicandae	1776	»
Modus testimonium ferendi	1777	303
Testimoniorum redactio in scriptis	1778	»
Actuarii munus	1779	»
De testimoniis perficiendis	1780	304
De iterando testium examine	1781	»

Art. V. — *De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione.*

Canones 1782-		
Inscriptio articuli et canonum ordo		306
De tempore quo testimonia evulgentur	1782	»
Evulgationis praedictae effectus	1783	»
De reprobatione testium non admittenda	1784	307
De casu admissae reprobationis	1785	308
Vetitum post testimoniorum evulgationem	1786	»

Art. VI. — *De indemnitate testium.*

Canones 1787, 1788		310
Inscriptio articuli eiusque canones		»
Testis ac iudicis propria	1787	»
Cautio pro testium indemnitate	1788	311

Art. VII. — *De testimoniorum fide.*

Canones 1789-1791		311
Inscriptio articuli et huius canones		»
Judicis munus pro testimoniis ponderandis	1789	»
Judicis obligatio	1790	314
De huius probationis sufficientia	1791	»

Caput III. — **De peritis.**

Canones 1792-1805		315-317
Schema: — Caput III. De peritis		316
Inscriptio Capitis et canonum coordinatio		317
Quando periti sint adhibendi	1792	318
Servanda in eorum electione	1793	»
Peritorum munus	1794	319
Qualitates peritorum	1795	»

	Can.	Pag.
De peritorum recusatione	1796	319
De muneris acceptatione	1797	320
Sanctio ad muneris adimplementum	1798	»
Judicis munus erga peritos	1799	321
De peritis circa calligraphiam	1800	»
Relatio peritorum	1801	322
De diversa peritorum relatione	1802	323
De diversa peritorum sententia	1803	»
Vis huius probationis	1804	324
Circa expensas propter peritos	1805	»

Caput IV. — **De accessu et recognitione iudiciali.**

Canones 1806-1811		324
Inscriptio capitis et eius canones		325
Quo modo sit haec probatio decernenda	1806	»
Quis id perficere debeat	1807	326
Interventus peritorum	1808	»
Praesentia partium	1809	»
Alii recognitioni interessentes	1810	»
Munus actuarii	1811	»

Caput V. — **De probatione per instrumenta.**

Art. I. — *De natura et fide instrumentorum.*

Canones 1812-1818		327
Inscriptio Capitis, distributio et inscriptio articuli primi		»
Principium de hac probatione	1812	328
Enumeratio documentorum	1813	»
De genuinitate instrumentorum	1814	320
Judicium de genuino documento	1815	»
Vis documenti publici	1816	331
De vi documenti privati	1817	»
De documentorum defectibus	1818	»

Art. II. — *De productione documentorum et actione ad exhibendum.*

Canones 1819-1824		332
Inscriptio articuli ac ordo canonum		»
Documenta in iudicio producenda	1819	333
Finis exhibitionis ostenditur	1820	334

	Can.	Pag.
De exemplari exhibito	1821	334
De exhibitione quorumdam documentorum	1822	335
Limitatio praescripti	1823	»
De recusatione documenta exhibendi	1824	336

Caput VI. — **De praesumptionibus.**

Canones 1825-1828		337
Inscriptio capitis		»
Definitio ac distinctio praesumptionis	1825	»
Effectus praesumptionis iuris	1826	338
Alter effectus	1827	339
De praesumptionibus foeti	1828	»

Caput VII. — **De iureiurando partium.**

Canones 1829-1836		340
Schema: — Caput VII. De iureiurando partium		341
Inscriptio capitis		»
Canones ordinantur		»
Juramenti suppletorii definitio	1829	342
Normae circa iuramentum suppletorium	1830	»
Effectus canonici ex delatione iurisiurandi	1831	343
Juramenti aestimatorii notio	1832	344
Normae servandae	1833	»
De iuramento decisorio	1834	345
Casus in quibus defferri nequit	1835	»
De referendo iuramento decisorio	1836	346

TITULUS XI.

De causis incidentibus.

Canones 1837-1841		347
Inscriptio tituli et distributio in capita		348
Ordo canonum		»
Causae incidentis notio	1837	»
De propositione causae incidentis	1838	»
De ipsius admissione vel reiectione	1839	349
De modo procedendi	1840	»
Potestas iudicis quoad has sententias	1841	350
Distributio Tituli in capita		»

Caput I. — **De contumacia.**

	Can.	Pag.
Canones 1842-1851		351
Schema: — Caput I. De contumacia		352
Inscriptio capitis atque canones		»
De contumacia rei in sepisa	1842	»
Condiciones legitimae huius declarationis	1843	353
Sequelae huiusmodi declarationis	1844	354
De contumacia frangenda	1845	»
Cessatio contumaciae	1846	355
Altera hypothesis	1847	»
Extensio regulorum proecedentium	1848	356
De contumacia actoris	1849	»
Effectus contumaciae actoris	1850	357
Poenae contumaciae	1851	»

Caput II. — **De interventu tertii in causa.**

Canoneh 1852-1853		353
Inscriptio capitis eiusque duo canones		»
De interventu voluntario	1852	359
De interventu necessario	1853	360

Caput III. — **De attentatis lite pendente.**

Canones 1852-1853		353
Inscriptio capitis et canones eius		361
Attentati notio	1854	»
Effectus attentatorum	1855	»
De processu	1856	362
Effectus iuridici	1857	363

TITULUS XII.

De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione.

Canones 1858-1867		364
Schema: — Titulus XII. De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione		365
Inscriptio tituli et canonum coordinatio		»
De processus publicatione	1858	366
Modus talis publicationis	1859	»

	Can.	Pag.
De conclusione in causa	1861	366
Fatalia defensionis et allegationum	1862	368
Defensionum confectio	1864	370
Amplitudo defensionum	1864	370
De responsionibus	1865	»
De oralibus informationibus et disputationibus	1866	371
Exclusio defensionum	1867	372

TITULUS XIII.

De sententia.

Canones 1868-1877		373
Schema: — Titulus XIII. De Sententia		374
Inscriptio tituli et huius ordinati canones		»
De sententia et decretis notio	1868	375
Praerequisitá in iudice	1869	376
Diligens in ferenda sententia	1870	378
Praxis a tribunali collegiali servanda	1871	»
De sententia redigenda	1872	379
Requisita sententiae intrinseca	1873	»
Forma sententiae extrinseca	1874	381
Regularum ante dictarum	1875	382
De sententiae publicatione	1876	383
Eiusmodi publicationis modus	1877	»

TITULUS XIV.

De iuris remediis contra sententiam.

Canon 1878		»
Inscriptio Tituli cum canone		»
Sententiae correctio	1878	384
Distributio tituli in capita		»

Caput I. — De appellatione.

Canones 1879-1891		385
Schema: — Caput I. De Apellatione		386
Inscriptio Capitis ae ordo canonum		»
Ius appellandi et appellationis notio	1879	387
Limitationes iuris	1880	388
De iudice a quo in appellatione	1881	390
Appellationis modus	1882	391

	Can.	Pag.
Terminus prosequendae appellationis	1883	392
De actu prosequendae appellationis	1884	393
Speciales casus	1885	395
Effectus iuridicus	1886	396
Appellationis iuridica extensio	1887	397
Alia iuridica extensio	1888	398
Appellationis duo iuris effectus	1889	399
Remissio actorum	1890	400
Appellationis instantia circa meritum causae	1891	401

Caput II. — **De querela nullitatis contra sententiam.**

Canones 1892-1897		403
Inscriptio capitis et eius canones		»
De nullitate insanabili sententiae	1892	404
Actio et exceptio propter hanc nullitatem	1893	405
De nullitate sanabili sententiae	1894	406
De tempore insurgendi	1895	408
Remedium suspicionis inde ortae	1896	»
Qualiter iudex procedere queat	1897	»

Caput III. — **De oppositione tertii.**

Canones 1898-1901		409
Capitis inscriptio et canones		»
Notio huius remedii extraordinarii	1898	410
De modo huius oppositionis	1899	»
Normae servandae in hoc iudicio	1900	411
Effectus instantiae propugnatae	1190	»

TITULUS XV.

De re iudicata et de restitutione in integrum.

Canones 1902-1907		412
Inscriptio tituli et ordo canonum		»
Quandonam	1902	413
Exceptionale praescriptum	1903	414
Effectus rei iudicatae	1904	»
De in integrum restitutione	1905	416
Iudex competens	1906	418
Effectus alter huius remedii extraordinarii	1907	419

TITULUS XVI.

De expensis iudicialibus et gratuito patrocinio.

Caput I. — De expensis iudicialibus.

	Can.	Pag.
Canones 1908-1913		420
Schema. — Titulus XVI. Caput I. De Expensis iudicialibus		»
Inscriptio tituli eiusque logica divisio in capita		421
Canonum coordinatio		»
Obligatio ad expensas iudicii	1908	422
Cuius sit eos in genere statuere	1909	»
Quis solvere debeat expensas iudiciales	1910	423
Casus speciales	1911	425
Alius peculiaris casus	1912	»
De appellatione concessa	1913	426

Caput II. — De gratuito patrocinio, aut expensarum iudicialium deminutione.

Canones 1914-1916		427
Schema. — Caput II. De gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium deminutione		420
Inscriptio capitis et canones sub eo		427
Ius pauperum	1914	»
Postulatio ac relativa admissio exemptionis ab expensis	1915	428
De gerendo gratuito patrocinio	1916	»

TITULUS XVII.

De exsecutione sententiae.

Canones 1917-1924		429
Schema. — Titulus XVII. De exsecutione sententiae		430
Inscriptio tituli		»
Ordo canonum		431
Exsequutio simpliciter vel provisoria	1917	»
Praevium iudicis decretum	1918	432
Causa incidens	1919	»
De exsecutione sententiae	1920	433
Potestas exsecutoris sententiae	1921	434
De tempore exsecutionis	1922	435
De facto exsecutionis	1923	436
Exsecutoris potestas coactiva	1924	437

SECTIO II.

De peculiaribus normis in certis quibusdam iudiciis servandis.

TITULUS XVIII.

De modis evitandi iudicium contentiosum.

CAPUT I. — De transactione.

	CAN.	PAG.
Canones 1925-1928		439
Inscriptio sectionis ac divisio in titulos		»
Inscriptio tituli XVIII		440
Inscriptio tituli ac duo illius capita		»
Inscriptio capitis I eiusque canones		441
Iudicis ecclesiastici officium	1925	442
Normae transactionis in Ecclesia	1926	443
Invalidae transactiones	1927	444
Effectus transactionis	1928	446

CAPUT II. — De compromisso in arbitros.

Canones 1929-1932		»
Inscriptio capitis et huius canones		»
Arbitri et arbitratoris distinctio	1929	447
Normae huius compromissi	1930	448
Inhabilitates ad arbitri munus	1931	449
Deficiente contendentium consensu	1932	450

TITULUS XIX.

De iudicio criminali.

Canon 1933		»
Inscriptio tituli ac relativus inscriptioni canon		»
Canon generalis	1933	451
Divisio tituli in capita		

CAPUT I. — De accusatoria actione et denunciatione.

Canones 1934-1938		453
Inscriptio capitis eiusque canones		454
Ad quem pertineat iudicialiter accusare	1934	»

	Can.	Pag.
De iudiciali denunciatione	1935	455
Quo modo et ad quos facienda sit	1936	457
Denuntiantis praefati obligatio	1937	458
Praevia condicio cuiusdam iudicii criminalis	1938	»

CAPUT II. — **De inquisitione.**

Canones 1939-1947		459
Schema. — Caput II. De inquisitione		460
Inscriptio capitis		»
Capitis canones		461
Inquisitionis necessitas	1939	»
A quo facienda sit	1940	464
Inquisitionis iudicialis obligationes	1941	»
Initium inquisitionis	1942	465
Modus gerendi inquisitionem	1943	467
Inquisitoris potestas	1944	»
Assessor eidem conceditur	1945	468
Inquisitionis sequela iuridica	1946	469

CAPUT III. — **De correptione delinquentis.**

Canones 1947-1953		471
Inscriptio capitis et ipsius canones		»
Praescriptum fundamentale	1947	472
Delicta a correctione iudiciali exclusa	1948	»
Limitatio correptionis altera	1949	473
Legitimum correptionis tempus	1950	»
De peculiari criminali iudicio	1951	474
Adiuncta legimitae correptionis	1952	»
De inutilitate correptionis	1953	476

CAPUT IV. — **De instructione processus criminalis et de rei constitutione.**

Canones 1954-1959		»
Inscriptio capitis et coordinatio canonum		»
Connexio cum capite praecedenti	1954	477
De libello causae introductorio	1955	478
Prohibitio permissa	1956	479
Alia permissio iudici	1957	480
Conditio necessaria et communis	1958	481
Quoad ceteras normas	1959	»

TITULUS XX.

De causis matrimonialibus.

CAPUT I. — De foro competenti.

	CAN.	PAG.
Canones 1960-1965		482
Inscriptio tituli et eius divisio		»
Inscriptio capitis I		483
Ordo canonum		»
Competentia fori ecclesiastici	1960	»
Competentia fori civilis	1961	485
Reservationes causarum	1962	487
Consequentiae iuridicae	1963	489
Competentia ordinaria	1964	491
Curanda praevie a iudice	1965	493

CAPUT II. — De Tribunali constituendo.

Canones 1966-1967		494
Inscriptio capitis et ipsius canones		»
Iudex unipersonalis	1966	495
Peculiare officium	1967	496
Obligationes	1968	497

CAPUT III. — De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato.

Canones 1970-1973		501
Inscriptio capitis et huius canones		»
Initium horum iudiciorum	1970	»
De actore in his causis	1971	502
Tempus utile	1972	504
De postulanda dispensatione super rato	1973	»

CAPUT IV. — De probationibus.

— ART. I. — *De testibus*

Canones 1974-1975		505
Inscriptio capitis et divisio		»
Inscriptio art. I et duo ipsius canones		»
Peculiares testes	1974	506
De examine testium septimae manus	1975	507

ART. II. — *De inspectione corporali*

	CAN.	PAG.
Necessitas iuridica	1976	»
De peritorum designatione	1977	512
Canones 1976-1982		510
Inscriptio articuli et canones sub eo		511
Exclusio quorumdam ob hoc munere	1978	»
Conditiones peritorum positivae	1979	513
Relationes de inspectione	1980	514
De interrogatoriis	1981	515
Peritorum suffragium in aliis causis	1982	»

CAPUT V. — **De publicatione processus, conclusione in causa et sententia.**

Canones 1983-1985		516
Inscriptio capitis et tres canones		516
De testibus	1983	517
Ius defensoris matrimonii	1984	»
Vetitum in hoc stadio	1985	518

CAPUT VI. — **De appellationibus.**

Canones 1986-1989		519
Inscriptio capitis et canones		»
Appellatio ex officio facienda	1895	520
De appellatione a secunda instantia	1987	521
Obligatio Ordinarii loci	1988	522
Conditio iuris supra recogniti	1989	523

CAPUT VII. — **De casibus exceptis a regulis.**

Canones 1990-1992		524
Inscriptio capitis et huius tres canones		»
Casus excepti	1990	525
De appellatione facienda	1991	527
Munus iudicis ad quem	1992	528

TITULUS XXI.

De causis contra sacram ordinationem.

Canones 1993-1998		»
Inscriptio tituli et canones		529
Duplex procedendi modus	1993	530

	Can.	Pag.
Legitimus accusator	1994	531
Circa huius processus iudicialis normas	1995	532
De officio defensoris huius vinculi	1996	»
Cautela iniuncta	1997	533
De appellationibus	1998	»

PARS SECUNDA.

De causis beatificationis servorum Dei et canonizationis beatorum.

Canones 1999-2002		535
Canones praeliminares		537
Causae huiusmodi maiores	1999	»
Distinctio causarum	2000	539
Vetitum cumulationis	2001	541
De significatione verbi « Ordinarii »	2002	»
Memorandum		542
Distributio Partis in Titulos		»

TITULUS XXII.

De nonnullis personis quae in his processibus partem habent.

Caput I. — De Actore et Postulatore.

Canones 2003-2008		543
Inscriptio tituli ac huius divisio		»
Inscriptio Cap. I eiusque canones		544
De actore	2003	»
De nominando Postulatore	2004	545
De nominatione vice-postulatorum	2005	546
De mandati admissione	2006	»
Munus Postulatoris	2007	547
Finis mandati	2008	»

Caput II. — De Cardinali relatore, Promotoribus fidei et Sub-Promotoribus.

Canones 2009-2012		548
Inscriptio capitis atque canonum ordo		»
De Cardinali Relatore	2009	»

	Can.	Pag.
De Promotore fidei	2010	549
De nominatione Promotorum fidei	2011	550
Officium Promotoris fidei	2012	»

CAPUT III. — **De notario, cancellario et advocatis.**

Canones 2013-2018		551
Inscriptio capitis huiusque canones		552
Assistentia notarii	2013	»
Inhabilitas ad hoc officium	2014	553
Notarii harum causarum	2015	»
De notario adiuncto	2016	554
Qualitates praedictorum	2017	»
De Procuratoribus et advocatis	2018	555

TITULUS XXIII.

De probationibus in his processibus adhibendis.

CAPUT I. — **De probationibus generatim.**

Canones 2019-2022		557
Inscriptio tituli ac huius divisio		558
Capitis I canones		»
Quales sint probationes	2019	»
Numerus et qualitas testium	2020	559
De speciali casus excepti probatione	2021	564
Alterius casus excepti probatio	2022	»

CAPUT II. — **De testibus et peritis.**

Canones 2023-2031		564
Schema: — Caput II. De testibus et peritis		565
Inscriptio capitis et ordo canonum		566
Omnes Christifideles	2023	»
Testes necessarii	2024	567
Cautio statuta	2025	»
Specialis obligatio	2026	568
Testes in specie admittendi aut reiiciendi	2027	»
De medicis aut chirurgis	2028	572
De Religiosis denique et Monialibus	2030	»
De peritis	2031	574

CAPUT III. — **De documentis processui inserendis.**

	CAN.	PAG.
Canones 2023-2036		576
Capitis inscriptio et canones		»
De Exhibitione documentorum	2032	»
Documenta in his causis reiicienda	2033	577
Declaratio documentis addenda	2034	578
Historiarum auctoritas ad probandum	2035	579
Modus insertionis documentorum processui	2036	580

TITULUS XXIV.

De processu beatificatiouis Servorum Dei per viam non cultus.

Canones 2037		581
Inscriptio		»
Diversa iuramenta emittenda	2037	»
Divisio Tituli in capita		584

CAPUT I. — **De processibus a Ordinario iure proprio instruendis.**

Canones 2038-2041		»
Inscriptio capitis ae initiales canones		585
De his diversis processibus	2038	»
Ordinarius competens	2039	588
De tribunalis constitutione	2040	»
De tempore, loco et actis sessionum	2041	589

ART. I. — *De perquisitione scriptorum Servi Dei.*

Canones 2042-2048		590
Inscriptio articuli et ipsius canones		»
Verbum « scriptorum »	2042	591
De perquisitione canonica	2043	»
Specialis diligentia in perquirendo	2044	592
De insertione scriptorum in actis	2045	593
De notarii obligatione	2046	»
De iuramento emittendo	2047	»
Adnotatio postrema	2048	594

ART. II. — *De processu informativo.*

	CAN.	PAG.
Canones 2049-2056		594
Inscriptio articuli ac ordo canonum		595
Tempus inchoandi hunc processum	2049	»
De testibus et documentis	2050	596
Conditio praevia termino processus	2051	597
Modus terminum imponendi processui	2052	»
Processus publicatio	2053	»
Modus transcriptionis	2054	598
De authenticitate transumpti	2055	»
Quid et ubi servandum, quid et cui transmittendum	2056	599
Conditio ad testimonii validitatem	2029	573

ART. III. — *De processu super non cultu.*

Canones 2057-2060		»
Inscriptio articuli et huius canones		»
Numerus testium	2057	601
De accessu iudiciali	2058	»
Prosequutio inquisitionis	2059	602
Terminus processus	2060	»

ART. IV. — *De transmissione processus scriptorum Servi Dei, processus informativi et de non cultu ad Sacram Congregationem.*

Canones 2061-2064		»
Missio primi processus	2061	603
Missio tertii processus	2061	604

CAPUT II. — **De causae introductione apud Sacram Congregationem.**

ART. I. — *De revisionene scriptorum.*

Canones 2065-2072		»
Schema: — Art. I. — De revisione scriptorum		605
Inscriptio capitis et huius divisio		»
Inscriptio articuli I eiusque canones		»
Quaerenda scripta alia	2065	»
Revisorum designatio	2066	606
Consignatio ac distributio scriptorum	2067	»

	Can.	Pag.
Revisorum iudicium	2068	607
Casus discrepantiae	2069	»
De obiectionibus	2070	»
Effectus canonicus earum	2071	608
Effectus ex favorabili Papae iudicio	2072	»

Art. II. — *De discussione processus informativi.*

Canones 2073-2084		»
Schema: — Art. II. — De discussione processus informativi		609
Inscriptio articuli et distributio canonum		610
Recognitio et transcriptio processus	2073	»
Versio processus	2074	611
Asservatio processus ac versionis	2075	»
De summario et informatione	2076	612
De litteris postulatoriis	2077	»
De controversia circa introductionem causae	2078	613
Modus a Procuratore servandus	2079	614
Obiectum et responsionum forma	2080	»
Vetitum hac de re	2081	»
Sensus dubii proponendi hoc in iudicio	2082	615
Commissio introductionis causae	2083	»
Effectus similis Decreti	2084	616

Art. III. — *De discussione processus super non cultu.*

Canones 2085-2086		617
Inscriptio articuli eiusque duo canones		»
De discussione apud S. Congregationem	2085	»
De processu super non cultu instruendo	2086	619

Caput III. — **De processibus apostolicis.**

Art. I. — *De processu apostolico instruendo.*

Canones 2087-2097		620
Schema: — Art. I. — De processu apostolico instruendo		621
Inscriptio Capitis et ipsius divisio		»
Inscriptio articuli et canones ipsius		622
Diversi processus	2087	»
De tribunali constituendo	2088	623
Nominatio subpromotoris fidei	2089	624

	Can.	Pag.
De interrogatoriis	2090	625
De litterarum omnium expeditione	2091	»
Usus earum litterarum	2092	»
De initiali sessione	2093	»
Requisitae personae in sessionibus	2094	626
Tempus continuum processus	2095	»
Conditio praevia	2096	627
Extensio praescriptorum	2097	»

Art. II. — *De processus apostolici validitate diiudicanda.*

Canones 2098-2100		628
Inscriptio articuli eiusque tres canones		»
Quid primo sequatur	2098	629
Praeparatio discussionis	2099	»
Discussio validitatis processuum	2100	630

Art. III. — *De iudicio super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio eiusque causa.*

Canones 21001-2115		631
Schema: — Art. III. — De iudicio super heroicitate virtutum in specie vel super martyrio eiusque causa		632
Inscriptio articuli et canonum coordinatio		633
Initium iudicii	2101	634
Triplex disceptatio	2102	»
De congregatione qualibet	2103	»
Formula Dubii disceptandi	2104	635
De personis congregationis antipraeparatoriae	2105	637
Positio praevie paranda	2106	»
Transitus ad congregationem praeparatoriam	2107	638
Efformantes congregationem praeparatoriam	2108	»
Positio nova	2109	639
Celebratio congregationis praeparatoriae	2110	»
Actus post hanc congregationem	2111	»
Congregatio generalis	2112	640
De novissima Positione	2113	»
Sententia definitiva	2114	641
Iudicii promulgatio	2115	»

ART. IV. — *De iudicio super Servi Dei miraculis in specie.*

	CAN.	PAG.
Canones 2116-2125		642
Schema: — Art. IV. — De iudicio super Servi Dei miraculis in specie		643
Inscriptio articuli et canonum ordo		»
Miraculorum iuridica necessitas	2116	644
Quot numero miracula	2117	645
Periti necessarii eorumque qualitates	2118	647
De ipsorum votis	2119	648
Distinctio congregationum	2120	»
Positio pro congregatione antepraeparatoria	2121	649
Pro congregatione praeparatoria	2122	650
Pro congregatione generali	2123	651
De dubio super tuto	2124	»

TITULUS XXV.

De processu beatificationis Servorum Dei per viam cultus seu casus excepti.

Canones 2125-2135		652
Schema: — Titulus XXV. De processu beatificationis Servorum Dei per viam cultus seu casus excepti		653
Inscriptio Tituli		»
Huius canones		654
Quinam et quare sunt casus excepti	2125	655
De Ordinarii competentia	2126	656
Lineae generales huius processus		»
Peragenda iure Ordinarii proprio	2127	657
De signanda Commissione introductionis	2128	658
De processu apostolico	2129	659
Valde notanda in hoc processu	2130	»
De confirmatione sententiae	2131	660
Vis illius confirmationis iuridica	2132	661
De litteris remissorialibus	2133	»
De requisitis decretis ad huiusmodi beatificationem	2134	662
De actibus cultus publici iciti	2135	662

TITULUS XXVI.

De Beatorum canonizatione.

	Can.	Pag.
Cānones 2136-2141		662
Inscriptio Tituli ac ordo canonum in eo		663
Ad quid praerequiratur beatificatio	2136	664
Modus servandus	2137	»
De numero miraculorum	2138	665
De processibus conficiendis ac discutiendis	2139	666
Decretum de tuto	2140	»
De sollemni canonizatione	2141	667

PARS TERTIA.

De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis.

Canone 2142-2146		668
Inscriptio partis tertiae et canones praeliminares		»
De notario adhibendo	2142	669
De monitionibus forsan praescriptis	2143	»
De iureiurando interponendo	2144	670
De modo servando	2145	671
Remedium a decreto huiusmodi processuum	2146	672

TITULUS XXVII.

De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilium.

Canones 2147-2156		674
Schema: — Titulus XXVIII. De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilium		675
Inscriptio Tituli		»
Ordo canonum		676
Causae legitimae	2147	»
Invitatio ad renunciandum	2148	678
Effectus invitationis	2149	680
De ipsa renunciatione	2150	»
De dilatione parocho concedenda	2151	681
De oppugnatione parochi	2152	»

	Can.	Pag.
De recursu contra decretum	2153	682
De provisione parochi amoti	2154	»
De tempore huius provisionis faciendae	2155	683
Effectus amotionis	2156	684

TITULUS XXVIII.

De modo procedendi in remotione parochorum amovibilium.

Canones 2157-2161		»
Inscriptio tituli et huius canones		»
De causis huius amotionis	2157	685
De invitando parochum ad renunciandum	2158	»
De rationum examine	2159	686
Iterandae hortationes	2160	»
De amotione ac provisione parochi	2161	»

TITULUS XXXIX.

De modo procedendi in translatione parochorum.

Canones 2162-2167		686
Inscriptio Tituli et canones		687
Initium huius processus	2162	»
De necessario parochi consensu	2163	688
Renisus parochi	2164	»
Perpensio rationum	2165	»
De iteratione suasionis	2166	689
De praecepto imponendo	2167	»

TITULUS XXX.

De modo procedendi contra clericos non residentes.

Canones 2168-2175		»
Inscriptio Tituli ac ordo canonum		690
Principium in hoc processu		»
Initium processus	2168	691
Declaratio vacationis beneficii	2169	692
Punitio redeuntis debita	2170	693
Altera hypothesis	2171	»
Hypothesis consequens	2172	694
De parocho amovibili	2173	»
De parocho inamovibili	2174	»
Conditio declarationis praevia	2175	695

TITULUS XXXI.

De modo procedendi contra clericos concubinarios.

	Can.	Pag.
Canones 2176-2181		695
Inscriptio Tituli		696
Ordo canonum		696
Monitio praemittenda	2176	»
Poenae infligendae	2177	697
Altera hypothesis	2178	698
De praecepto imponendo	2179	»
Effectus praecepti formalis	2180	699
Decretum definitivum	2181	»

TITULUS XXXII.

De modo procedendi contra parochum

Canones 2182-2185		»
Inscriptio tituli huiusque canones		700
Monitio praevia	2182	»
De correptione ae punitione	2183	701
Posterior privatio statuenda	2184	»
Privatio parochi inamovibilis	2185	702

TITULUS XXXIII.

De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda.

Canones 2186-2194		»
Schema: — Titulus XXXIII. De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda		703
Inscriptio Tituli		»
Canones coordinantur		704
De facultate sic procedendi	2186	»
Modus legitimus ferendi eam	2187	705
Formalitates decreti	2188	706
De substituto officii	2189	»
De probationibus	2190	707
Causa sufficiens ae necessaria	2191	»
Animadversio	2192	708
Facultas Ordinario relinquitur	2193	»
De remedio contra huiusmodi decretum	2194	»

NE AUFEUR